



IOSEPHVS ROM. IMPER.

SEMPER AVGVSTVS

Invictum huius Sempiternum

Favor

Invictus et Duxit

ARCANA STATUS DETECTA

De Avaritia  
De Invidia

De Republica  
De Ambitione

De Avaritia in genere  
De Invidia

De Avaritia  
De Invidia

De Avaritia  
De Pacificatione

# ARCANORUM STATUS LIBRI DECEM.

AUTHORE

FRANCISCO ALBERTO  
PELZHOFFER,

S. R. I. Lib. Barone de Schönau, Nobili Domino  
de Schnekenpichel, Sagoriz, & Schwarzenbach; Sacrae Cae-  
sareae Majestatis Consiliario Provinciali, Inclyti Ducatus Car-  
niolae Prætorialium Judiciorum Assessore, Testium  
Commissario, ac olim Deputato

Statuum.

*Ex libris fr̄is Janov̄i, Statuum. Gerbockh*



L A B A C I,

Typis, Joannis Georgij Mayr, Inclytæ Provinciæ Carniolæ  
Typogr. & Bibliopolæ, Anno M. DCC. IX.



*Vera Effigies Illmi. Dni. Dni. Autoris FRANCISCI ALBERTI  
PELZHOFFER S.R.I. Lib. Barone de Schönau. Nobili Domino de  
Schnekenpichel, Sagoriz et Schwarzenbach. S. Cæsareæ Majestatis  
Consiliario, Provinciali Inclviti Ducat. Carniolæ Pretorialium Judiciarū  
Assessore Testium Commissario, ac olim Deputato statuum.*

AUGUSTISSIMO, POTEN-  
TISSIMO, INVICTISSIMO

ROMANORUM  
IMPERATORI  
JOSEPHO  
PRIMO

Semper Augusto, Germaniæ, Hun-  
gariæ, Bohemiæ, Croatiae,  
Sclavoniæ, Dalmatiæ,

REGI.

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ,  
Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ  
Carniolæ DUCI.

*Triumphatori gloriosissimo, Patriæ Patri.*

VITAM, SALUTEM,  
VICTORIAM.



## CÆSAR CLEMENTISSIME!

**S**olem orientem adorari, ut vetera præcipiebant, ita hodierna tempora in Majestate Tuâ fieri gestiunt, dum in Austriaci Orbis Zodiaco exoriens, augustissima lucis amplitudine recreatos nos, dubitantesq; efficit Majestas Tua: num primo in ortu, an jam in Meridie, nunquam occasura conspiciatur. Erat quidem, quod concussum tantis hucusq; machinis Imperium, demû mestissimo fato LEOPOLDI MAGNI CÆSARIS prosternendû vereremur: sed cû mea conclamatis prope rebus adstiterit Superûm Providentia, ut evocato ad æterna laborum præmia Alcidi par Atlas succederet, immensos ob ammissum Principem optimum dolores commutamus facilius, dum vivam, eamq; perennaturam

ram Maximi Patris in Maximo Filio imaginem  
veneraturos nos præſagimus. Nam ut auspici  
Imperij ſiſtema non à communi Principibus na-  
ſcendi felicitate conficiam, quâ inter cunas ſupre-  
ma ſibi ſaſtigia innocenter vendicant, tranſfuſas  
Majorum Majeſtatis Tuæ regendi dotes, Imperio  
pares, velut certiora noſtrum omnium ſalutis, po-  
tentiaq; Auſtriacæ nullis limitibus coërcendæ  
auſpicia conſulo: quas, poſteaquam duplici in  
Germaniam expeditione univerſis ad ſtuporem  
exhibuit Majeſtas Tua, id effecit, ut expugnato  
iteratis vicibus præſidiorum fortiffimo conclu-  
damus omnes, nulla impoſterum munimina, exer-  
citus nullos objiciendos ab hoſtibus, qui in trium-  
phum non cederent invictiffimæ fortitudini: neq;  
ullam concitatum iri Provinciam, quæ colla ſub-  
duceret congenitæ Dominatricis Auſtriacorum  
Domus Clementiæ: Itaq; Orbis ſubſcriberet ve-  
tuſto, quem à Rudolpho I. mutuamus, horoſcopo:  
JOSEPHUS I. Amore, & Timore domina-  
bitur Aſtris. Jamq; ipſa auguratæ hujus felici-  
tatis principia delibare aggredimur, dum animos  
erigimus poſt promotos ad Moſellam exercitus,  
immiſſas periclitanti Sabaudie ſuppeticas, ſubac-  
tam atq; exarmatam Bavariam, ibidemq; ex-  
tinctos horrendæ ſeditionis fomites, poſt ex ſupera-

tas cum hostium multâ cæde inimicas lineas, post devictas Belgij à Gallo usurpatis Provincias, post liberatum Turrinum & restitutam suo legitimo Principi omnem Sabaudiam, ibidemq; ad incitas cæsum hostilem exercitum, post occupatum Mediolanum; & recuperatam totam fermè Insu-briam, vetus Imperij feudum; post in Alsatia, Italia, & undiq; domitum hostem, post roboratos exercitus, aucta æraria, ac in omnes Austriacos Status introductas salutare leges, eas deniq; Monarchiæ non stabiliendæ solùm, sed etiam in immensum dilatandæ impensas laborum Augustorum primitias, quibus talem felicitatis omnigenæ Orientem promotum agnoscimus, qualis occasum nesciat, novûq; Jubilæû (singulari etenim omine, expleto per Genitorem Augustissimum sæculorû quaternione, postquã Rudolpus I. imperare cæpit; & elapsis bis annorum centurijs, à quo Austria continuatâ Cæsarum serie Orbi Imperat; quintum & respectivè tertium, sed felicitate verè secundum Sæculorum Annum Majestas Tua Sacratissima inchoat) Imperio Romano, Regnis, ac Ditionibus hæreditarijs, Europæ, Christianitatq; universæ auspicietur, quo omnes JOSEPHUM I. & Cæsarem velint, & immortalem.

Quâ felicioris sæculi ætate mihi etiamnum  
vita-

vitam lucem concedi gestio, quod ijs associari  
liceat, qui JOSEPHO I. vitam, salutem, victo-  
rias, triumphos augurantur, atq; residuum adhuc  
vitæ meæ superstitis, posteaquam triginta, &  
septem Annos obsequijs Augustissimi Parentis im-  
molâssem, Tuæ Sacratissimæ Majestati dedica-  
rem, dedicatumq; publicis tabulis testarer: id  
quod congesto de Arcanis Statûs opere confiteor,  
quo ea in lucem protraho, quæ inter Domestica  
pulpita tenueram, contenta auxeram, adaucta po-  
liveram; quantum occupata Cæsareis obsequijs  
ætas privati, atq; fortè quietis necessariæ injuri-  
otij concesserat, dum publicis munijs Consilia-  
rius Cæsareus Provinciæ, Prætorij Assessor, Comissa-  
rius testium, Deputatus statuum, ac repetitis vi-  
cibus majorum Provinciæ negotiorum particeps,  
munerumq; illius primorum vices gerens disti-  
nerer: quanquam & Augustissimæ Majestati  
Tuæ nomina tabellis his præfigere, & exili hoc  
opere Augustissimos Tuos obtutus subire non fuisse  
ausurum me profitear, nisi lege etiam Divinâ cau-  
tum scirem, nefas esse coram Principe comparere  
vacuû: ecquid coram Cæsare? Alterum probè nos-  
semea, quæ per decem libros calamo expressa ex-  
hibiturus sum Statûs Arcana, eadem esse, quorum  
vivam imaginem in Majestate Tuâ Sacratif-  
simâ



simâ & vidimus, & admiramur omnes, Religio-  
nis nempe, Consilij, atq; Justitiæ, velut totidem  
Colossorum Regni studia, à quibus Imperij ha-  
benas capestrvit Majestas Tua; Ærarij potentiam,  
quam in belli sustentandi subsidia augmentat;  
Artis Bellicæ peritiam, quâ adversus Gallos jam  
toties triumphasti; Jura Legationum, quibus  
exitiosam hostibus, Orbi admirandam cum An-  
gliâ, Lusitaniâ, Poloniâ, Moschoviâ, Prussiâ, Ho-  
landiâ, Sabaudiâ, & pluribus Noricis, ac Imperij  
Principibus armorum societatem stabilivit, quæ  
singula præmissis primorum auspicijs, decem li-  
bros lucem ab Augustissimo hoc Sole Oriente mu-  
tuatus; Pacis deniq; Oleam, quæ post dictatas de-  
bellatis hostibus remissionis leges cum Europâ Or-  
bem universum Majestatis Tuæ auspicijs atq;  
arbitrio componendum expectamus: quæ, inquâ  
cum eadem sint, quorum Ectipon in Monarchâ  
potentissimo habeamus, omnem Regendi Imperij  
regulam, Majestate Tuâ dictatrice, in hoc opere  
comprehensam mihi polliceor, tantùmq; dedisse,  
quantùm dari poterat. Quibus demum, ut So-  
cra, ac inviolabilis accedat Auctoritas, ad Maje-  
statis Tuæ genua provolutus humillimè supplico,  
ut opus hoc Tuæ immortali Gloriæ dedicatum cle-  
mentissimè suscipias, velut perennaturum clien-  
telle




# ARCANORUM STATUS

LIBER PRIMUS

PROLOGETICUS.

CAPUT PRIMUM.

*Methodica explanatio Arcanorum  
Status in Genere.*

1.  Mnum rerum quædam sunt in alto  
 secreta, seu, ut ita vocantur Ar- Plinius  
14. hist.  
 cana, quæ à communi hominum  
 sensû, & cognitione remotiora  
 sunt, quàm, ut statim, aut facilè, à quovis  
 percipi valeant.

2. Alia dicuntur Arcana, quoad occulta-  
 tionem, & dissimulationem Actuum huma-  
 norum, spectantia ad secretiores regnandi mo-  
 dos; quæ Aristoteles Machinamenta Re-

A

rum

2 *ARCANORUM STATUS*  
rum publicarum dixit, Boni publici  
causa inventa.

3. Quia ejusmodi Arcana, seu Consilia, non  
solum interdum, sed sæpè sæpiùs speciem ini-  
quitàtis, imò ipsam quandoque iniquitatem  
præferunt, quæ Boni publici, in quod  
unicè collimant, compensatione excusantur.  
Tacitus certè ait: Habet aliquid ex iniquo om-  
ne magnum exemplum, quod contra singulos  
utilitate publicâ rependitur. Et Cicero, peccari,  
ajebat, in Rempublicam interdum beneficio.

Annal  
4. Cap.  
14

4. Hinc non possum non vereri, ne quispiam  
existimet, sceleris viam ingredi, cùm de ejus-  
modi scribam arcanis Statûs, quæ hoc ævo aliud  
non habentur, ob perversam aliquorum do-  
ctrinam, quàm exquisitissima fallendi, circum-  
veniendi, supplantandi, fingendi, ac in omnes  
formas se transmutandi ars, vel præstigium  
potiùs Erebi, aut Circè poculum, homines in  
tot Belluas, celebri illâ Poëtarum metamorpho-  
si, transformans, ut Mantuanus Vates à suâ  
Musa edoctus canebat:

*Fit subitò sus horridus, atraque Tigris  
Spumofusque Draco, & fulvâ ceruice Leæna.*  
Verùm

Verùm id modestia Viri consularis , qualis tot annis vixi , & Sacratioris sapientiæ amans animus nullatenus admittit. Quid ergo ? Ejusmodi profectò , quæ ( nisi me fallat ratio ) nec integritatem lædent Viri boni , nec candorem animi obvelabunt , nec pervertent rectum judicium. Sol perlustrat ignobilia quæque , & turpia ; nec tamen turpitudine contaminatur : Pharmacocœutæ venena miscent ; neque tamen idèd venefici : Nôrunt Theologi hæreses ; & quis hæreticos dicet ? Miles acuit arma , ut feriat ; nec propterea est Prædo , & Latro. Multùm differt intellectus à voluntate , ut cœlum à terrâ ; licet ex unâ anima profluant ambo. Optimum habuêre , habentque intellectum , illi in primâ cœlitum luctâ damnati Spiritus ; Sed voluntatem pessimam. Non quia intellexerunt , errârunt : Sed errârunt , quia voluerunt. Neutrum intendit , licet de Sophismate tractet Logica , & de peccato Theologia. Neque nos docemus errare , qui docemus errores intelligere. Apes optamus nostros Lectores , non crabrones , & vespas : Venena fugunt istæ , illæ ambrosiam , idem tamen utrisque flos servit. Hæreses ubi quærunt sua sophismata , nisi in di-

#### 4 *ARCANORUM STATUS*

vinis literis? Non hæ tamen; sed illæ cremandæ. Sic terra nobis, ait Plinius, malorum remedium genuit; nos illud fortunæ fecimus venenum: quis idèd terram damnabit? Ut perfectum sit opus, referre oportet contraria, ut inde clariùs elucescat veritas. Quis æstimaret serenitatem Cœli, si nunquam nubilum vidisset? quis diei claritatem, si noctis tenebras nesciret? Adèd ex crimine Virtus, ex mendacio Veritas, ex mala fide perfectiùs liquet integritas: ut margarita ex fabulo, ex scoriâ aurum, ex Luto lucidiùs gemma emicat. Non idèd natura produxit toxicum, ut inde genus humanum intereat: Sic enim in se ipsam crudelis esset, seque destruere niteretur: quod tantum abest à natura, quantum mors à vita: sed malitia hominum, ac perversitas voluntatis adinvenit in toxico artem nocendi. Ita enim naturâ hæc depravatâ comparatum est, ut optima quæque in optimum finem prolata à discolis, & sceleratis trahantur in malam partem, & pessimum usum. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.

5. Quapropter non verebor ampliùs artes Arcanas Statûs, licet in flagitia, & improbitatem

tatem abeant, commemorare: sed ea suadere erubescam. Abhorreant, licet hæc alij severioris vitæ homines, vel simpliculi & scrupulosi: ego Angelicum sequor Doctorem, qui ejusmodi arcana, & Tyrannorum artes ad librum quintum Politicorum Aristotelis diffusè descripsit: sed nemini suasit. Enim verò, quod crimen scélusque hoc, referre ejusmodi, ex quibus licebit in publicis actionibus discernere causas veras, à prætextibus speciosis? perlustrare Respublicas, quibus cœperint primordijs, quibus creverint medijs, quibus prolapsæ flagitijs? quibus Ministris, ac Magistratibus stetit publica felicitas, vel infelicitas? quo Umbone legitimi Principes adversus Tyranos uti, aut quâ gelidâ seditionum flammâ extinguere valeant? quæ denique sint, fuerintque, aut esse debeant Imperantium ingenia, quæ regendi arcana, scelera, & flagitia? Brevis est per exempla via: & fortior impressio ex alienis vestigijs. Sic namque non docebo errare, sed errores intelligere, cavere.

6. Rem igitur aggredior, & de Arcanis, eorumque natura, cæterisque accessorijs, vario stilo, ut materia nimirum volet, quædam præmitto, & cum Propertio.

6 *ARCANORUM STATUS*

*Magnum iter ascendo : sed dat mihi Gloria  
Vires :*

*Non juvat ex facili lecta Corona Jugo.*

Arcana statûs sunt intimæ, & occultæ rationes, siue consilia eorum, qui in Republica Principatum obtinent, tum tranquillitatis ipsorum Regnantium, tum præsentis Statûs in Republicâ conservandi ( siue summâtim ) Boni publici causâ.

8. Dicuntur occultæ rationes non solum, quia cuique haud notæ, perspectæquè sunt; verum etiam, quia clam & occultè exerceri solent, ne pateant, neque ex conscientia plurimum, impedimenta actui publico creentur. Ad auctoritatem non minus, quam incolumitatem statûs, & Imperantium pertinent, Imperij intima, & præcipua penes se retinere arcana, quorum Sistema refertissimum exhibent Annales Taciti.

8. Deinde si ea ( quod avertant superi ) turpia & flagitiosa fuerint arcana; Satius est illa mille involucris obtegere, quam ut eorum feritas & indignitas, cum omnium scandalo pateat, dubiamque de Principe opinionem faciat.

Deam

Deam scilicet Laverniam obsecrantur illi malorum arcanorum Cultores.

-- *Da fallere, da Sanctum, Justumque videri. Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.*

9. Dicuntur arcana, vel àb Arca, vel ab arce: quorum utrumque àb arcendo originem habet, èd quod nec Arca, nec Arx unicuique aperiiri sinatur, tutiòrque sit clausa, quàm omnibus patula.

10. Dicitur præterea Boni publici Causà; quia hæc arcana seu consilia, ut ita dictum est, interdum speciem habent iniquitatis & fraudis, quæ Boni publici Utilitate (nec semper benè, nec semper malè) excusantur à statistis.

11. Dividuntur autem Arcana Politica in *propria*, & *impropria*. Propria spectant ad præsentem Reipublicæ formam, ejusque speciem, ne fortè in aliam, ut ex Monarchiâ in Aristocratiam, & vice versâ transeant, conservandam, continendam. Vel ad securitatem eorum, qui Principem locum obtinent in civitate: & hæc aliàs vocantur *Areana Reipublicæ Imperij*: & *arcana Dominationis*: ita ut Reipublicæ arcana primariò tendant ad Utilitatem publicam; alia sive



*arcana dominationis* consequenter tantum: quia primariò tendunt ad securitatem procurandam illorum, qui Rempublicam administrant, & præfunt statui. Quæ duo multum inter se differre manifestum est. Quandoquidem in Comitij Ordines Imperij, aliquando ab ipso Imperante diffident, quod sub Ludovico Bavaro, aliisque olim Imperatoribus sæpius, & priori ævo accidit in Bello Protestantium, dum Principes Imperij se contra Carolum V. non contra Imperium arma suscepisse protestati fuerunt: quam distinctionem jam olim indicavit Tiberius Cæsar, quando Principes mortales, Rempublicam autem æternam esse dixit apud Tacitum Annalium libro tertio. Patet hoc discrimen etiam in crimine perduellionis, quod in Reipublicæ statum committitur, & in crimine Majestatis, quod adversus Principem patratur. Licet hæc duo crimina soleant confundi: sed malè: Illud enim multò antiquius fuit, quàm hoc, quod sub Tiberio Primùm per legem Majestatis innotuit.

12. *Arcana impropria* ea sunt, quæ *simulacra Imperij, Inania*, & à Græco Vocabulo *apparentia* sive, *personata* hinc inde appellat Tacitus,

Tacitus, & olim Aristoteles. Ubi videlicet aliud agitur, aliud intenditur; nec est in re id quod videtur, sed repræsentatio potius illius prætextûs, species, & inane simulachrum.

13. Aliam divisionem Arcanorum colligere licet ex Tacito, cujus Authoris mira in discernendis & dijudicandis ejusmodi occultis actibus est dexteritas.

Unde operæ pretium duximus, illam divisionem hic non præterire. Est autem primò in Arcana Imperij: Secundò in Arcana Dominationis: Tertid in Arcana inania.

14. De Arcanis Imperij Tacitus. 2. annal. c. 36. ubi Gallus Asinius omni quinquennio mutationem Magistratum, eorûmque suffectionem per Legatos Belli inde revocandos destinabat, ita loquitur: Haud dubium erat, Tiberio eam sententiam altiùs penetrare, & Arcana Imperij tentari. Ubi per Arcana Imperij nihil aliud intelligi vult, quàm ea, quæ spectant ad totum Imperij statum: Tiberius enim suspicabatur, ne, cum Senatores altiùs Arcana Imperij inquirerent, suæ quidpiam Potestati demere tentarent.

15. De Arcanis Dominationis facit mentio-

nem idem Tacitus. Annalium c. 15. Ubi Augustus inter alia *Dominationis Arcana*, hoc etiam inhibuit, ne primæ classis Senatoribus sine Principis scitû ægyptum adire liceret. Arcanum siquidem Augusto *Dominationis* erat, ne ibi talis qualis insurgeret, & *Dominatum* usurparet, cum Principis jacturâ.

16. De Arcanis Domûs Regnatricis meminit Salustius Crispus annal. c. 6. Ubi commonefacit Liviam Imperatricem post cædem Apryppæ posthumi, ne arcana Domûs, ne consilia amicorum, Ministeria Militum vulgarentur. Confundunt aliqui volentes arcana Domûs, etiam esse Arcana *Dominationis*: non tamen omnia Arcana *Dominationis* sunt Arcana Domûs: Quia nimirum sunt talia consilia, quæ intra familiam, & inter Domûs Regnatricis cancellos clauduntur, cujus utilitatibus, dignitatibusque tuendis, & amplificandis prospicitur. Cum interim Arcana *Dominationis* sint artes, consilia, & inventa, quibus Status aliquis Imperij, præsertim Monarchici (prout Tacitus loquitur) vel paratur, vel stabilitur, vel conservatur, vel intenditur, vel augetur. Qualia certum est latius se extendere, quàm Arcana Domûs.

17. Diximus *Domûs Regnatricis*: quam insinuavit Tacitus lib. 1. c. 4. Ubi refert Tiberium à teneris in Regnatrice domo educatum fuisse: quæ sanè multum in recessu habet, & Monarchicarum Provisionum velut officina est. Huc Ministri Dominationis, huc Ministri Statûs pertinent. Ut in Aula tunc Augusti fuère, Mœcenas, Livia, Crispus, & si qui alij Regnatricis domûs curam professi. Huc referuntur pacta gentilitia, consilia amicorum, consanguineorum, &c. Et si qui Regnatricis Domûs consortes sunt; quibus etiam primi honores deferri soliti: ubi Juveni Germanico ex Druso prognato, octo apud Rhenum Legiones datæ, & ut eundem Tiberius adoptaret (quamquam esset in domo Tiberij filius) jussit Augustus, cupiens pluribus fulcris sustinere domum suam Regnatricem. Differunt etiam ex eo Arcana Dominationis ab Arcanis Domûs, quod hæc non solum respiciant utilitatem dominantis, qui in præfens regit, ut Arcana Dominationis; Verùm etiam conferunt illa arcana ad utilitatem familiæ suæ, ita, ut dignitas dominantis non tantum in se sit bene constituta, verùm etiam transferatur ad posteros. Quò olim respicit domus

Franconica, ac Saxonica, Sueva, & nunc Austriaca, quarum quævis multos Imperio dedit Cæsares.

18. Arcana inania vocantur illa, quæ simulachris inanibus adornantur in speciem, vel potiùs falsum aliquod lumen demonstrant, in re autem nihil habent, aut continent speciale. V.G. concedere magnos titulos sine ullo commodo, aut honores largiri cum onere magno. Talia mutato Statu Romano Augustus permisit populo; simulachra nimirum, & nomina antiquæ libertatis, quæ reipsâ mera servitus erat. Ut de Tiberio testatur Tacitus: Quantò majore libertatis imagine tegebantur quædam populo concessa; tantò ad infamius erumpebant servitium.

19. Quæcunque verò arcana sunt in se, vel justa, & honesta; vel turpia, & flagitiosa: ut nimirum criminis vel virtutis admixtam rationem habent. Accedunt etiam tertiæ speciei, quæ nec in se turpia & flagitiosa, nec justa & virtuosa, sed Adiaphora sive indifferentia sunt; aliquando quidem honestati, aliquando flagitio proxima. Oboritur enim ex accidenti rebus adiaphoris honestas, vel turpitudine; desinunt  
autem

autem tunc esse adiaphora, & transeunt in aliam speciem arcanorum.

20. Ad rem quòque facit nosse: quid? & quæ sint Jura Imperij? & quod inter hæc & arcana superiùs explicata discrimen? sunt itaque Jura Imperij, quæ summo Principi in signum Supremæ Eminentix, ac dignitatis, ad Reipublicæ Salutem, decúsque tuendum competunt. Hæc aliàs communiter Jura Majestatis vocantur & Regalia, à Rege videlicet, seu Regnandi Summâ Potestate. Item Sacra Regni: quia sacra censentur hæc esse Jura, & à DEO ipso concessa, à quo omnis potestas est. Imprimis autem Suprema illa, quâ Reges in terris quasi dij fiunt: Sicque Scriptura eos appellat, Vos Dij estis, &c. Potestas autem hæc suprema fundamenti ac radicis instar habetur omnium Jurium Majestatis, Regalium, Sacrorúmque Imperij, quæ hisce breviter definita sunt.

21. Numerantur autem Jura Majestatis præcipua hæc: Legem omnibus, ac singulis dare: dignitates, & Magistratus in Regno, & Republicâ constituere: Bellum indicere, & pacem concludere: Judiciorum habere ad se provocationem, sententiámque inappellabilem pronun-

tiare: Tributa & collectas, portoria & vectigalia imponere, & taxare: Vitæ & famæ restituere: Monetam cudere, signare, & valorem imponere: Comitia indicere: Asyla erigere, & concedere: Privilegia largiri: & alia quàm plurima, quæ competunt soli Summo Principi, vel cui illa exercenda delegat, non proprio tamen, sed Principis Jure. Expendenti hæc & illa, quæ supra de arcanis dicta fuêre; facilè liquebit utrumque differentia, & in tribus maximè.

22. Primò: quod Jura Majestatis, sive Imperij sint illud, quod Principem conservat; & à Principe, velut anima, spiritus, & essentia Imperij conservanda sunt. Arcana verò sint ipsa Methodus, ratio, ac modus conservandi prædicta Jura. Quidquid enim fit, arte fit: & quod maximâ arte conservari debet. Quid verò sub Cœlo majus, quid excellentius, quàm Jus Majestatis & Imperij? Ejus igitur tractandi ratio est ars maxima & excellentissima: cùm autem paucissimis mortalium ejus leges & præcepta nota sint, necesse est ea Arcana appellari, sicut unione subsistit compositum Physicum; ita Arcanorum scientiâ & applicatione stant Jura Imperij.

23. Secundò: Quod Jura Majestatis eadem, & non alia reperiantur in omni Principatu, Regno, Imperio, aut Republicâ, omnique Regimine, sive illud sit Poliarchicum, id est plurium; sive Monarchicum, id est unius. Arcana verò non eadem sunt: alijs enim optimates, alijs Populus, alijs Reges, & planè inter se contrarijs utuntur arcanis, ad conservandum Imperium. Ejusmodi appropriari debent formæ Regiminis, genio, ac moribus populi, vicinis, & mille alijs in Politicâ reflexionibus, quæ ad objectorum mutationem, alterationem, variationem variantur, alterantur, mutantur: Idque caluisse Summus Arcanorum scientiæ apex est. Unde Aristoteles. 6. Ethic c. 8. Rerum singularium prudentiam, (quam nos arcanam dicimus) ait esse, quæ notæ homini per usum fiunt, ex combinatione videlicet circumstantiarum, Eventuû &c.

24. Tertio: Quod Jura Imperij omnibus pateant, & in Politicâ passim velut notoria, supremæque omni Potestati cohærentia, uno omnium ore celebrentur. Arcana autem simulatione, dissimulationeque obtecta sunt; multoties ambigua, colorata, & varijs involucris & prætextibus obducta: ut planè penetrari nequeant.



Et hoc inter utraque, Jura, & Arcana, discrimen sat luculentum patet.

25. Justus Lipsius præfata arcana ad prudentiæ, quam ille duplicem esse exponit, partes quidem refert; sed ad deteriores tamen merito reducit: eam nimirum, quam Argutum consilium à virtute, aut legibus devium Regni, Regisque Bono definit, & in tres classes subdividit. Primam itaque arcanorum classem in diffidentiâ, simulatione, dissimulatione, callidisque consilijs constituit: Secundam in obliquis actionibus, astutis prætextibus, & ejusmodi, quæ à virtute, legibus, & bonâ fide paululum deflectunt: Tertiam planè fraudi, injustitiæ, & flagitio committit. Primam suadet, secundam tolerat, tertiam damnat. Primam laudat Sanctus Basilius in Proverbijs, ubi ait: Honestam atque laudabilem calliditatem esse. Secundam exigit Ratio Salutis publicæ, Necessitas, Securitas. Nam communis utilitatis derelictio contra naturam est: ait ex Stoâ Philosophus. Stans in orbe Reipublicæ, velut centrum medius Princeps, cum jam giratur ille, eam iste deligere partem debet, ad quam utilitas, salusque publica respicit.

Cic. 3.  
de offic

26. Tertiam Speciem ( quæ apertum flagitium est ) sicut abominantur omnes Theopolitici; ita amplexantur multi Statistæ. Machiavelli dogmata damnant illi, quæ isti adorant. Et nos damnamus illos omnes, qui prosperum scelus virtutem vocant: quivè,

- - - *Depravant publica Jura,*

*Justitiâque fugant, Disium nil Verba verentes*

27. Sed quid? Inanem profectò censuram! Ex orco enim redeunt, quotidiana Principum exempla, quibus comprobant agnatum Imperijs esse, inter Crimen, & Virtutem non discernere: nec juxta leges divinas & humanas, sed his ipsis imperare, vel usu sic suadente, vel exigente id necessitate publicâ. DEUM immortalem! Quàm arcanè simulasse Carolum V. nonnulli volunt, dum Româ per Borbonium Caroli Ducem vastatâ, incarcerato Papâ, afflictô extremis angarijs Clerô, desolatâ urbe maximâ, preces & vota in divos calamitosis illis temporibus indixit, ipso tamen Cæsare calamitatum causâ saltem indirectâ. Quid voluere scriptæ âb ipso ad Papam compassionis literæ, quibus tamen Papam ex Castello S. Angeli non dimittebat? gnarus nimirum fuerat rei alienâ culpâ pa-

tratæ in usum suum convertendæ. Aded honesta scelera felix successus facit. Quàm callidum, five impium foret (si quæ nonnullis scriptoribus fides) illud Papæ ad Carolum Andægavensem consilium! Vita Conradini Mors est iCaroli; Mors Conradini Vita Caroli. à Pio Sanè impiû hoc, ad Impium Regem Consilium! quo deinde usurpator Regni Carolus Legitimum Regem Conradinum avito Regno & Vitâ orbavit. Sic Jus regnandi causâ ( sed neque sine scelere, neque sine pœna ) violandum fuit.

28. Quantus Philippi secundi conatus, ne ad gremium Ecclesiæ susceptaretur Henricus quartus Borbonius, cujus ille hæreditarium Regnum vel affectare, vel mercenarium sibi destinare, vel Regem denique Regni que formam ex Regiâ in Poliarchicam conversurus credebatur, manente adhuc apud historicos an hoc? illud ne fuerit? lite indecisâ: interim in mutationibus Principû plerûmque à vicinis magnæ insidiæ, & opportuni magnis conatibus rerû transitus sunt.

29. Quàm feralis illa Cæna, quam Alexander VI. parabat primis Ecclesiæ Cardinalibus, nisi in authorem rediisset pœna. Quantùm ejusdem autoritate gessit, patravítque scelerum,

filius illius Cæsar Borgias ! abhorret effari animus quidem : Interim lugebant tunc primæ in Italia familiæ, eminentes illustrésque Viri, quos ille perdebat clàm vel palàm, profligabat in voluntaria exilia tanquam dominationi, quàm sibi in totam Flaminiam arrogabat, sive æmulos, sive obices. Quid Siculæ Vesperæ sub Petro Aragonio? quid Parisiensis Ianiæna sub Carolo IX. quid Guisianorum cædes sub Henrico III. aliud erant, quam arcana Dominationis, Imperij, aut Domûs? sed longè devia à recto tramite justitiæ, rectæ fidei, ac rationis, quæ bono Consilio à Dijs immortalibus data, nunc in fraudem, malitiàmque convertitur.

Cicero  
III. de  
natur.  
Deor.

30. Hinc aliqui primæ notæ Viri Politici, si non omnes scriptô, usu tamen vix interruptô, præfata arcana indistinctè per omnes tres Clafses, nullâ habitâ bonorum vel malorum mediocrium ratione, omninò & sine exceptione ullâ, sub prudentia Politica comprehendunt, ajuntque: Negotia Statûs esse extraordinaria, & momenti maximi, quibus agitur Salus publica universorum: adeoque necesse esse, ut ad eorundem finem ex voto pertingant, medijs quoque uti extra ordinarijs, abstrusis, occultis & qui-

buscunque, dummodò proficuis: quorum scientia, vera Prudentia politica est, necessaria regnantibus. Sicuti enim licet partem deserere, rescindere, ut totum conservetur: ita oportere aliquando recedere à virtute, Justitiâ, legibus, ut salus totius Populi, Regni, Regisque Bonum conservetur. Undosum Republicæ Mare est, sirtibus & scopulis obnoxium: evitare hîc licebit noxia, obliquando sinus, circumeundo, jam erigendo, jam demittendo consiliorum vela, & clavum ipsum dirigendo, non quo ducit solita via, sed propitia auræ fortuna, dummodo portum assequamur, in quo tuta subsistat Respublica. Non semper superare debet vera illa & directa Ratio: Decipere etiam pro moribus temporum prudentia est. Ita discurrere videntur illi, quorum principia ut scias velim, ut sequaris, nolim.

Plinius  
Epist. 8.

31. Postrema tandem species Arcanorum est, Arcanum Juris derogatorium, quod propriè decantata illa àb omnibus Politicis, & à quibusdam planè adorata Statûs Ratio dicitur: fundata in lege Regia, omniumque cæterarum legû matre: **Salus Populi SUPREMA lex esto.**

32. Alij rursus hanc rationem statûs adhuc laxiùs & liberiùs accipiunt, eamque pronunciant, non solum derogationem, sed **Excessum Juris Cõmunis propter Bonum Commune.** Quasi hæc duo Jus Commune, & Bonum Commune invicem non ampliùs competere de primatu; sed illud, id est Jus Commune, huic, id est Bono Communi, necessarid̃ cedere deberet: cum Bonum Commune non sit propter Jus Commune, sed hoc propter illud. Ita Claudius Cæsar, cum ex lege Romanis Communi, nequiret sociari Juliae Agrippinae, suæ ex Germanico fratre Nepti; ad **Rationem Statûs**, sive commune Romanæ Reipublicæ nomen ( ne videlicet Fæmina expertæ fecunditatis, integrâ inventâ, claritudinem Cæsarum in aliam domum transferret ) se convertit, ductâ in Conjugem Nepte.

33. Hinc **Rationem Statûs** Privilegium jure dixeris Imperantium: quod enim privilegium operatur in privato: hoc Statûs Ratio in Principe. Privilegium privat suo effectu legem in utilitatrm privati: & **Ratio Statûs** ob utilitatem universonum recedit à Jure Communi, & ordinario.

34. Nil tamen officere valet Juri Divino, cui suas cunas debet, indeque originem trahit ipsa Ratio Statûs: à DEO quippe Reges, & omnia Jura Regnorum promanant. Ipse excelsus dominatur super Regnum hominum: huic inclinare debet genua omnis Mundialis Potestas. Nemo proinde à nobis Rationem illam Statûs suaderi existimet, quæ vel DEO adversatur, vel virtutem contemptim habet, vel blandiente commodo à Justitia recedit, vel ex libidine agitat pleraque; vel quæ

*Astutam claudit scelerato pectore vulpem.*

Monstrum hoc potius Rationis, quam Rationem Statûs dixero: Calamitatum hoc mare est, ubi profligatâ è terris Justitiâ subingreditur prædominium improbitatis. Quæ toto genere, & naturâ mala sunt, nullius Boni publici prætextu compensantur. Astus tamen & prudens caliditas, si intra Rationis cancellos claudatur, non semper flagitia sunt, quemadmodum anilis pietas haud virtuosum reddit Principem. Ascensis licet non spectat ad Politicam, vera tamen solidaque virtus huic necessaria est. Virtus innititur Rationi, virtuti Ratio Statûs, Rationi Statûs Salus Publica.

35. Utriusque probæ ac improbæ discrimen, expende in Rudolpho Austriaco, & Nerone Romano. Rudolphus astu circumuenit Ottocari superbiam negantis publicum homagium Cæsari olim suo aulæ Mareshalcho. Ex condicito itaque factum, & ad speciem connivente Cæsare, ut (Ottocarus, ne palam, ut jaçtabat, sua submissio profiteretur) sub Conopéo campestri Sacramentum, quà Imperij Princeps, Rudolpho quà Cæsari emitteret. Jamque cum sui securus Ottocarus remotis Arbitris formam Juramenti flectens ante Thronum Cæsaris recitaret; illicd subducti funes, lapsaque siparia provolutū ad genua Cæsaris Bohæmum Regem utrique Exercitui conspiciendum dedêre. Quis in hâc Ratione Statûs Rationem non videat, licet astu circumvento fastuoso Rege?

Non ita Nero cum vestino Consule. Quodd enim Vestinus Statilium Messalinam, cujus thorum frequentabat ipse Cæsar, matrimonio sibi junxisset, fatis causarum videbatur Neroni, ut occidi Consul juberetur. Itaque non crimine, non accusatore existente, ad Vim dominationis conversus Nero; immisso statim Tribuno, Vestinum nihil sibi metuentem, à convivio, quod



quod tunc cum amicis celebrabat, ad supplicium pertraxit, sic pro ratione jubente libidine.

36. Et hæc duntaxat Prolegomeni locò insinuata sunt. Cæterùm Rationes istæ Statûs & Arcana Politica non solum hoc primo libro, sed omnibus sequentibus specialiùs constabunt. Mearum interim partium erit, inter flagitium (cui ejus modi sæpe obnoxia sunt) & virtutis arctas semitas medium statuere iter, quo nimirum jubebit Salus Reipublicæ; Citrà tamen flagitij notam, vel virtutis magnum periculum, Plinij expendens arcana verba: Tutius per plana, sed humilius & depressius iter: frequentior Currentibus; quàm repantibus lapsus; sed & his non labentibus nulla laus; Illis non nulla laus, etiam silabantur.

## CAPUT II.

### *Specifica Arcanorum divisio.*

- I. **P**Aucis effabor: Arcana Imperij, sive illa sint inania, sive simulachra, sive sophismata, in tot dividuntur species, quot sunt Regiminũ formæ

formæ. Tractabimus de his confusè, velut de materia àb historicis, & Politicis non dum satis excoctâ, sed crudâ adhuc, & insinuatâ potius, quàm digestâ.

2. Ad Monarchicum Regimen Spectant hæc fermè Arcana inania. Dare Proceribus, & populo libertatis aliquam umbram, ac imaginem quandam primæ Authoritatis, quam illi quidem affectant; sed umbrâ etiam illius pascuntur, cum rem ipsam Princeps retineat. Sic mutatâ Republicâ Romanâ Tribunatum ( amplissimum olim in Republicâ munus ) inanem postea umbram, & sinè honore nomen appellavit Plinius. Sic Justinus dixit: Regis nomen apud Rempublicam; vim autem, Jus, Potestatemque Imperij apud Principem fuisse. Tacitus ejusmodi nominat Imperij inania, & subdola, item species, & simulachra.

3. Accedunt inania famæ, titulorum, blanditiarum &c. quæ omnia dementant miserum Populum, ne suam sentiat Servitutem deperditâ libertate.

4. Esse debuerat olim sub Principibus Romana Respublica, sicut nunc est Veneta: nimirum, ut in Principe sola inania Imperij, titulus,

præcedentia, imago Majestatis; res autem ipsa, & Potestas Imperij Reipublicæ intemerata mansisset. Et Principes esse debebant olim in Romana Republica, ut fuerunt Auriaci Principes apud Battauorum Rempublicam. Verùm Julij Cæsaris, & Augusti successoris, arcanis artibus, in verso hoc ordine cessit Principibus Imperium, & Authoritas; relictâ Populo, ac senatui umbrâ primævæ dignitatis.

5. Dominantium, ac regnatricis Domûs hæc ferè sunt Arcana Sophismata: Certus Successor, Comitiorum rarior usus, interdum privatorum Conuentuum: Ærarij, ac publicarum opum dispositio, armorum, fæderum, pacisque absoluta cura, Magistratuum creatio, vel confirmatio, mutatio, abrogatio, & prorogatio, præpotentium maturum præcipitium: Monarchæ siquidem nolunt potentes subditos, nec magnos haberi, nec suspectos fieri. Augustus inter Arcana sua statuit, ne Primoribus ac Potentioribus pro lubitu extra Romam; & multò minùs ad exercitus proficisci, vel eò scribere, aut loqui ad milites; nec fervorum amicorumque ac clientum multitudine stipari, nec muros ac fossam vrbis transilire, vel munimenta ex-

struere,

struere, munire: neque uti excubijs, nec purpurâ indui liceret. Tiberius nihil super suâ salute perscrutari aut loqui permisit existimans, à nullo, nisi à quo adversus Principem cogitatur, vel optatur, aut post illum speratur, aut sustinetur, id fieri: Ided Scribonianus in exilium actus: quasi finem Principis per Chaldæos scrutari tentasset.

6. Custodia Regalis corporis, armata Justitia, pænæ, præmia, supplicia, ultiones occisorum prædecessorum, arcana sunt retinendæ Dominationis.

Huc spectat necessitas publica, cui nulla lex scripta: utilitas etiam communis, cujus curam lex naturæ & gentium suadet: Jus denique Regni, quod ex sola voluntate Regnantis statuitur. Hæc omnia Arcana sunt Monarchici Regiminis, ex quibus sæpe numero perperam plurima fiunt. Ita apud Romanos raptus Sabinarum necessitati adscriptus; ita matrimonia incæstuosa in legem abiêre; ita Romanis fas, & vetus causa erat in totum orbem insurgendi, ex cupidine proferendi Imperij.

Rursus Arbitrio Principis permittitur usus privatorum bonorum in emolumentum publicum.

blicum. In supplicio magnorum exemplorum magis attenditur emendatio aliorum, quàm ordo Justitiæ. In decimatione militari exemplum agitur disciplinæ. Mala extra ordinem, media extra ordinem exigunt. Vbi majus malum metuitur, aliquod admitti necesse est. Ejusmodi Imperantium sophismata, quò occultiora, tantò tutiora esse usus docuit.

7. Flagitia Regiminis Monarchici Arcanorum nomine planè indigna, in Tyrannidem manifestam transeunt, de quibus fusius infra; nunc summam ea esse dicimus, quæ sepositâ Justitiâ, honestate, Virtute insistant soli commodo, sceleri, & malæ fidei; qualia sunt: Jus in armis ponere, confingere bellorum causas, violare fidem, fœdera infringere, concitare alienos subditos, & fovere seditiones in legitimos Principes, vicinis insidiari, debiliores opprimere, aliena usurpare, violare Jura hospitij, consanguinitatis, Ecclesiæ, &c. sævire in Bello captos, æmulos tollere ex quocunque prætextu, & per quascunque insidias, & ejusmodi, quæ utinam non Christiani Principes etiamnum ætate nostrâ sine rubore perpetrarent.

8. Flagitiosi denique Principes præter Vim  
aliud

aliud Jus Regni non habent, nec curant. Parco posterioris ævi nominibus : vetera repeto. Augustus adulteria exercuit, non libidine, sed ratione Politicâ, quòd facilius consilia adversariorum per cuiusque uxores penetraret. Primum facinus Tiberij in novo Principatu fuit cædes Suetonius. Agrippæ, non aliò nãvô, quàm quod cohæres fuisset. Quid Julius Cæsar, quid Alexander M.? Ille quoscunque, digno & probabili crimine deferre non poterat, occultâ quâdam vîâ Dion. tollebat. Iste multos egregios Bello Viros, & Curtius tot gentium secum domitores indictâ causâ interemit.

Accedit Contemptus Religionis, quæ in prætextum abit dominationis : Juris Jurandi nulli reverentia, nisi quam suadet utilitatis ratio : abusus legis Majestatis, quæ totius Tyrannidis velut complementum est : infontes fontes faciens, quos Rex odit : Justitiæ denique quidam abominabilis horror : nam si flagitiosi Imperantes eam sequi volent, & suum cuique, quod abstulêre, restituere ; ad casus & egestatem reverterentur. Sic impius, cum in profundum venerit, contemnit.

9. Ad Arcana jam Poliarchica transeo: Ea

sunt abjurare Regiam Potestatem, persequi Regum posteros, hæredes; ut Tranquinijs fecere Romani.

Abolere omnem Regum memoriam, confractis eorum Statuis, demolitis aulis, & domibus regalibus, erasis ex libris publicis Regum nominibus, prostratis insignibus, Regiâ direptâ suppellectile, maxime Coronâ, Sceptro, Purpurâ.

10. Invexit id in Urbem Regicida ille Brutus, Cæsô Juliô Cæsare, & adhuc calente, ex arcano conservandæ in futurum libertatis; ne populus naturâ volubilis amplius commoveretur memoriâ Regij Imperij.

Status Poliarchicus liberius admittit accusationes præcipuè contra Primores, quò facilius isti in officio contineantur, ne vel Regnum affectent; neve populus suâ autoritate minuatur.

Et quia ex Bello Civili plerumque gignitur Regnum, ut nunc, & olim patuit; summè connitunur Poliarchici, domestica sopire odia; è contra inter eos, qui Reipublicæ inhiant, alere, fovere, concitare. Discordante Pompejo, & Cæsare adhuc stetit Respublica, quæ postea iisdem reconciliatis prolapsa est.

Suspectis de affectato Regno, maximè si idonei sunt, opponunt æmulos, quibus assistit plerumque plebs, ut suspectus tandem cedere debeat, vel planè corruat.

Olim Dictatores, quorum absoluta, licèt temporanea, erat Potestas, cum exercitu extra Italiam ire non permittebantur; ex arcano videlicet Poliarchico: ne unus aliquis, cui difficile esset tantam, deponere potestatem, motus in Republica cieret.

11. Æqualitas tam in Democratiâ, quàm Aristocratiâ maximum Arcanum est conservandæ, angendæque Reipublicæ. Quamdiu æquales fuère Cives Romani, invictum Imperij robur, constantiam, famam, terrorem, reverentiam sui, quâ pateret orbis, circumferebant. Sed serè quidem, citiùs tamen, quàm par fuit, descitum àb illa æqualitate, opulentis aliquibus instar Regum Civibus, alijs ad Cyri egestatem reductis: simul atque id factum, vidit uno eodémque tumulto claudi suam tot sæculis adsertam libertatem.

12. Nequaquam igitur Poliarchici finunt, ut unus, aut aliqui fiant potentes excessivè: aut ut ex una familia duo sint non solum Magistratus, sed

ne



ne quidem eodem tempore in Senatû. Neque etiam Democratici permittunt omnia in Republicâ munia occupari âb optimatibus, nec Aristocratici facilè aditum concedunt ad Magistratus publicos plebeis popularibus. Nec utrique paucis committere solent Imperium, quod vel plurium, vel omnium est. Paucorum quippe societas, si in unum coalescat, omnibus exitio est. Cæsar cum Pompejo & Crasso societatem iniit, ne quid ageretur in Republica, quod ulli ex tribus displicuisset, unde periclitari mox cæperat Romanorum libertas.

13. Sunt etiam Arcana, sive Sophismata Aristocratica ab Aristotele suggesta, Optimatum contra Plebejos, præcipuè circa quinque: nimirum, Comitia, Magistratus, Judicia, arma, & usum armorum. Et è contra in his ipsis Plebejorum contra Optimates; queis quæque Reipublicæ species se communit adversus alterius imposturas. Illud verò omnium primarium est, quod Aristocratici excludant multitudinem Imperantium, & Democratici paucitatem; si quæque suam vult salvam libertatem. Alterum âb hoc est: quod Optimates timeri, & coli velint; populares autem nolint despici, sed sui

fui curam haberi. Demum Póliarchica Arcana in plerisque coincidunt cum Monarchicis ; Unitate solùm Regnantis ubique exclusâ ; quæ sicut Monarchiæ est anima, ita Poliarchiæ extremum fatum.

14. Simulachra Aristocratici Imperij in Regnum mutati ex Cornelio Tacito hæc ferme conjicio : Non omnia repentiè immutare, sed sensim & per intervalla, ut prioris Reipublicæ quædam species remanere videatur (ut paulò ante diximus) quo faciunt, si Magistratus vocabulæ eadem quæ priùs : Idem proceribus honor : non novi tituli, qui Principatum saperent : non ornamenta Regia. Tiberius increpuit, ait Tacitus, eos, qui ipsum Dominum dixerant. Nil refert communicare vim Imperij Senatui, quem Princeps moderatur. Præstat altercantibus Optimatibus filere, interim flammæ non gelidam, sed oleum affundere : existimabunt id antiquam esse libertatem dicendi, cum simulachrum ejus solùm sit. Uterque Augustus, Tacitus & Tiberius vim Principatûs sibi firmantes postulata Provinciarû ad Patrum examen mittebant : Provincias tamen regendas eas tantùm, quæ imbelles erant, Senatui tradebant, Servatis

tis sibi ijs, ubi legiones, & exercitus vim Imperij constituebant. Insuper ne viderentur invasisse Imperium, Decennalia constituerunt, hoc est, pollicebantur se Lapso Decenio Patribus reddituros Imperij habenas; sed prætextus, speciesque erat Sophistica, quâ sensim Aristocraticum Imperium ex prorogatione illius iteratâ (sed plerumque subornatâ) desijt in Monarchicū. Adstipulantur in subversionem popularis libertatis annonæ copiæ, ludi, spectacula, promissa, largitiones, quæ multitudinem ita corrumpunt, ut ante seruituti mancipetur, quàm nôrit se deperdidisse avitam libertatem.

Sic lentiginis esu ammisit Esau primogenituram; sic unico haustu Regnum Lysimachus: sic pauxillo degustato melle Ionathas vitam: sic fera sunt remedia, cum ejusmodi inania simulachra extremum libertatis Poliarchicæ halitum occupant.

15. Sunt quoque Poliarchiæ non minùs, quàm Monarchiæ sua flagitia, quorum in Aristocratia periculosum valde est, Optimatum paucitas, Regia Imperia, Regij mores & fastus; immoderata Potestas, & immensæ opes ex inopia

opia Civium. Maximum autem omnium, cum liberam Rempublicam inter se dividunt Optimates, Democratix flagitium præter cætera, quæ speciali libro comprehendimus, est Anarchia, id est, quando immodica Populi libertas transit in insolentiam, legumque contemptum: Inde exurgit Statûs totius confusio aut Chaos potiùs forensis Populi sine lege, sine Judice, sine pœna vagantis, ruentisque ex maximâ libertate in extremam Servitutem.

## CAPUT III.

*De Arcanis Imperandi abstrusis, & re ipsâ injustis in Specie.*

I. **O**Mne magnum Imperium conjunctum est cum invidiâ. Hæc struit pedicas, meditatur prætextus, molitur præcipitia, omniaque alto cooperit secreto, ut incautos vel Solio dejiciat, vel vires imminuat, vel ex insidiis involet, vel ex prætextû usurpet. Aded Imperantes aliorum tehnis, livori, & æmulationi expositi sunt: Ita me Hercle fas illis omninò est umbone repercutere umbonem, astum prævenire astu, calliditate vincere calliditatem. Nemo Prudens expectat extremam cladem.

Et hæc illæ sunt arcanæ artes (sic propter dissimulationem, & occultationem actûs ab Aristotele dictæ) quibus Principes in corde suo prævident pericula sui Statûs, & avertunt, quasi aliud agendo: fingunt, quod facere videri nolunt: Infligunt transfuersales ictus: Ubi nequeunt eminens, sua tuentur cominus: præoccupant ubi occupati censentur: tempora, occasiones, discrimina, clades, in suum usum convertunt: ac plane interdum **Salutis publicæ Causa** à Bono parumper deflectunt; sed citra reatum. Ex Epicuriâ siquidem illis multa concessa, quæ priuatis vetita. Si labuntur, si declinent sub tanto onere, non tam imputatur eorum culpæ, quàm in præsens ineluctabili necessitati. Alio gressu, & cothurno incedit **Justitia**, & facultas Imperantium, quàm privatæ fortis hominum. Gressus eorum liberior est propter periculosum & difficillimum illud onus, quod Divina Providentia posuit super humeros Regnantium: dicente Divino Vate: posuit Principatum super humeros ejus: quasi pondus gravitatem que innueret, quod Regnantes ferunt: nihil enim facile humeris imponitur, nisi grave sit.

Cedunt

Cedunt aliquando sub hoc onere Principes non minùs curuato corpore, quàm obliquâ mente. Ubi rectâ intutum, liberum est ire in sinistram. Ex Stoâ Philosophus, suo Lentulo rescripsit : Si rectâ portum tenere nequeas, illum ipsum mutatâ velificatione assequi licebit.

2. Rimare aularum consilia : obtecta sunt. Inspice Principum pectora : impenetrabilia sunt. Sciscitare legatos : exploratores sunt. Ministros exâmina : Simulatores sunt.

3. Ita nimirum Fatales sunt hæ rerum Vicifitudines, ut nulli gentium ampliùs sit vetus ille candor, nec fides integra, nec mens sincera. At quid aget Princeps aperti animi in hâc rerum caligine ? quid in hâc peruersitate incurius ? quid simplex, ubi sacratæ etiam personæ vestiuntur duplicibus ? quo se Vertet ? Fabula erit & ludibrium, ac suimetipsius Statûs Proditorem aget. Sicut licet cum hostibus hostiliter, ita oportet interdum cum lupis ululare, & vulpinari cum vulpibus : circumvenientes se prævenire : pericula prævertere : tempora & occasiones captare : & quæque suis usibus adjungere. **Ab Aliorum fraudibus, &**

technis nunquam sat cautum est Principibus. Ipsi igitur eas Calleant, ut Caveant.

4. Porro artes hujus argumenti ( ut jam supra insinuatum est ) vel flagitiosæ sunt, vel flagitiis proximæ : vel Juris derogatoriæ : vel saltem adiaphoræ.

5. Primi generis flagitia dixit Tacitus, & ad Tyrannidem spectare docuit Aristoteles. D. Thomas, ubi acri calamo expunxit Tyrannidē, nihil ominis tamen ejus Arcana totidem quasi verbis aperuit 5. Politicorum Cap. II. Lect II.

5. Ad salvationem Tyrannidis ( Verba sunt D. Thomæ ) expedit excellentes in potentiâ, vel divitiis interficere, quia tales per potentiam, quâ habent, possunt insurgere in Tyrannū. &c.

Rursus ad salvandam Tyrannidem ( prosequitur citatus Angelicus ) oportet, quod Tyrannus procuret, ut subditi sibi invicem imponant crimina, & turbent seipsos, ut amicus amicum persequatur, & Populus contra divites, & divites inter se dissentiant : Sic enim minùs poterunt insurgere propter eorum divisionem : Oportet etiam subditos facere pauperes, ne insurgant.

furgant. Imponenda sunt Vectiglia, hoc est exactiones multæ magnæ, ut citò depauperentur subditi: Item Bella cienda inter subditos, vel etiam in extraneos, ita ut non possint vacare ad aliquid tentandum contra Tyrannum. Regnum salvatur per amicos, Tyrannus autem ad salvandam Tyrannidem non debet confidere amicis.

7. Subjungit iterum Lectione 12. sed mitius: Expediit Tyranno ad salvandam Tyrannidem, ut non appareat subditis sævus, seu crudelis; nam si talis appareat, reddit se odiosum, & ex hoc facilius exsurgent in eum; sed se debet redere reverendum propter excellentiam alicujus boni excellentis: Reverentia enim debetur bono excellenti, & si non habeat bonum illud, debet simulare se habere. Tyrannus se debet redere talem, ut videatur subditis excellere in aliquo boni excellentis, in quo ipsi deficiunt, ex quo eum vereantur. Si non habeat Virtutes secundum veritatem, faciat, ut opinentur eum habere eas. Et hæc fuere sophismata Aristotelis, in quæ commentarium fecit D. Thomas (Angelicus opinione omnium Doctor)



Doctor) loco superius citato. Eadē fermè scripsit, vel exscripsit potiùs Machiavellus, sed diversâ planè ratione. Quod enim D. Thomas Tyranno attribuit ; hoc Machiavellus integro Commentario Principem suum docuit. Fugam ille, hic Sequellam suavit. Verba Sancti Doctoris sunt : **Ista & Similia sunt Tyrannica : Sunt mala secundùm se ipsa ; bona tamen ad salvationē Tyrannidis. Non sunt facienda simpliciter homini, sed ei, qui voluerit salvare Tyrannidem, quæ secundùm se mala est.** Ideo in tantum crevit cum ætate Mundi improbitas, ut quæ olim apud Tyrannos fuere sophismata & flagitia, nunc apud plurimos modernos Statistas celebrentur **Arcana statûs, & à Principibus suspiciuntur, ut oracula Coeli.**

8. Præterita commemora : Præsentia contemplare : Expende causas : factò constabit, etiam nunc omnem surgentem potentiam non solum impediri, sed planè tolli, citra omnem causam, ex prætextu mero : Neque ad jura sanguinis adverti, nec statûs causâ propriæ soboli ignosci.

ignosci. Quid quid Solio proximum est, præcidunt : quidquid magnum & suspectum, demetunt, ut olim papavera Tarquinius : sed crede mihi, nunquam ulla satis Justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest. Cominiscuntur in opulentos Crimina ex prætexta lege Majestatis : proscribunt innocentes ; ac præscriptorum bona, aviditate suâ magis, quàm illorum noxâ occupant : ut inde adulatorum, accusatorum criminorum, quorum integras phalanges sustinent, immodicas cupiditates, in turpissimo munere amplius fovere queant, subjectis horum Syndicatui omnium moribus, nec quidquam contra valente innocentia, aut integritate vitæ. O miseram Regni faciem sub tanta pessimorum hominum impostura!

Proscriptorum & damnatorum liberos in communionem pœnæ trahunt, licet non reos communionem criminis. Vel si inde excepti, in omni tamen vitâ luunt alieni sceleris pœnam, degradati omni dignitate, & spe honorum. Quod omnium indignissimum (teste Plutarho) fecit Sylla, proscriptorum liberos, nepotesque infamiâ mulctando, eorumq; bona publicando. Licet quidem hoc admittat lex Majestatis, & Cas-

si rescripto cautum sit, ut domino interfecto omnis familia ad supplicium raperetur. Attamen hoc tam apud melioris notæ Gentiles : Senecam & Tacitum improbatum, quàm Christianis charitatis lege damnatum est, exceptis bonis, quæ proscriptorum propriâ, quæve à creditoribus, aut alio Jure affecta non sunt.

9. Sæpè ex solo rumore judicant, & Justitiæ prætextu integerrimos cives, quos oderunt : sæpe absentes, non indictâ causâ, ex inopinato condemnant, relegant. Nulla hic Justæ causæ hædera, sed vis & pro ratione voluntas.

10. Regnum per vim & tyrannidem acquisitum, non nisi per scelera & flagitia, si horum felix successus fuit, deinceps administrant. Sicuti enim tales ad Jus Regni præter vim aliud non habent, ita ejusdem conservandi, illis alia ratio non est, quàm vis, terror, usurpatio. Vetus ille Canon : iis teneri artibus regna, quibus acquiruntur.

Quo autem non attingit vis & terror; referant fores fraus, astus & perfidia. Specie colloquij carceres & catastas meditantur & infligunt. Hâc arte olim Antonius Regem Armeniorum,

niorum, & Tyberius Regem Cappadocum specie colloquij ad se illectos turpiter contra omne Jus Gentium interemit.

II. Jura hospitij violant, quoties è re expedit. Hoc pacto Romani Legati circumvenissent Anibalem, nisi Rex Prussias obstitisset protestans: ne à se postularent, quod adversus Jus hospitij esset. At non iste Angliæ Regiæ Elifahethæ sensus: quæ Mariam Stuartam Reginam Scotiæ hospitio exceptã, sed sibi suspectã, vitã priuavit. Neque Sultani Mahometi, qui Transylvania Vajuodam & Bosnia Regem ad se speciosè vocatos, excoriavit. Aded hi tales humanitati, cum se humanos præstant, maximè adversantur.

12. Vicinos inter se comittunt, ut faciliùs invicem collisos opprimant, Adhærent uni contra alterum, ut utrumque fallant. Subornant infidiatores, qui nec toxico nec ferro parcant, usque dum integras familias extirpent, suaque pomaria, oppressis vicinis vel œmulis, extendant. Id connitebatur Ludovicus XI. ubi quodam Rubenpreio ex arcano Regis jussu in Carolum Burgundum, hæredem unicum amplissimarum ditionum immisso; Patre autem Caroli Philippo, Hefdinum ad colloquium sub

idem tempus speciosè vocato, sed ab amicis demonito, tota Burgundica domus uno ictu petebatur, quod Dominicanus Concionator palā expulso proclamavit. Quot, quantaq; ejusmodi pericula Leopoldus noster Augustus, in totâ Vita suâ auspice numine evasit! & quot etiamnū, & indies optimo Cæsari struuntur? non pridem Colonia detectæ sunt insidiæ adversus Electorem Palatinum & Principem Saxonem, ut duo isti è venatu, cū minimè opinarentur, in Franciam abducerentur captivi. Ævum hoc verè ævum insidiarum est.

13. Jus armorum solâ potentiâ vi, & dexteritate metiuntur, probantque, causas tantum prætexunt, mentiuntur: id in summâ fortunâ æquius, quod validius, & sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse credunt. Nullum illis Juris momentum quàm armorum vis, ut quisq; potentissimus, ita Justissimus. Imbecilliores tantum Justum & æquum quærunt: qui autem plūs possunt, Justum & æquum inter infima, & neglecta habent. At contra naturam pugnat, ut homo homini sit lupus: nec facilè feræ in unâ specie se persequuntur.

14. Transirent hæc apud Ethnicos (quibus nulla alia quam gloriæ immortalitas fuit) nisi Cæsaris Augusti testimonium de se dicentis nôsem: Bellis cuilibus (ita differit ille apud Julianum) sæpenumero in extremum discrimen adductam Rem Romanam sic composui firmaviqûe. Non enim immoderatis cupiditatibus morem gerens, omnia undique parare, & dominio ejus adjungere suscepi: sed duos imperio nostro limites, tanquam à naturâ datos Istrum & Euphratem statui. Deinde domitis Tracibus & Scythis non bellum aliud ex alio (notate hoc Principes) sum commentus, sed in Juris descriptione, & eorum, quæ bellis civilibus depravata erant, correctione incubui. Belli etenim & armorum Jura non minùs Justè quàm fortiter geri debent. Non solùm Regalis virtus est fortitudo & magnanimitas; sed Justitia etiam, pacis amor, & moderatio.

15. Religionem pro commento habent: nec verentur ccelebrare miracula, nec superstitiosa admittere præstigia, & Alcoranum ipsum comprobare, dummodo in rem præsentem faciat. Religionem, pietatem, aliasque Virtutes mentiri, non minùs inter arcanas artes recondunt,

quàm aliorum humoribus illam accommodare, tempori ac scenæ fervire, credere denique ; in tanta hominum colluie neminem sine contagione criminis vivere posse.

16. Ex fine laudabili omnia sibi licere autumant : libertatē tollere, alienos status invadere, usurpare, cives expilare, obstantes necare &c. &c. Rationem prætextam habet Machiavellus in libro de Principe. Vis enim ea, quæ omnia evertit, & delet, culpanda magno opere est : at non ea, quæ ad res meliùs componendas comparatur. Quare Romulum laude dignum existimat, quod fratrem ipse interfecerit, & Tatium Consortem Imperij interimendum curaverit, ut solus commodiùs Romanæ Civitatis Statum formaret. Parem quoque laudem Ægidi, Spartæ Regij deberi, idem asserit : ille cùm corruptum Lacedæmoniorum statum instaurare cuperet, & veteres Lycurgi leges in usum reducere : veritus ; ne Ephori ipsius destinatis adversarentur, eos omnes occidi jussit. palmaris autem iste error est. Nam si finis justus, justa etiam esse oportet hunc consequendi media. Hæc enim, ut ait D. Thomas, habent rationem finis. **Quod in se malum**

est, nulla ratione finis, quantumvis honestissimi, cohonestari potest.

17. Unde execrabile illud (non arcanum quidem) quo passim Imperantes divellunt Principia Politices â recta ratione, virtute, & honestate ; Sed flagitium emanavit : dum ajunt : **Multa non quidē christianè & theologicè, attamen politicè fieri.** Fines quippe non debent Confundi : aliud Politica, aliud intendit Theologia. Sciopius in suâ Pædiâ hujus Sophismatis author est.

18. At si secundum regulas rectæ rationis verum est : **Deterius esse semper melioris gratia :** adèo, ut cuicumque incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud, sicut in finem ; hoc debeat ita perficere, ut congruat illi fini, ad quem ordinatur. Alij enim fines sunt principales, alij subalterni, constatquæ de subalternatione finium, tam in natura, quàm in artibus, & scientiis. Frustra Architectus in exstruendâ domo operam infumeret, si solummodo ad Architecturæ finem, qualis est proportio, attenderet : nisi illam talem extruat, quæ apta sit ad incolendum, & commoditatibus vitæ hu-



manæ inferviat : hoc enim primario fine extruuntur domus, ut ab hominibus commodè inhabitentur. Cum verò naturæ totius humanæ finis sit ultimus, & adæquatus **Vita Æterna**: necessè est, ut omnes particulares fines hominum (qualis Statistæ & Viri Politici, est **Salus Publica**) commensurentur fini principali vitæ æternæ, ne videlicet illi huic repugnent, & adversentur. Discite àb Ethnicis Philosopho vos mei Statistæ ! Aristoteles 1. Ethicorum. cap. 13. disertis verbis asseruit : **Perspicuum est, Politicum aliquomodo nosse oportere, ea, quæ ad animam pertinent.** Non excludit Ethnicus, id à Politicâ, quod multi Statistæ Christiani, planè eliminant.

19. Inter flagitiosas artes immanior omnibus est crudelitas & sævitia. Apud improbos Principes omnia quidem tempora crudelitate & sævitiâ infecta sunt, sed ea magis, cùm alienos principatus invadunt. Expedire enim arbitrantur initia regnorum sanguine civium contaminari, & primo quidem statim impetu, ne sæpius repetere necessè sit, ac deinceps reliqui ad promptius obsequium assuescant. Ast malè terrore comparatur

paratur obsequium : quia liberum non est, sed violentum.

Ad hæc adstruit sceleratus ex Hætruriâ Politicus : quotquot libertatis, publicique Boni amantes, præsentis autem statûs inimici sunt, omnes absque rubore necandi. Si Tarquinius, Rex ultimus Romanorum, hoc præceptum caluisset ; nemo ausus fuisset quidpiam adversus eum moliri, semperque nullo adversante, tyrannidem pro libidine, exercuisset. Ita ille. Verùm nulla fat tuta vis est. Omnis vis majorem vim timere debet. Extra naturam prorumpere coguntur subditi, cum vim patiuntur Tyrani. Calluit omnino crudelitatis præceptum Tarquinius, sed non etiam ignoravit illud : Infirmum Imperij Custodem esse terrorem, ac timore facilè perdi, quod furore tenetur. Frustra Princeps terrore succingitur, quem subditorum amor & fides non sepiet. Crudelis Principis semper breve est imperium, & per vim fraudemque arreptæ seculares solvuntur in rapientem ordinariè, ut multis tragædiis commonstrat omne œvum.

20. Periuria flagitiosis Statistis commenta

funt, & veluti verba otiosa. Jusiurandum illis in circumventionem seruit credulorum, aut patrociniū malæ fidei. Non est periculosior hostis, quàm qui amicum simulat. Nulli minùs credendum, quàm qui insolita promittit. Qui autem multùm obtestatur, frequenter pejerat.

21. Idem scelerum author Papam Alexandrum VI. in exemplum adducit. De hoc testatur ille : quòd præfatus Pontifex nullam unquam aliam artem, quàm imposturam exercuerit : neque ad aliud studium animum ad junxerit : neque ullus unquam extiterit, qui vel promissa magis execrabilibus sacramentis confirmasset, aut qui ea minùs sanctè habuisset. Fraudes & periuria (prosequitur idem) tamen illi benè cesserunt : quippe sic hominum ingenia tractare, & versare noverat in sua suorumque commoda (restrictione fortè mentali usus) quæ hominem decipere potest, non DEUM : Tutius mi Statista Isidoro crede : quâcunque arte verborum quis juret, DEUS tamen qui conscientiaë testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.

22. Platina in *Vitis Pontificum* de dicto Papa  
Aldxan,

Alexandro VI. testatur : Papam Alexandrum fuisse talem, in quo passiones vehementiores compensabantur egregiè virtutibus, prudentiâ incomparabili, agendi dexteritate, curâ & providentiâ circa publica: aded ut harum virtutum intuitu, licet ille non boni odoris aliàs fuerit, ejusque filius Dux Valentinus, omnium Italiæ Principum Tyrannus ; nullam tamen unquam seditionem, nec Romæ, nec foris, passus fuerit.

23. De filio præfati Pontificis Valentino Duce idem fatetur sceleratus Politicus, quod totus perfidiæ immersus, dolo, fraude, tam magna & excelsa patrauerit, ut jure in exemplum Principum omnium, statui valeat ; novit ille ita animum simulare, ut conventionem factâ cum Ursinis Principibus, eos sub amicitia fide Senogalliam pertraxerit, occidendos. Atrociora de eo scribit Platina : Illius rapacitati cessit tota Romania. Occupavit Imolam expulsis Rariis pupillis, matrem viduâ velut in triumphum Romam abductâ. Faventiam sibi subjecit occiso Manfredi ejus legitimo domino : in exilium verò acto Malatestâ Ariminum & Pesarum suo dominio adiecit ; Urbium oppressit, Camperi-

num cæpit, sublatis vitâ Julio & Venantio Varaniis ibidem dominis. Cajetanos ejecit suis statibus, & duos vitâ multavit. Columnenses in exilium profligavit direptis & occupatis eorum castellis & ditionibus: Urfinorum verò plurimos extinxit. Similiter ex infidiis Lierotum Firmij dominum, ac Vitelium cum aliis plurimis romanis Baronibus libitinæ immolavit, ferâ & tigride immanior. Egregium, me Castor exemplum Principibus à Machiavello propositum!

24. Illud autem Cæsari Borgiæ id est præfato Duci Valentino dubium erat; an novus aliquando dignitatis pontificiæ successor sibi futurus amicus? & an, quæ pater Alexander sibi concesserat, ratihabitus sit? ut autem hoc semetu liberaret, quadruplici id machinâ tentavit.

Primum omnium, ut quos dispoliâsset ditionibus Principes & Barones, eorum totam stirpẽ excinderet; quòd omnes inquirendi sui occasiones futuro Pontifici præriperet. Immane erat hoc Consilium!

Præterea, ut omnibus Romanis patritiæ gentis sibi amicitiam devinctis, eorum ope Pontificis conatus fræno compefceret.

Deinde

Deinde Cardinalium ad se animos, omni, quâ posset, ratione pertraheret, ut gratum sibi Pontificem crearent.

Tum demum tantum Imperij in Italia ante obitum Patris sui, occuparet, tantum virium, quibus omni violentæ impressioni resistere propriô Marte valeret.

25. Ad finem usque, tria horû, cum Alexander VI. veneno, alijs destinato, vitâ fungeretur, perduxerat; quartum fermè confecerat: sed præmaturè & ex inopinato mortuo Patre duntaxat in Flaminia imperio permansit, medius inter duos sibi infensos exercitus. Luit tandem pessimo fato sortem suam, ludibrium omnium factus, tum fortunis. Omnibus ex latrocinio acceptis spoliatus; ibi æterno carceri mancipatus; sed inde ope custodum ad Joannem Navarra Regem profugus, à quibusdam Cantabris cæsus fuisse dicitur. Ejus tumulo appositè inscriptum.

*Omnia vincebas, sperabas omnia Cæsar:  
Omnia deficiunt, incipis esse nihil.*

Hæc merces est peruersæ Politicæ, hoc præmium perfidiæ, hoc lucrum ex flagitioso consilio. Interitûs sui faber est, qui molitur alienum.

Regij potiùs animi est, in consortium doles non admittere, etiam, si robur minus est.

25. Jason ille fabulosus svasit quidem, in parvis à Justitiâ abire, ut eam salvemus in magnis : verùm nesciunt amplius Imperantes in levibus delinquere : anile id esse autumant, & gentis obvia. Majora audent, quàm nemo Scythâ in Scytham. Exsuperant flagitiis Barbaros : illi & enim inter leges suæ Politix se continent, observant invicem fidem, sacrum habent Jusjurandum, & si quidpiam perperam agunt, agunt ex innatâ illis immanitate, palam, & fortiter. Nostri autem Principes ex flagitiosis certis arcanis (in quibus magis infirmitas, quàm igniculi generosæ mentis elucent) atrociam quæque, occultis machinationibus, omnia ex insidiis perpetrant, nullâ Juris Jurandi reverentiâ, nullâ legum curâ, nullâ foederum religione. Ectypon expende in Ludovico VI. Franciæ Rege illo, cunctis terribili, nemini charo, profuso in malos, tenace in bonos, omnibus oneroso, in vectâ in regnum tantâ inopiâ, ut rustici aratro de collo suspeso terram sulcarent. Auro licitabatur magis, quàm bello aliorum Principum capita. Diu meditabatur Proceres omnes opprimere, omnëque

que regni potestatem præter suam relegare. Totam fefellit Europam, vicinos maximè, infensus nobilibus virisque optimis; addictus pessimis & villissimis. Illi pro fide erat ambitio, pro Jure jurando imperium, pro religione cupiditas. Bittungum Ducem fratrem pro mancipio habuit, assumpsit autem in regni socium vile mancipium Barbitonforem. Ringebatur livore in ipsum filium, quia scivit successorem, & ne major patre fieret, in tenebris educavit, sine Pædagogo, sine litteris. Sævitia in eo supra modum hominis Christiani, & Franciæ Regis: ut carcer, cavæ, ferreique globi loco clementiæ & veniæ, essent. Denique (ait Galliæ scriptor) qui Ludovicum Tyberium, christianum, vel francicum, dixerit: dignè exscribet virum: quippe ille delibavit omnia romani vitia Tiberij: quem Tacitus simulatorem dixit incomparandum, & sicut Augusti arcanorum imitorem, ita omnium flagitiosarum artium unum & primum authorem. Hæc de primi generis arcanis flagitiosis.





## CAPUT IV.

*Arcana media & ambigua.*

1. **S**ecundi generis arcana inania & simulacra imperij, & dominationis Tacitus voluit. Alij machinamenta, involucra, speciosos prætextus dixêre. Non quidem in se flagitia sunt; sed his contermina. Exigit aliquando vel necessitas inevitabilis vel evidens ratio publici boni, ut Principes agere, quædam debeant, quæ alias se egisse non vellent. Tacitus exprimit: quædam vitractata, quod cæteris sit quies. A Justitia in parvis negotiis deflectere non verentur, ut eam salvam habeant in magnis. Exemplum do: concitato populo uti negare iniqua, periculosum; ita utile est vanis promissis continere & placare furentem. Intempestiva quandoque sapientia est, crudelis clementia, honesta prodigalitas, veneranda simulatio, justus astus, sancta calliditas; si ejusmodi expendantur ad trutinam, vel necessitatis, vel utilitatis publicæ. Orare sanctum opus est: sed pro republicâ laborare, aliquando sanctius. Circumstantiæ actus humanos multùm variant. Lex divina est in se inmutabilis; ad objecti

tamen mutationem mutari potest, non quidem subjectivè, sed objectivè, ut volunt Theologi. Media quædam sunt inter vitium & virtutem: imò inter extrema virtutis & vitij, maxima prudentia relucet. Quod in privatis crimen politicum, in regibus virtus est regia. Imposturam aio, ubi privati palam laudant, quò cautiùs decipiant. Apud Imperantes verò artis est, demulcere laudibus eos (præcipuè potentes & audaces) quos morti destinârunt: ut quantò sui securiores, tantò incautiores reddantur, citiùs subvertendi. Multi honoris specie in aulam vocati, unde vivi nunquam exiêre. Leones & elephantés nullâ vi, magis illecebris capiuntur. Sic Mucianus processit cum Antonio: quem cùm ille palam opprimere nequibat, multis in senatu laudibus cumulatam secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentat; simul amicis ejus tribunatum, præfecturasquè largitur. Dein, postquam inanem animum spe & cupidine impleverat, vires abolet.

2. Ut ad effectum consiliorum suorum veniant Principes, multa oportet, simulent inviti, dissimulentquè cum dolore. Non idem om-

Cic.  
lib. 10.  
Ep. 9.

mnum Gentium mos, non eadem tempora, non  
 circumstantiæ pares. Non volunt moderni,  
 quod antiqui ultrò sequebantur. Veterum  
 Politica apud nos transfret in satyram & fabu-  
 lam. Quanti irriderentur cum Musonio, si, ut  
 iste olim, martialibus viris stoicam vitam, & disci-  
 plinam svaderent. Connuendū alienis geniis,  
 tempori, statui, hæcquæ in proprium usū conver-  
 tenda. Plato inter Philosophos divinus dictus  
 lib. 5. de Republica docuit: crebro mendacio  
 uti oportere Imperantes ad commodum subdi-  
 torum. At hic non divinum se probavit Plato:  
 non enim decet, ait in sacris litteris Spiritus verita-  
 tis, Principem labium mentiens. Neque pro  
 gloria DEI mentiri licere tradit cum Theologis  
 Augustinus, cum hoc magis intrinsecè malum  
 fit, quàm furtum est homicidium &c. Verùm  
 intellexit fortè Plato. Mendacij nomine simu-  
 lationem, ambigua verba, obtectum animum,  
 stratagemata, captiunculas, & ejusmodi, quæ  
 vitio quidem proxima, illud tamen non sunt: &  
 ob conservationem individui, statûs, religionis,  
 aut alterius utilitatis publicæ, aliquando citra re-  
 atū exerceri queunt. Arduos Principis sensus  
 dixit Tacitus, & si quid occultus patrat, exquirere

illici-

illicitum, anceps : nec idèd assequare. Et licèt Aristoteles similia inter sophismata tyrannorum connumerat : valent attamen ex causâ salutis publicæ inter regnandi arcana computari, sed magnâ cum cautelâ. Adèd breve inter regias, & tyrannicas artes confinium est.

3. Alexander M. exemplo & verbo docuit, non solum quòd tres orbis partes, ut victor emensus fuisset, sed etiam quòd aliquando palam dixisset : sicut in corporibus ægris nihil, quòd nociturû est, Medici relinquunt : sic nos quidquid obstat imperio, recidamus. Tanti regis ductum sequuntur etiamnum illi Principes, nostrâ ætate, quibus proprij status angusti, alia ex alio bello quærunt regna & principatus ; causam adstruunt ex Dione Halicarnassæo agente : ratio imperiorum est, ne noceri possit. Præveniunt nocituris, nec culpâ existimant, quòd pro tutela statûs suscipiunt. Nemo expectat ictum, quòd peti potest : reverberat protinùs, ne cedat cædenti. Discrimen ingens est præstolari hostem victoriosum & tumentem, usquedum nos obruat. Maturè exundationibus struenda repagula, actum jam est, cum proximus ardet paries. Melius est occurrere in tempore, quàm post exi-

tum vindicare. Bellum denique justum esse, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla, nisi in armis, spes refulget. Sicquæ uti tyranni, iniqui Principes armorum jus ex dominandi libidine aliisquæ tyrannicis principiis desumunt: ita prudentes, & cauti ex metu vicinæ potentæ, aliisquæ politicis, & rationalibus finibus belli causas comminiscuntur. Illæ iniquæ quidem; hæc ambigæ, occultæ, abstrusæ. Aded breve inter justum & injustum bellum discrimen est: aded prætextus hi contermini flagitio, aded ambigui, ut necessitate & causâ boni publici jam culpari, jam excusari valeant.

4. Sagaces Principes multa indulgent suis, sed obtegunt hamum escâ. Hæc iuvitat, ille ferit. Concedunt namque amplitudinem potestatis in speciem, sed capitulationibus & instructionibus, ac reservatis eatenus modificant vires, & præcidunt alas; ut eâ amplitudine nec inolescere, nec potestate in propria emolumenta uti valeant. Adhibent illos in communionem consilij; sed eâ animi ostentatione, ut sensa Principis sequi jubeantur. Viros sensatos & liberioris animi remouent â magistratibus: mediocres & serviles in partem imperij adhibent: sequæ ita fingunt, ut  
 pro-

proceres se negligi, præteriri, contemni, aut à publicis penitus excludi non animaduertant. Interim re ipsâ nihil communicant, nisi, ut Tacitus de Augusto & Tiberio refert : inania & simulachra.

5. Metui quidem & diligere ambiunt : sed cum difficillimum sit utrumque simul attingere ; multò timeri, quàm amari tutius, existimant. Ex arbitrio subditorum pendet amor in principem ; metus autem ex arbitrio principis. Principes verò argutiores & obiecti eò potius connituntur, quod ex ipsis ; & non eò, quod ex subditis pendet.

Machi-  
avellus.

6. Hinc amicitias privatorum, vel parùm confidunt, vel planè diffidunt : æqualium autem colunt, sed ita ; ut inde resilire semper tutò valeant.

7. Si aliquando ex dubiâ, vel prætextâ causâ ex magnatibus quispiam morte affectus : tunc filiorum curam & coniugum habent : neque eorum facultates atrectant. Quia ndrunt posteros magis angere perditione patrimonij, quàm patris, sicquæ ultionis periculum elidunt.

8. Ut statum firmiorem habeant, imperentque tutius, dividunt aliquando civium animos

tam suggestionibus, quàm æmulationibus. Ne videlicet factiones in Republicâ conciscant, vel quidpiam seditiosum adversus Principem moliantur. Divisi siquidem cives, sibi invicem diffidunt, & ex diffidentia mutua non facillè conspirant. Sicut enim adversus consentientes nec Rex quisquam satis validus, neque Tyrannus sat potens est: ita, ubi illi divisi, facillimè à Tyranno opprimuntur, & à legitimo Rege magis absolutâ authoritate reguntur. Redolent hæc parumper tyrannidis naturam: attamen ex necessitate publicâ, & in conservationem statûs, moderata aliqua, citra fraudes & flagitia, inter quosdam (maximè illos præpotentes) divisio continebit omnes immoderatos motus adversus regnantem. Præcipuè verò pacis tempore: ut fermè Italiæ Principes Gibelinorum & Guelphorum non ita pridem extinctas factiones, fovere hoc sine videbantur; ne indigenæ otij, & pacis tædio arma in Principes arripuissent. Æstuante bello omnis divisio civium est reipublicæ non exiguum periculum.

9. Cum verò ejusmodi statistici Principes seditiones metuunt, & eas prævident, maximè si ex fastû, potentiâ, opibusquæ civium supponantur,

tur oriri posse; tunc præoccupare solent, infringendo illorum vires, subtrahendo subsidia, imminuendo opes; eâ ratione, ut, quod satis illis relinquunt, demptis superfluis, & in luxum vergentibus. Pro quo varias comminiscuntur causas, vel publicæ necessitatis, vel etiam privatorum delictorum &c.

10. Conforme hoc tyrannidi est, sed sæpè id alicujus gentis vel cervicositas, vel quietis publicæ ratio exigit. Egeni siquidem vix insolescunt, vel saltem non diu. Provincialium paupertas semper se flectit ad dominantis arbitrium. Interim nil magis comendat majestatem regnantis, quàm ubertas soli, opulentia subditorum, & procerum magnificentia. Si tamen ea suspecta: utiliùs est ex horum opibus exercitum colligere, & alere ad defensionem sui statûs, quàm miserorum & inopum expilare domos, intactis potentioribus.

11. Nec minùs curæ habent cauti Principes in exstruendis munimentis, & fortalitiis, ut asylum habeant, in quo securi spem omnem eludant sive domesticis, sive externis insultatoribus. In Populosis urbibus id fermè necessè, & jam consuetum est. Inde continentur in obsequio sub-  
diti,



diti, nec hostibus longam in Provinciâ moram permittunt, ex quibus veluti equo Trojano continuè pulsantur, & infestantur. Attamen non odio haberi à subditis, fortissimum omnium munimentum est, & tutissimum satellitium: nec ullam aded validam arcem credo, quæ invisum populo principem, sat tueri valeat.

12. Ided mali etiam Principes, odium suorum populorum à se avertere, summo studio conantur: ac proinde ea, quæ odiosa in se, aut odiosum & contemptibilem reddere valent Principem, nunquam ipsi per se tractant, sed aliis tractanda & exsequenda committunt. Imò aliqui, ejusmodi sceleris ministros, ut se extra suspicionem ponant, planè è medio tolunt: ut Tyberius cum occisore Agrippæ egit.

13. Dexteritas versandi civium animos pars magna artis regiæ est. Offam, escam, illecebriam cuiquam appropriatam offerre, ad res agendas, & consequendos fines ingens adfert subsidium. Non amplius nuda fides est: aurum operimentum ejus. Munera Deos placant, homines corrumpunt: os veritati claudunt, secreta animi aperiunt, intima penetrant: nihil illis imperium nihil inaccessum. Hujus artis facile  
Princeps

Princeps fuit sæpe memoratus Ludovicus XI. Franciæ Rex, qui plerumque alieni juris, homines corruptit, depravavitque, hâcque machinâ pleraque egit ex arbitrio suo. Præter largitiones, promissa, affinitates, etiam dissimulata crimina mirabiliter homines inescant, obligant, & in Principis usum mancipant. Qui sibi alios obnoxios habet, tutè imperat. Nunquam tamen Principes extremam necessitatem expectent, ut videantur quasi teneri in subditorum vota ire, eosque inviti demulcere beneficijs. Arrogantia inde crescit in subditis, magnum Regiæ authoritatis offendiculum.

14. Fidem quidem servare Regiû, interdum tamen violare necessarium putant Statistæ: nec id nos dicere veremur, sed sano in sensu. Quis nefas existimabit frangenti frangere fidem? inîq; datâ non servare: indebitè, id est, contra jura Coronæ, aut leges Regni fundamentales pactam declinare; conditionatam cum causæ cessant, jure revocare; promissam ex metu, infirmare? perfido fidem negare, non est perfidia, sed justa defensio. Sæpe aditum nocendi perfido præstat fides. Pacta Reges tenent, non semper Regna. Extortæ promissiones, ubi vis & metus præterijt, facilè concidunt.

dunt. Ratio publicæ necessitatis est in eluctabilis, omnem obligationem exsuperat citra perfidiæ notam. Lubrica tamen Regum fides, ubi pro causis prætextus adducunt, & argutè fallendi artem in votis habent: quibus pactum, non pactum est: non pactum, pactum est, cum illis lubet. Hocque factis magis, quàm verbis comprobant. Nemo enim vult videri malus, sed esse pauci erubescunt. O Artem ævo nostro nimis communem.

Lipsius 15. Ex sensu Veterum fortè legitimam, qui crimini non duxerunt objecto errore aut mendacio, alios in sua commoda inducere: sed jure divino prohibitam, ut sapiens fatur: ne velis uti mendatio ullo: nunquam enim prodest frequentatio illius.

Eccl. 2.

16. Religionis quoque, an specie, an veritate? multum utrâque proficiunt regnantes: ut ferme olim Romani, qui jactatis oraculis, Sybillinis libris, & ejusmodi in omnem partem flectebant multitudinem populi. Religio à Præconibus verbi divini annunciata populo, cum zelo & fervore, fidos etiam Principi efficit subditos. Romani olim simulabant causam publicam magis ad DEOS, quàm ad se pertinere; unde per  
Flami-

Flamines populo minabantur DEOS visuros, ut ait Florus, ne sacra sua polluantur; seridque videndum, ne aliqua in Republica clades obveniat; Quo audito omnia pericula spernebant Cives, in subsidium opes ultrò offerebant, litabant Dijs &c. & plerumque, ut Livius memorat, omnia illis prospera eveniebant.

18. Velint superi! ut nostri Principes religione aliquando nō abuterentur in fines privatos: ne vè cum Machiavello fictam ne? an veram? ut videlicet ratio rerum in præsentia fert, ambidextri exciperent. Hanc verò politicam religionem haud didicere à Romanis; quibus illa non erat commentum aut arcanum inventum statûs, uti Machiavello, sed revera solida quædam de ea opinio, conservandæque ejus operosa ratio. Ita enim testatur Valerius maximus: quod omnia post religionem ponenda semper duxerint, quam in quibus sumæ Majestatis decus conspici voluerunt. Quapropter non dubitarunt sacris Imperia servire: ita humanarum rerum felix regimen futurum existimantes, si Divinæ potestati bene & constanter famularentur. Si sic Ethnici; num aliter Christiani?

18. Vigilantiam statisticam in eo reponunt Im-

perantes: ut prævideant statûs pericula, & licet nunquam exitura, avertant tamen eorundem occasiones, licet cùm incommodo aliorum, dummodo indè habeatur certitudo securitatis, aut utilitatis publicæ. Romani Capuanis omnia jura, magistratus, consilium, imperium eo fine abstulerunt, ut impotentes & inhabiles eos redderent quidpiam adversus Romanam Rempublicam moliendi. Nulla injuria est insolitam privatorum potentiam frangere, imminuere; sed præoccupatio quædam turbarum publicarum. Exacta prudentia est præfecturas provinciarum non committere viris nimium potentibus, nec sat perspectæ fidei. Errarunt in hoc Hispani in Orangio. Tutius est ejusmodi ministros coràm, & in præsentia habere, ac honores illis concedere conspicuos & titulos, sed vel onerosos, aut nullius emolumenti Magistratus, si temporanei sunt, nec prorogare præsentis, nec iteratò vacaturos iisdem tribuere expedit. Et hoc quidem sub prætextu quietis, & vacationis à laboribus pro Republicâ exantlatis. Unius ex diuturna potestate insolentia sæpe exitio fuit omnibus. Nunquam committenda provincia administrationi illius, qui jus aliquod prætendit in illam. Ar-

tes ejusmodi mediæ sunt intra extrema vitij & virtutis.

19. Aristoteles notat latere quandoque corruptiones in statu, & quæ non tantæ apparent: interim per negligentiam & fœcordiam Imperantis mutatur improvise status Reipublicæ, cum ad potestates assumuntur illi, qui præsentem Reipublicæ statum oderunt. Neque obsistit, quin etiam propter dubium animum exarmare valeant Imperantes suos Cives: quia certissimum: ubi arma, ibi robur; & consequens potestas, vel Imperium. Pompeius & Octavius Romani cives mira ausi, ac summa quæque consecuti sunt privatis consilijs contracto exercitu, utilitatem prætendentes Reipublicæ, quam tandem deperdiderunt: quis enim nesciat cives feroces, armis instructos & assuetos facile rebel-  
lare? id illæ Belgij, & Galliæ seditiones multoties comprobarunt.

20. Diffidunt autem Principes suis civibus tunc maximè, cùm grande aliquod facinus suscipiunt: uti hisce, quibus scribo diebus, Bavariæ dux Emanuel, cùm Cæsari & Imperio refractarius, Galliæ partes susciperet; sive dolo, sive vi occupatis Ulmâ, Augustâ, & alijs Imperij urbibus,

exarmavit illicò illorū cives armis, deinde etiam crumenā, tandem ipsis munimentis: aded, ut subPatriotā hoste vix aliās tantam habuerit ruina Germaniam, quàm sub Bavaro. Alexander postquam Philotam occidisset, illicò ad omnes aditus disposuit Equites, ac itinera obsedit, ne quis ad Parmenionem, qui tunc Mediæ, magnisque copijs præerat, euaderet. Qui odiosa agunt, diffidunt omnibus, & ipsos verentur amicos.

21 Ex hoc diffidentiaæ arcano Julius Cæsar, cum Romæ Imperium invasisset, sanxit: nè quis civis major 20. Annis, plus trienniò continuò Italiâ abesset: nè quis Senatoris filius peregrè proficisceretur: quod etiamnum veneta Republica observat. Ne videlicet ejusmodi, machinari quidpiam valeant adversus se, & præsentem Republicæ formam. Ex eadem causâ sub Augusto & alijs Imperatoribus non licebat largitionibus studia militum, præsertim satellitum conquirere, præmiare, aut stipendia augere præter solum Principem. Quid enim privato homini, quid senatoribus, quid Togæ cum Sago? quid cum militibus? Quos neque dicta, nisi Imperatoris; neque præmia & stipendia, nisi ab Im-

Imperatore accipere par est. Hoc ipsum etiamnum Porta Otthomana inter statûs sui maximas recondit. Ejusmodi diffidentia securitatis Regiæ optimum est satellitium : videlicet prævidere, prævenire omnibus, quæ vel regiæ authoritati, vel vitæ nocere possent.

22. Altera pars diffidentia est : nihil, nisi quod in oculos incurrit, & manifestum est, credere. Plurimorum in Republica malorum credulitatem facit causam Seneca. Ego Arcanum dico : paucissima credere, omnia cavere. Utrumque tamen in vitio est : & omnibus credere, & nulli. Omnia autem cavere, nihil cum vitio habet.

23. Periculofum etiam existimant Principes : si quis ex eorum subditis nimia clientum, amicorum, servorum multitudine emineat, polleatque. Id olim exitio fuit Seiano sub Tiberio : & posteris temporibus Guisio Duci sub Henrico Franciæ Rege, & centum alijs, qui exinde de affectato Imperio non semper convicti, suspecti tamen, luerunt pœnam ( ut erant ) sæpe fontes, aliquando infontes. Quod si non neglexissent Romani in Pompejo, Antonio, Julio, in hæc usque forte tempora staret Respublica, avitæ suæ innixa libertati. Ideo Atheniensium & Ephesiorum



orum Respublicæ induxerunt Ostracismum ; cuius hæc erat lex : Nemo de nobis unus excellat : sed si quis talis extiterit , alio loco , & apud alios sit . Sic in præmium cessit virtuti exilium , quod reverà indignum est , licet aliquando utile , sed non rarè etiam periculosum . Exul Medicæus , Florentinus Patritius ( si fides gravibus scriptoribus Latijs habenda sit ) tantùm sibi comparavit apud exteros virium & gloriæ , ut redux facilè Rempublicam opprèsserit , factus ex Cive Princeps , hâc ætate potentissimus in Italiâ . Tutius Leones servantur in caveâ , quàm in aperto campo . Clarorum virorum exilium plus illis confert libertatis , quàm disciplinæ . Unde sapientissima Venetorum Respublica ( ut refert Jovius ) neminem temere ex patria dimittit : sed eos qui insigni virtute , vel spiritu in rebus gerendis cæteros antecellunt , aliquantisper reprimit , nec nimio plùs crescere , vel collectâ gratiâ potentes fieri patitur . Hoc providæ artis & politiciæ arcanum est : Ostracismus verò flagitium contra omnem humanitatem moralem . Aliud est augmenta impedire ex præsumpta causa , aliud totum exinanire ex nulla certâ ; nisi ruinæ causam legitimam , virtutem velis . Non si-

nunt Imperantes famam gloriámque rerum gestarum, ut privati in se trahant, licet isti ductores fuerint, & Authores rerum magnarum. Destruí non solum per hoc fortunam suam, imparesque tanto merito se alijs credi, non vanè existimant: Verùm etiam metuuut, ne illi, qui cum Principe de gloriâ contendunt, etiam solium ipsum, & purpuram affectent. Quibus ex arcana arte statûs Imperantes omnem remoram, ne evanescant, objiciunt, vel planè opprimunt; vel cum Alexandro tacitè indignantur: vincente Antipatro suæ fuisse demptum gloriæ, quid quid alienæ cessisset.

Curt.  
lib. 6.

24. Affinitates nimix vel cum externo, vel domestico Regio sanguine, vel alia potentiorum connubia, ex quibus privatis accedunt magnæ vires, & clientelæ, Imperantibus sunt suspecta: quia rarè accidunt, quin successu temporis, vel alteratio succedat Reipublicæ, vel ruina contrahentium: ut in Regno Angliæ diù vidimus. In thalamis nuptialibus non tantùm intervenit formosa Venus, sed sæpe Erynnis illa scelerum, ultionúmque meditabunda Mater. Magna audent privati ex affinitate, contractâ inde cum Imperantibus familiaritate.

25 Stiliconis exemplum refert Æmilius: Is in magnis opibus Comes, ut perturbatis rebus occidentis Imperium ab Honorio legitimo ejus Cæsare, cujus ille tutor & focer erat, in domum suam ad Eucherium filium pertrahere posset: cum in pace novis rebus, & nefarijs consilijs locus non videretur; Vandalos, unde oriundus, erat, Alanos, & Suecos, & Burgundiones ad Gallias devastandas ultrò excivit, coactique sunt Franci tot simul gentibus nequaquam pares, in præsens rerum furori cedere, &c. Ita videlicet privati temere in Magnorum Principum affinitatem adlecti supra privatam fortunam esse gestiunt. Quod Tiberius in Sejano prævidit, & præcavit in tempore. Sapientes Principes ex ratione statûs disponunt Potentiorum, Magnatum præsertim, qui ex domo Regnatrice sunt, matrimonia.

29. Insidiantur etiam Principes non solum populari libertati, seu etiam Regnorum & Provinciarum privilegijs, & immunitatibus, vel antiquo Jure habitis, vel noviter in capitulationibus concessis; quasi ejusmodi privilegia cum Regia & absolutâ Majestate subsistere non valerent. Dixi, insidiantur: quia aperto campo

vix contra illam insurgunt, nec facillè audent: cùm pro re nulla magis, quàm pro libertate decertent gentes: sed certâ aliquâ simulatione, quasi libertatem tuerentur: vel prætextâ obliquâ causâ, sensimilli, & per partes detrahunt, mutilant, derogant, ut populus servitutis suæ initia, non prius advertat, quàm se in hanc penitus redactum experiatur. Tres illi primi ex statu libertatis ad unius arbitrium devoluti Romani Imperij Conditores, Julius, Augustus, & Tiberius, ejusmodi simulatis artibus, ut alibi diximus & dicemus, dementabant populum: videlicet non ferendo se Reges dici; assumendo Specietenus in consilium Senatores, jungendo sibi in Consulatu socios, ac alia ejusmodi, obijciendo Veteris Reipublicæ simulacra & inania; ne præsentem, quod unicè verebantur, & sedulo avertebant, statum fastidirent. Interea sensim sibi quædam singularia arrogabant, publica munia in se trahebant, & cùm neminem sibi adversari viderent, liberrimam gentem servitute perpetuâ opprefferunt ex arcano illo statûs: Interest quieti publicæ, ut unus imperet.

39. Non nulli etiam Principes Lupanaria publica tolerant, & inde aliqui quæstum habent.


Non tamen in opprobrium honestatis, aut turpis lucri causa: Sed veluti majoris mali remedio succurrunt honestati publicæ. Et si quandoque aliqui tributis lænas & lænones onerant, id ideo fieri credo, ne planè impunè abeat turpis lascivia.

31. Alia quoque vitia, & publica crimina, conniventibus oculis, discreti Principes aspiciunt; non tamen idèd probant: sed quia secùs quies Reipublicæ turbari posset; tolerant, dissimulant, vel in melius tempus differunt. Non semper tempus est censuræ. Nimijs aliquando remedijs incenduntur magis flagitia. Inveterata vix emendari possunt. Sæpe lenitate magis, quàm suppliciorum severitate medemur malis. Principes eâ conditione sunt, ut sicut Juris arbitrium in suo sensu habeant, ita gratiæ beneficiũ semper indulgere valeant.

32. Inter has abstrusas, & ambiguas artes, etiam illud, quod D. Augustinus in Psalmum quintum commentans dixit, computandum est. Nimirum esse genera quædã mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa. Inter hæc connumerat Justus Lipsius corruptiunculas, deceptiunculas, idquè tunc saltem, cùm à bono legitimoque Rege con-

tra malos adhibentur Boni communis causa. Superfedeo ulteriori interpretationi, positus tam infra auctoritatem tanti Ecclesiæ Doctoris, quàm integritatem Lipsij in doctrinâ Civili fati profundi.

33. Pro coronide subjungo illud verè statisticum à magno statista: Princeps non nihil domitus, Populus non corruptus, Optimates penè exhausti, Regiminis genus constitunt.



## CAPUT V.

### *De Ratione Statûs.*

I. **D**iximus Rationem Statûs Arcanum Juris privati derogatorium; Excessum Juris Communis honestum, denique unicum Imperantium privilegium. Hujus igitur artes sunt ipsa Jura Dominationis & Regni, quæ in æquo Principis arbitrio consistunt & supra omnes Leges privatorum sunt, & omnibus ijs derogant citra flagitium, si ex necessitatis, aut utilitatis publicæ normâ expendantur. Sic ubi omnes,

vel multi deliquerunt, Ratio & Justitia vindicativa quidem exigit, ut omnes puniantur: at verò utilitas publica obtendit, ne status priveretur egregijs civibus, vel periculi majoris mali causâ non finit omnes mulctare, sed aliquos tantùm pœnâ afficere, extenso ad omnes metû.

Sontes non prævio processu tollere regulariter iniquum est; Imperantibus tamen reservatum cum notoriè reis, & unâ metuendis nec quidpiam morari. Ejusmodi in Jus non sunt vocandi, sed velut hostes puniendi. Cùm contendere nequitum est, clam intendendam plagam suggerit Poeta. Hæc Imperandi conditio est, ut non aliter ratio constet, quàm si uni reddatur. Absolutum Imperium leges præcipit, non accipit. Jura Majestatis uni competunt non pluribus: neque alij ea tractent, nisi penes quos est Majestas, vel ex commissione Majestatis. Pancetus Regi Gallix instar arcani Regij hoc dedit: Imprimis publica Regni Comitia, quæ tantùm ad firmandam ordinum Potentiam spectant, omnino prohibenda esse, & severè castigandi, tanquam quietis publicæ perturbatores, qui ad illa provocabunt.

2. Salus denique Regis & Regni inter politi-

cas suprema lex est, huic subalternari in obsequium debent omnes aliæ leges politicæ privatæ. Privata sæpe officiunt publicis: Non autem reflectendum ad particulares, ubi universorum salus controvertitur. Nôrunt Principes quod ex Reipublicæ commodo sit. Hoc Jus Regni & Dominationis est, & ex hoc Jure Regum Imperia, subditis sola obsequij gloria remansit. Vatis effato.

*Non eadem Vulgusque decent, & Culmina rerum.*

3. Quod tamen absolutissimum Jus in duobus præsertim casibus, necessitatis nimirum & salutis publicæ admittitur: & restringitur intra sphæram Juris Divini, & Naturalis. Quidquid extra hanc suscipitur, non Jus Dominationis sed flagitium est. Quidquid olim Julij Cæsaris implacabilitati sedisset, id veluti fas, Jusque perpensum urgebatur. At nullum hoc Jus Regium, sed Potestatis Regiæ abusus est. Dignè ad ejusmodi excanduit Fabius: quid ergo attinet Leges ferre, quibus per eosdem, qui tulissent, fraus fieret: Jam regi Leges, non regere.

4. Porro Artes ejusmodi abstrusæ, occultæ, ambiguar, mediæ, ad Imperantes tantum, non ad subditos, ad Ministros publicos, non priva-



tos Cives spectant. Nec ad illos quidem nisi cum maximâ cautelâ, quam suggeret præter instinctum naturæ ipsa in humanis prudentia. Quid facies, quid non homini prudentia monstrat? ait Palinghenius. Sugeram & ego particulares quasdam, quæ tamen non aliunde, quàm ex fonte illo prudentiæ humanæ effluerunt.

5. Prima est: ut necessitas sit talis, quæ aliàs evitari non potest citrà periculum: neque con-  
fingi debet in ijs, quæ planiori viâ Juris absque iniqui specie fieri queant. Adde Scipionis Ammirati limitationem: quod si necessitas urgeret, ut ad non concessa remedia manus admoveatur; postularet æquitas, ut cessante necessitate illicitum cessaret remedium. Nulla necessitas est, ubi blandiente tantùm commodo Principis, ab æquitate deficitur. Necessitas commodum non respicit, sed eluctationem mali inevitabilis, hoc que excusat derogationem Juris: nec est tunc iniquitas, sed hujus tantùm species. Sed neque sincera necessitas illa censeri debet, ubi ejusmodi artibus abstrusis, & ambiguis, occultis, & lubricis in offensionem alienam, aut exaltationem nostram; sed ubi in defensionem, & conservationem nostri utimur.

6. Neque in consequentiam, neque in exemplum, neque in consuetudinem ejusmodi artes abeant; sed parcus & modicus esto earum usus. Abortus naturæ rari sunt, rariores Cometæ in Cœlis: Monstra & Gygantes vix reperiuntur amplius: nec sanguinem pluit frequenter Cœlum? nec continuè obscuratur Sol: neque terræ motus fiunt indies: quæ denique extra ordinem visuntur, rarissimè accidunt. Ita artes illæ abstrusæ, quæ rariores fuerint in Principe, tantò excusabiliore erunt in subditorum animis; nec famæ nocebunt facilè, sed admirabiliorem reddent Principem. Rara, & occulta curiosius excipimus, & facilè perferimus.

7. Conducet quoque, si Princeps ad ejusmodi artes, & extra ordinaria media suscipienda se quasi cogi videatur. Nequaquam gloriatur in illis, sed sibi & alijs veluti compatiatur. Non anhelet ad eas; sed cunctetur: lentè festinet cum Augusto Cæsare: Invitum se monstret, non minùs ac naufragi, qui inter syrtes & scopulos, ut cùm vita inde evadant, opes & sarcinas in vortices & profunda maris abjiciunt.

8. Et quandoque, si necessitatis ratio tanta non est, expediet leniora priùs probare remedia;

mitigare potius, quàm exacerbare supplicia; simplicitate potius conficere negotia, quàm duplicitate circumvenire negotiantes; præcavere, quàm occidere; excusare, quàm violare; minari, quàm mulctare. Crudeles artes voco, quæ puniendi causam habent, modum non habent. Abominor illas, quæ turpe non putant pœnis hominum, & sanguine pasci. Damno illas, quæ docent nulli planè credere, & omnibus diffidere. Execror illas, quæ necessitatem publicam prætendunt, ubi depravatis Principum affectibus omnem licentiam tribuunt. Nimiùs erat Tiberius in Seiano: & Parisiensis populus in Aneræi supplicio. Generosius fuisset Carolo V. occupasse Romam, quàm per effrenem suum Militem vastasse profana cum sacris. Absque modo inhumanum est, cum bene possis, malè agere. Nulla voluntatis necessitas est, ubi homini liberum est in utramque partem ire.

9. Altera cautela est: ne qualiscunque utilitas Augusto utilitatis publicæ nomine venditur. Sæpe enim privata est, vel impetus tantùm Regnantis; nam communis utilitatis derelictio contra naturam est. Et semper officio fungi censetur utilitati hominum consulens, & societati

tati prospiciens, Honestatem tamen nequaquam metimur utilitate, sed hanc honestam dicimus; cùm univerforum procurat emolumentum. Hæc immunem reddit Principem à prævaricatione legum, quas justitia præcipit; cùm in illius pectore recondantur leges omnes, Jusque eas abolendi, vel confirmandi, vel minuendi, aut declarandi: non tamen ex arbitrio suo, ut ille voluit, sed ex dictamine prudentiæ, quæ communem utilitatem omnibus antefert.

10. Tertia cautela, eaque gravissima est, ut reverà intercedat salus publica: nec in prætextum solum hæc allegetur. Tolerat quippe humana prudentia quædam absona ( quæ aliàs Principes agere minimè expediret ) si ad bonum publicum referantur: quasi hoc exfugeret ex illis, si quod virus alicuius malitiæ in se continerent. Salus illa populi, quæ legum maxima est; Majestas Principis, cui innituntur regna & imperia; conservatio Patriæ, cujus eadem cum aris, & focis ratio est, hanc prærogativam habent, ut eorum intuitu, quidam nævi & à virtute deflexus ( dummodo in flagitium non abeant ) vix aliquam Principi inurant notam: sic etenim ( ut Tacitus, in sensu tamen sano accipiendus dixit )

minore metû & majore præmiô peccatur. Agere siquidem causam publicam est opus verè Regium, aliquibus plane Divinum. Quod, si etiam obliquis artibus agatur, vel intendatur, non tamen facilè patebit oblocutionibus populi; quia illa causa communis, quam dum Princeps agit, omnium ora obtundit, omnium oculos infascinat, ut nec videant, nec contra ferri audeant, ex respectu boni, quod omnes tangit.

II. Hinc videmus omnia Regnorum, & Imperiorum primordia âb aliquibus Arcanis statûs, vel flagitiosis, quæ nos minimè probamus; vel abstrusis, occultis, & ambiguis, de quibus nostrum sensum jam aperuimus; cæpisse, suamque originem traxisse. Pluribus obtigit prætextus & species Religionis, quam plerumque insequēbatur crudelissima Tyrannis, aliaque flagitia. Rem hanc velut compertam tradit omnis historia. Othomanum Imperium, quod nostro ævo maximum est, erexit Machumetes vilis homo, per præstigia, & flagitiosas artes in immensum: morbum, quo laborabat, caducum finxit raptum in Cælum, ubi percipiebat divina jussa; sicut in terris per columbam (quam Archangelum Gabrielem dixit) cœlestia oracula. Ex his  
Al.

Alcoranum, sivè legem fundamentalem Imperij Othomani conscripsit refertum infinitis flagitijs, & superstitionibus. Et cum metueret à compilatore suo, & Amanuensi Abdola, ne proderetur ut impostor; à Religione ad flagitiū statū (Cæde, ne metuas) se convertit noctū occiso Abdolâ, ac hujus ex quatuor partibus accensâ, & in cineres redactâ domo. Altera autem die in Populum sparsit, Cœlestem ignem immissum in scelestum Abdolam, quod ille quædam ex Alcarono demere, & alia nova & inepta addere gestijisset: ultionem hanc fuisse divinam cœlestium oraculorum, quæ àb homine nolunt inquiri. Inde tanta Alcarano reverentia, tantâque Othomanis ex Religione Regionum incrementa.

12. Persicam Monarchiam cæpit Cyrus: Hujus primis incunabulis (vel ex vaticinio Harpangi; vel ex somnio Astyagis, quo videbat ex genitalibus filix suæ Mandanne Cyri Matris, ingentem vitis arborem, cujus palmite omnis Asia obumbrabatur, exurgere) Purpuram & folium in universam Asiam, quam deinceps felici Marte sibi subjecerat Cyrus, ominabantur Deorum oracula,

13. Alexander ille Magnus non minùs Religionis opinione & prætextu, quàm Victorijs armorùmque felicitate Græcorum constituit Imperium ( quod latè diffusum, universum prope orbem complectebatur ) se Jovis filium fingens ex Olympia matre suâ, sub serpentis specie à Jove compressâ progenitum obstetricante partum ipsâ Dianâ : quam de se existimationem famâmque corruptis auro Sacrificulis Ægypti, eò non solum provexit, ut eum ingredientem templum, statim ut Jovis Amonij filium, Sacerdotes salutarent : sed etiam per Parmenionem jussit in toto oriente templa dirui, ne videlicet cujusquam alterius nomen in oriente præter Alexandri adoraretur. Abhinc superiorem neminem habuit, parem neminem tulit, sublato planè, consciâ Matre, vero genitore suo Philippo, & amicissimo sibi Clyto ex æmulatione rerum gestarum. Sic nullâ re magis, quàm superstitione Populus trahitur. Sic profanata religio in rabiem transit.

14. Romanum quoque Imperium (quo aliud non majùs, non diuturniùs) cæpit, crevitque tã per arcana flagitia, quàm abstrusas artes; qualia erant Romuli prætensa à Divis origo, Remi

fraterna Cædes, Asylare urbis refugium perditissimis hominibus, raptus Sabinarum Virginum, impunitas Regicidij in Tatio: aliæque innumeræ crudelitates, quas immani suo fato complevit tunc Romulus, cùm in lacum se mergeret, ne posteri cadaver invenierent in terrâ, sed in Cœlum à Marte, cujus se filium ex Rheâ dicebat, assumptum crederent. Hæc erant auspicia Romani imperij: hæc in commentis & cædibus fundamenta Urbis Orbis maximæ. Datur quidem in his venia antiquitati, quod miscendo humana divinis, primordia Regnorum, Imperiorum & Urbium, ut Livius scribit, augustiora & venerabiliora faceret: feliciores tamen his Christiani Principes, quibus specie & figmento religionis non opus, cum veram habeant. An non operabitur plus res ipsa, quam ejus species? an umbra magis, quàm corpus? an fatuum, quàm verum.

15. Publica salus semper agitur, ubi citrà usurpationem instituuntur Imperia, & fundantur Regna, & Respublicæ; quia maxima Boni ratio est: disjunctam, divisam, & hinc illincque pallantem multitudinem populi, in unum conjungere, continere, regere. Id tamen sicuti præ-



præstigijs & flagitiosis artibus, sivè incipere, sivè continuare impium; ita sæpe expediens est præter legitimas & virtuosas, etiam abstrusas, ambiguas, & occultas (citra tamen flagitium) adhibere artes, ubi aliter finem optimum assequi planè non; vel difficilè datur. Sic magna illa Virago Semiramis Imperium Assyrium fundavit: Hæc primis initijs sexum mentita masculus credebatur, cùm scœmina esset. Et ut tegenda securè ac constanter velare posset, vestitum talem adinvenit, quo brachia & crura, pectúsque maximè velamentis, caput tiarâ cooperuit, & ne novo habitu aliquid occultare videretur, utve omnem à se suspicionem aveleret, eâdem vestium normâ populum universum indui jussit, quem morem gens illa in hæc usque tempora tenet. Ejusmodi flagitia non sunt, sed occultæ rationes statûs, quibus Principes ex prudentiæ dictamine in sui, suorumque securitatem citra synderesim uti possunt.

16. Idem tenendum in conservatione Imperij sive statûs proprij, & omnibus alijs Reipublicæ periculis & necessitatibus: quæ reverà in Regnantibus exactam prudentiam, obtectum pectus, vigiles in omnem casum oculos, cauta

responsa, astum, diffidentiam, simulationem  
 & ejusmodi, quæ vicina vitio, non tamen vi-  
 tia sunt, exigunt. Ait enim Valerius Maxi-  
 mus libro 7. capite 5. Quædam nisi fallaciâ ( fa-  
 no sensu astû ) vires assumpserint, fidem pro-  
 positi non inveniunt, laudémque occulto ma-  
 gis tramite, quàm viâ rectâ petunt. Omnia  
 magna Imperia, Regna, & status his artibus in im-  
 mensum crevêre, sequè in longû conservavêre.  
 Auftriacorum Monarchia multùm quidem de-  
 bet fortunæ & connubijs, sed non multò minùs  
 Arcanis artibus Rudolphi I. Alberti I. & II. Ma-  
 ximiliani & Friderici, sed præcipuè Caroli V.,  
 & Philippi Secundi, quorum latè patens Impe-  
 rium exsuperavit planè Turcicum Dominatum.  
 Et à Clodovæo indè, qui precibus Reginae Clo-  
 tildis illuminatus, Religione Christianâ susceptâ,  
 in tantam amplitudinem, tribus populis, Ro-  
 manis, Burgundis, & Visigothis suo dominio  
 subjectis, Regni Gallici pomæria extenderat,  
 usque in hæc nostra tempora. Subsequentes  
 etiam Franciæ Reges omnes, præsertim Ludo-  
 vicus XI. Franciscus I. Carolus IX. Henricus IV.  
 & Ludovici tres, ejusmodi abstrusis arcanis sta-  
 tûs usi, Franciam in eum, quem nunc propè

obstupescit Europa, apicem evexêre. Deflexerunt tamen illi, & hi omnes, cujusque gentis multoties, in depravata sophismata & abominabiles artes: sed vitia fuerunt ea Regnantium, non Regnorum.

17. Eadem salutis publicæ Ratio intercedit, ubi Imperantes quædam privilegia ac immunitates subditorum, quæ Authoritati Regiæ insolenter adversantur, interrumpere, vel sensim minuere, aut planè tollere gestiunt. Insolentia enim Populi inter gravissima Reipublicæ mala computatur: imò illius excidium est. Talia supponuntur concedi subditis, ut inde non insolentescant, aut insultent Regnanti; sed quietius & liberalius vivere, aut facilius obsequi valeant.

18. Iisdem passibus gradi licebit, ubi Principes magnum quidpiam & insolitum in Rempublicam invehere, vel in ea firmare statuunt. Ita Romani decimabant supplicij legiones (quod reverà multùm erat) ut suos à fugâ absterrent. Et ne servi insurgerent in dominos, cautum lege fuit, ut non occisor tantùm, sed omnes servi in ea domo in victimam mortis traherentur cum occiso domino. Quod severè observatum in  
morte

morte Pedanij Urbis præfecti ab uno ex suis servis interempti, in supplicium ided productis quadringentis servis. Aded Reipublicæ causâ, adhibenda severitas, & sic multorum saluti potius, quàm libidini consulendum fuisse rebatur Salustius. Crudeliora his acta apud Christianos. Quid D. Bartholomæi sub Henrico IX. dies occisione tantæ nobilitatis, Gallis non tam sacer, quàm cruentus? Arcanum fuit statisticum tanta crudelitas, licet atrox nimium (quia infantes cum fontibus rapuit in mortem) à multis tamen excusatum: quia à legitimo Principe factum contra hæreticos & rebelles, multis nominibus reos læsæ Majestatis: Doli non sunt doli, cum dolos dolis excutimus. Qui Regnum pacemque turbant, nec legibus in eos facilis ultio: an non talibus clam tendendæ pedicæ? an dissimulandum ultrò cum recidivis hostibus, à quibus id ipsum timebatur, quod illis accidit? Principes ad omnes solemnitates Juris, & processûs non obligantur. Ubi enim crimen est Majestatis manifestum, vel saltem de quo Principi certò certius constat: ubi ultio difficilis, vel non expediens: ubi cunctatio pænæ periculosa, vel Regno, vel Regnanti: tunc nihil derogatur justitiæ, si præte-

reantur solemnia illius. Catonis suffragium adversus Catilianam refert Salustius: cætera maleficia tunc perseguâre, cum facta sunt: hoc ( id est seditionis ) nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia explores.

19. Extat Vulpiani juris consultum in legem Valeriam: quo si fortè seditio prærupta, factioque cruenta ( qualis erat Nobilitatis præfatæ, quæ prius præsertim in Cortracensi prælio cruentiores clades intulit Regi ) vel alia justa causa moram non recipiant, non pœnæ festinatione, sed præveniendi periculi causa punire permittitur. Sic Rinco exul hispanus & Francisci Regis Galliarum apud Solymanum legatione functus nullâ injuriâ, Jussû Caroli V. à Governatore Insubriæ ex insidijs cæsus videbatur; quia inter Gallum, & Turcam fœdus contra Dominum suum naturalem confecerat. Sic Fridlandiæ Dux Egræ; Sic Cardinalis Hungariæ Georgius in Transylvania; sic alij alibi cecidère occultis machinis ex Ratione Statûs, quæ salutem intendit publicam præ omni privatâ. Sed

*Non sunt hæc dicenda palam, prodendaque  
Vulgo:*

*Quippe hominum plerique scelesti.*

Adnotat prudenter Palinghenius in librâ,

## CAPUT VI.

*Antithesis in bonam, & malam  
Rationem Statûs.*

1. **L**Anceam Telephi vulnera infligentis, eademque medentis hoc capite expediam; cum de ratione statûs bonâ & malâ specialius differuero. Hæc ferit bonum publicum, non conservat: quia ex Divino effato: per fraudes & dolum Regna evertuntur. Illa bonum publicum procurat, seque totam impendit citra omnem privati comodi respectum in conservationem illius. Aded ex uno fonte (qualem in Cappadociâ fuisse scribit Herodotus) promanat virus & medela, fel & nectar, flagitium & virtus, veritas & mendacium, fraus & integritas. Discrimen totius consistit in usu bono & malo, medijs honestis & turpibus. Idem utriusque centrum, idem apex, idem bravium est, nimirum Salus Populi: sed diversus ad ea trames, impius & æquus; obliquus & rectus. Ut in uno aliquo telo aut gladio, multum interest, à qua manu vibretur; sic in Ratione Statûs multum

facit, non tam quo fine agatur, quia idem utriusque est: sed quibus medijs intendatur, an Justis vel injustis? an manibus Esau, vel Jacob? Hoc illud necessarium est præ omnibus, & complementum quoddam Arcanorum omnium, **Rationē Statūs Veram à falsâ secernere.** Rem paucis aperio.

2. Falsa igitur Ratio Statūs est Consilium Arcanum, quo in omnem eventum sive benè, sive malè per quæcunque media salus & conservatio Reipublicæ intenditur. Ideo hæc statūs perversa ratio, non distinguit inter Justa & injusta, honesta & inhonesta media, dummodo utilia sint Reipublicæ. Sibi solum prospicit: libertatem, dummodo sibi conducit, omnibus tollit. Omnia sibi licere autumat, quæ statūs conservandi causa fiunt. Quemcunque DEI cultum admittit, tolerat: æterna contemnit, præsentia quærit: quia illa vix credit, hæc omni modo aucupatur. Aliud intendit, aliud agit. Specie virtutis obtegit vitia, dolum, fraudes, venena: seditiones inter artes computat Regnandi, fas & nefas illi idem est, dummodo finem assequatur. Quantum hoc in natura monstrum sit? rectè judicanti per se patebit.

3. Ex præfatâ Ratione Statûs sua principia eliciunt Ministri Statûs, quæ suis Principibus instillant sensim, & per partes instar toxici melle oblecti. Quia si illud in uno Scypho vel tractu propinarent, illicdè abhorrerent à tanta quantitate depravatæ doctrinæ. Idedè sensim tam in consilijs, quam in privatis colloquijs immiscent quasdam illecebras, prætexendo aliorum Principum exempla, felices eventus, utilitatem, gloriam, &c. quibus omnibus infascinant tandem Regnantium oculos, ut non priùs nefariæ hujus doctrinæ abominationem videant, quàm penitus jam animo illius virus conceperint, vix inde evellendum.

4. Ejusmodi principia ferme hæc sunt: virtutes, ut in se consideratas, non esse necessarias Principi; imò vix possibile Principi exercere virtutes veras: quia ad conservandum statum cogitur sæpe violare fidem, Religionem, &c. & pro varietate fortunæ movere vela, oblique, sinistrè: uti id requirit vel necessitas vel utilitas. Oportere tamen has virtutes fingere, simulare, atque ita externas actiones suas aptare moribus & genio hominum; ut, qui non est, habeatur, videlicet, Justus, pius, sobrius, vigilans, &c.



5. *Reipublicæ Salus suprema lex esto*: Ideo hujus causâ Ratio Statûs victimam omnem, sepositâ omni innocentia salutarem esse existimat. Vim tamen aliquando differendam, quando potiolem dolum arbitramur. Ubi Leonina pellis non attingit, necesse est Vulpinam affuerre. Quod plerumque turpe haberi solet, turpe non futurum, si vertatur in commodum vel Regnantis, vel Regni.

6. Regnandi causâ Jus omne violandum, eludenda per calumniam fœdera, venum exponendam Justitiam, Munia, & Magistratus, Magnates opprimendos, Legatos alienos ex insidijs violandos, occidendos, ne fungi valeant officio suo in incommodum statûs.

7. Et quia ejusmodi nefanda Principia magnis adjutoribus egent, eos Ratio Statûs in consilium adlegit, qui perversitati suæ applaudere, etiam exequi nôrint. Indolem suis molitionibus ac flagitijs aptam quærit, non virtutem, non probitatem; quia hæc personalis est, nec quidpiam confert ad consilia *Reipublicæ* bene administrandæ: cum ejusmodi moralia extra consulentem in rem alienam omnino ferantur.

8. Reges & Principes, absolutos vult esse rerum dominos, ided concedit illis pro necessitate publicâ, subditis Imperare, quantum libet, etiam auferre quovis modo, & ad sanguinem usque elicere, & obsistentes velut Rebelles plectere, mulctare, &c.

9. Si videat Princeps Regnum periclitari ob Religionem, de ipsâ valebit liberè statuerè pro conservatione statûs, hancque expedit interdum fingere, pietatèmq; Reipublicæ utilitati accommodare. Hinc concedenda subditis libertas cujuscunque Religionis, modò pareant legibus. Nam Ratio Statûs pro commento, & invento mero Politico continendi populum habet Religionem, aptatque sacra profanis, & non profana facris: sicque Religio Religioni servit. Sullius ille quantus statista Galliæ, tantus Zelotes pro Religione Calvinianâ fuit: & nihilominus Henrico IV. suavit, ut propter Regnum Galliæ, quod illi disputabatur, Calviniam linqueret, & Catholicam fidem susciperet. Mereri quippe dixit tam amplum Regnum Galliæ unius dimidiæ horæ Missam.

10. A contemptu Religionis transit ad Livorem, æmulationem, injustitias, fraudes, insidias,

dias, &c. Rimatur externas Potentias, & cum eas viribus & opibus crescere suspicatur, quam primum se opponit alienæ fortunæ, novos hostes in illam concitando, rebelles fovendo, &c. semper denique ab insidijs, usque dum vicinam Potentiam atterat, vel planè opprimat. Neque obstat pax, aut quodcunque pactum: quia Ratio Statûs hiscè non alligatur. Omnia Bella illi justissima sunt, si pro salute Reipublicæ suscipiantur. Nec auxiliare Bellum negligendum, si hostem metuendum eneruet. Id autem præ omnibus fatagit: ut omnium rerum Jus ad unum perveniat: ut diversi populi in unum coadunentur: ut Provinciæ externæ & liberæ proximo Regno innectantur, vel cæsis, vel proscriptis, vel clam sublatis legitimis Dominis: non parcit domestico sanguini, non externis Principibus: Insidias in omnes obices instruit, venena miscet & propinat, sterilitatem & abortus procurat apud æmulas familias, neque erubescit artem Pythonicam, dummodò Imperantis vel Regnatricis domûs commoda promoveat. O Artem auerno dignam! indignam generoso animo!

II. Porrò dicta omnia tribus ferme cardinibus

bus innituntur. Primò: quòd Salus publica ex ratione suâ ita pretiosa & digna sit, ut quævis, quæ ad illam conferunt, hoc ipso velut media à fine suo dignissimo dignificentur.

Secundò: quòd ad hunc finem consequendum magis profit astus, & calliditas, quàm vera prudentia; plùs dolus, quàm bona fides; potiùs flagitia, quàm virtus: Sic ferentibus rerum vicissitudinibus, & naturæ depravatæ imbecillitate.

Terriò: quòd ipsi Regnantes hoc sophismate imbuti sint: videlicet, se absolutos esse suprà omnes leges: sibi licere omnia, quæ libent: suum arbitrium stare pro ratione: Hoc inter subditum & regnantem discrimen esse; quòd iste liberè imperet, ille necessariò obsequatur. Anaxarchus, cùm Alexander magnus perpetratam in Clitum rabiem deploraret, nec solatia admitteret, ita compellavit lugentem: an ignoras Alexander, cur veteres sapientes justitiam assistricem Jovi fecerint? causam audi: quia nimirum quid quid à Jove decretum, id jure quoque factum sit.

12. En tibi in compendio perversam rationem statûs! at suspende, mi Princeps judicium, usque dum, qui abortum hunc Principis tenebra-

rum vidisti, etiam cognoscas generosam sobolem Angeli lucis! quod dum breviter ago, simul pessimo huic monstro larvam detraho, ut sub mentito salutis publicæ velamine, omnium viti-  
 orum Chaos intueri queas. Nulla participatio justitiæ cum iniquitate: nulla societas luci ad tenebras: nulla conventio Christi cum Belial: nulla vera prudentia cum malâ fide: nulla ratio statûs, quæ naturæ repugnat: nullus politicus, nullus verus statista, qui statûs rationem superædificat flagitio. Vera igitur statûs ratio est arcanum artis justè, ac sapienter administrandæ Reipublicæ. Quidquid enim usus Reipublicæ alicujus exigit, id ipsum est, quod ratio statûs postulat; neque aliud est ad rationem statûs dirigere consilia, quàm per media legitima promovere salutem illam publicam, quæ unicus scopus est imperantium, & administrantium Rempublicam. Salus autem publica consistit in recta conservatione Jurium Majestatis, sive in certis regulis, quæ non aberrant à primâ regula rectæ rationis. Rectè reges, si ratio te rexit. Media non qualiacunque adhibet, sed quæ in se honesta, justa: quæ secundùm DEUM, rectam conscientiam, & de genere licitorum sunt:

non

no nenim licent, quæ libent; sed quæ expediunt, neque adversantur legi divinæ & naturali. Reges & Regna originem debent DEO; ejus benignitate dantur, temperantur: ejus nutu transferuntur, tolluntur: jgitur ad normam primæ, & æternæ regulæ ea dirigi, ac disponi necesse est. Vera ratio statûs honestatem utilitate non metitur, nisi vice versâ. Sua tuetur citra injuriam. Aliena nunquam quærit, nisi apud usurpatores alieni. Religionem colit ut pupillam oculi Regnantis. Felicitatem, externaque bona Reipublicæ non dolis & flagitijs, sed justitiæ integritate, promissorum fide, unione Civium, industriâ, opibus, consilio, armis, veluti instrumentis & adminiculis procurat. An non hæc publica felicitas, sic quæsitâ, optabilior; quàm illa sceleribus, malâ fide, dissidio, & omnium odio comparata? mali proinde Doctores, & statûs illi ministri, qui primas partes præ virtute vitio, præ divinis auspicijs humanæ sapientiæ, & principi tenebrarum majores, quàm Angelo lucis vires attribuant. Erant isti, utfuêre innumeri cû Jerebamo, Ahabo, Achitophelo, Ammano, Seiano, Narcisso, Pallante in antiquo ævo; & alij in posteriori, & nostrâ ætate, quos pudet, & tædet referre

ferre, infelicissimi sanè mortalium.

13 Ex paulò ante descriptâ verâ ratione statûs sua quoque & saluberrima Principibus principia & arcana consilia deducunt boni statiftæ. Ea ferme sunt: Principi insistendum virtuti solidæ: hypocrisis turpis in privato, turpissima in Principe est. Aquilæ lucem quærunt, vespertiones tenebras. Nulla impossibilitas est non velle esse malum, nisi perversitas animi. Nemo cogitur in vitium, nisi à se. Necessitati statûs industriâ, vigilantia, consilio, labore, subveniendum. Venient pio Principi in auxilium cœlestes phalanges, daturæ illi victoriarum, & publicæ felicitatis præmium.

14 Ficta, simulata, etiam ethnioco Stoioco teste, nunquam diuturna, & exiguæ dominationis signa. Larva virtutis, si Principi Hypocritæ detrahatur, bustum apparebit invisum subditis, abominabile Deo, & superis.

Contra infensos Reipublicæ cautum, maturum, & exactum rigorem imperat ratio statûs, citra tamen læsionem innocentia. Quæ enim peccavit anima, morietur: non alia.

15 Simulatio, dissimulatio Principi utilis est, sed quæ citra mendacium, fraudes, & malam fidem

dem obtingit. Sicut enim verum est, quodd nesciat regnare, qui nescit dissimulare: ita divino ore irrefragabile est, quod Principem non deceat labium mentiens. Regum animus, licet candidus & sincerus, attamen sacrarij instar unicuique non pateat. Obtegere quidem debet Princeps pectus quoad arcanastatûs, consilia, expeditiones, machinas &c. quæ ex naturâ suâ arctius secretum exigunt: nullatenus verò ad fallendos subditos vicinos, fæderatos, nisi ipsi fallant. Qui dolo utitur, dolo circumvenitur: & disperdit dominus labia dolosa.

16 Recta conscientia nil obest Regnanti: tanti enim Principes regnarunt, sibi quàm optimè conscij: Constantinus & Carolus uterque magnus & Sanctus, Ludovicus sanctus, Henricus sanctus, Leopoldus sanctus, & alij innumeri, qui per optimas artes vel saltem non iniquas majora exantlarunt, quàm alij ex Machiavelli disciplinâ, indefinenter afflicti Synderesi, sive verme illo nunquam emorituro conscientia. Ubi agitur de ratione statûs, ipsa conscientia confert Principi saluberrima consilia. Quid aliud enim est conscientia, quàm dictamen internum rationis continuò homini suggerens, quid faciendum?



dum? quid omittendum? Decempedaneus ille error est: quod recta conscientia obsit publicis negotijs. Ratio quippe statûs Deo potentior non est, ut licitum facere possit, quod ex se malum est.

17 Salutem publicam etiam vera ratio statûs primam, ac regiam cynosuram Imperantium agnoscit, & statuit: eâ tamen ratione, ut subalternari debeat legi Divinæ. Undè nunquam licebit ea comittere salutis publicæ causâ, quæ contra DEUM, rationem, & honestatem pugnant. Regnandi libidine non omne jus violandum: non Naturale, non Divinum, neque jus Gentium, nec quidpiam, quod intrinsecâ malitiâ scatet, sinendum.

18 Vera statûs ratio non minùs, ac falsa absolutos rerum dominos admittit Regnantes: ast in salutem, non in expilationem subditorum. Pastores vult, non lupos. Principes, non Tyrannos. Etiam Principes dolo agunt, cùm iniuste accipiunt. Subditos tunc decipiunt, cùm insolitas collectationes, & tributa non eò impendunt, quò data sunt, sed in pessimos usus convertunt.

19 Quod falsa impiè concedit, negat vera statûs

tûs ratio Imperantibus, dispositionem nimirum in materiâ Religionis. Religio est extra Sphæram potestatis Laicæ: quia hæc sæcularis, illa spiritualis est. Temporales reges non amplius sunt sacrorum Principes, ut aliquando ( licet non semper ) fuêre in Gentilismo. Non deerunt Principibus alia media subtrahendi periculo regna, quàm Religio, quæ semper una eademque est, nec commentum esse debet politicum ad plebem continendam. In magnis periculis Religionis DEUS interponet causæ suæ remedium.

20 Religionem deinde fingere idem est, ac DEO fidem negare. Ejus dissidia sunt Regnorum excidia. Unita vinculum, dissoluta Reipublicæ est dissolutio. Libertatem Religionis tam parùm possunt concedere Principes, quàm licentiam omnibus publicè peccandi. Et sicuti publica flagitia dissimulare quandoque oportet, quibus corrigendis pares non sumus: ita libertatem Religionis tolerare fas erit, ubi gravissimè periclitaretur non solùm Respublica, sed etiam ipsa Religio. Simulare Religionem aliam nunquam possunt Principes: dissimulare suam, etiamsi aliquando auderent, nunquam debent:

quia, cùm absoluti sunt, neminem metuunt.

21 Æmulationes quoquè, inter Principes tolerat vera ratio statûs, si moderatæ sunt. Excitant hæ animos Regios ad majora. At immodicas, iniustas, violentas inhibet: quia in flagitium deflectunt. Inde bella oriuntur non necessaria, injusta, difficilia, DEO invisa, in humanitatem cruenta. Omne bellum non necessarium, hoc ipso injustum est. Bellum difficile Civibus intollerandum, Reipublicæ periculosum est. Expeditum esse ad quæcunque bella, famam Regi conciliat. Regno munimenta instaurat. Æmulationis calcar rarè gloria, sæpius livor est, & invidia. Sola æmulatione potentix vicinæ, ad arma rapi non magnanimitas, sed dominandi libido est. Metuere alios hostes, ne se invadant; & hostes sibi fingere, animi sibi malè conscij indicium; vel indigna Principe pusillanimitas; vel merus prætextus est: Suggestere bella, ciere factiones, seditiosis se jungere, in clientelam accipere alienos subditos, fovere, concitare, nunquam licet Principi, nisi contra manifestos hostes. Omnia siquidem jura, divina & gentium vetant aliena per vim invadere, turbare pacem, vel non indictâ causâ bellum inferre.

22 Pericula, quæ in materiâ statûs metuuntur, debent esse certa, inevitabilia, proxima; aliàs sunt meræ machinationes: et illa præverti, & præveniri debent omni quidem possibili modo, citra tamen justî prævaricationem. Fæminarum arma sunt astus & dolus, & vincunt plerumque, quia rarè timentur. Enim verò si Regna citra justitiæ violationem subsistere non valerent, sed necessariò oporteret salutem per fas & nefas procurare; injustus esset DEUS, qui eam fundavit, tam necessariò & inevitabili improbitatis malo obnoxiam. Plus dandum virtuti & industriæ, quàm ejus modi commentitijs cautelis prognatis ex merâ libidine alieni imperij.

23 Vera ratio statûs ad consilia, officia, Magistratus, dicasteria, Aulam, & intimiora conclavia Principum assumit viros probatæ, integræque fidei, justos, rectos, prudentes, rerumque peritiâ celebres, ac negotiorum publicorum capaces. Isti verè viri à virtute sunt dicendi. Præstabunt majora isti virtute & prudentiæ artibus, quàm illi Pseudo statistæ Sophismatum involucris, & inanibus prætextibus. Tutior regia via justitiæ, quàm obliquæ, & sinuosæ fraudium, malæque fidei semitæ. Regna ex effato divino conser-

vantur per justitiam, pereuntque per dolum, & nefas. Filij sæculi sunt filij tenebrarum: & humana prudentia non innixa Divinæ sapientiæ mera impietas est. Durissimum erit judicium ijs, qui rationem statûs præferunt legi Divinæ, vel qui plus se pollere autumant vitiorum, quàm virtutum auxilio. Derogant enim DEI potentia, cujus vires illis non sufficiunt, nisi suffultæ sceleratis artibus. Isti tales, veluti Gigantes olim, insultant Cœlo, mox præcipitandi in Erebum. Ubi nunc sunt illi Principes (quærit Propheta Baruch) Gigantes magna cientes bella, & qui dominantur super terram? Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt? respondet sibimetipsi Vates: *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Denique sapientia hujus Mundi, supra quam inædificatur falsa ratio statûs Stultitia apud DEUM est, ut gentium doctor edixit. Et apud hunc ipsum mundum, ut sæpe legimus, finalis conclusio, fabula, publicum ludibrium cum jacturâ animæ, bonæ famæ, subditorum, & regni.

24 Nunquam hanc Catastrophen tulêre illi Principes, qui veram rationem statûs præ falsa amplexi; sed, sicuti regnârunt diu, ita feliciter.

Et quantumvis multifarié, ac adversâ forte (DEUS quippe sæpius probat suos amicos) quandoque premerentur; errexerunt tamen se velut palmæ, & evaserunt auspice DEO mille insidias, pericula, grati semper DEO, & non minùs apud homines famâ celebres, & gloriosi. Ex veteribus promicat Rex David, Ezechias, Josaphat, Josias. Ex posteris Constantinus, Theodosius, Carolus magnus, Ludovicus sanctus, Rudolphus Habsburgicus, Ferdinandus primus, & secundus uterque Austriacus, alijque magni Principes, qui virtutē, religionē prætulērunt regnis & imperijs, eaque tamen conservarunt citra omnē injustitiæ, doli, aut malæ fidei notam, imperâruntque magnâ felicitate, infractâque fortunâ, integro animo. Non pridem vivum prototypon spectavimus Leopoldū primum verè magnum coram DEO & hominibus, tam amplitudine statuum & regnorum, quàm victoriâ & confusione suorum hostium gloriosissimum: & speciali hâc gratiâ, quodd spe ante non multos annos habendæ successionis, omni quasi abjectâ; nunc tam id sacro Imperio, & alijs hæreditarijs regnis & statibus, quàm in Hispanicâ monarchia suos videat successores. Licebit hîc Vaticinium, vel potius Josaphati Regis encomium ad Leopoldum

extendere. Fuit dominus cum ipso, quia ambulavit in vijs David patris sui, & non speravit in Baal ( intellige perversam rationem statûs ) sed in DEO: & perexit in præceptis ipsius, & non juxta peccata Israël ( id est iniqua principia statistarum ) confirmavitque dominus Regnum in manu ejus ( id est in posteritate & domo suâ per Josephum & Carolum ) factæque sunt ei infinitæ divitiæ ( si eas mali administratores non absorberent ) & multa gloria. Videlicet ex accessione bis revindicatæ adversùs Turcam Hungariæ, aliorumque statuum & regnorum, monarchiæ Hispaniæ, ex legitimâ hæreditate nuper fati extincti Caroli Regis Hispaniarum, frustra fremente in Aquilam Austriacam GalloFrancico. Hoc solum lugubre est, quod Catholicissimum, & probissimum hunc Monarcham, in causâ plusquam justâ, maximè Catholici deserant, & in hisce, dum scribo tempestuosis Europæ calamitatibus planè eum naufragari sinant. Sed ecce numen propitium! Reges septentrionales, Anglus, Dannus, & Prussus, tantique alij Optimo, & justissimo Principi opem ultrò offerunt, noluntque, ut tam grata DEO, & in Mundo emerita domus, totque Cæsarum Mater, sive Gallo-  
 rum

rum insidijs, five tepore & neutralitate Catholicorum intereat. Florebit, florebit illa ( non dubitate ) usque ad consumationem sæculi.



## CAPUT VII.

*De Doctrina Machiavelli in specie.*

I **A**ppendicis loco liceat ( ne quidpiam omisissè videamur ) Arcanorum Machiavelli extractum ex ejus libris omnibus, quod in rem præsentem facit, conficere, brevique gnomarum Anthithesi refellere. Comprehenduntur quidem ea in superioribus: sed promiscuè, & non ita clarè, vel distinctè, ut ex Authoris sensû profata ( licet â nobis in synopsis reducta ) non clariùs, apertiùsque patere possent.

2 In libro itaque primo discursuum de Republicâ, Romuli fratricidium & Tatijs cædem excusat, veluti boni publici causa patrata. At frustra boni publici causa prætenditur, ubi quibuscunque sceleribus repagula laxantur. Nulla historia aut Remum aut Tatum causæ publicæ reos commemorat: pretextus ille Romuli erat, & dominandi immodica cupiditas,



vido, ut ex ipsa Machiavelli, quam mox subjungit, ratione luculenter liquet: quæcunque enim ex bono fine facta collaudat, nullamque Rempublicam subsistere posse asseverat, nisi illa ab uno ( ut Romulus affectabat ) & solo dependeat. Sub scribo: **Si unus ille etiam à DEO pendeat.**

3 Religionem fovendam ibidem tradit, et si non usquè aded constiterit omnibus, quodd certa, veraque sit. Cùm id à sapientibus viris observatum esse noverit, quod in falsâ quoque religione miracula approbaverint falsa, si modò ea spectarent, ut hominibus religio quædam, ac pietas imprimeretur. Sed si falsa tantùm possit Religio, quantùm valebit vera & divina? Ubi veritas introducitur, dissipantur errores; ubi stabiliuntur cunabula rectæ fidei, ibi superstitioni paratur funus.

4 Rursus ait: si belli Dux post partam victoriam sciat, se ingratum Principem habiturum, reservet eam sibi forti animo, conciliet sibi milites: vel si hoc nequit, tollat: cum vicinis amicitiam contrahat: occupet munitiora loca &c. Hâc ratione ingrato Principi vicem rependere poterit.

Verùm plena sunt exemplis volumina, quòd Seditio-  
num euentus plerumque sit feditioforum ruina, immò non rarò  
excidium. Si enim DEUS dat Regna, etiam Regum suscipit curam, in quos  
rarus impunè rebellavit.

5 Monstrat deinde artem in statu Poliarchico quomodo is, qui ad puniendos aliquos ex opti-  
matibus evehitur, Imperium occupare valeat. Populum nimirum adversus optimates conci-  
tando, quibus sublatis facilè erit sive bonis, sive malis verbis illum in sua vota pertrahere, quia non habet, quò deficere possit. Accidere id quidem omninò potest: at Nullo modo de-  
cet per rebellia subditorum arma Re-  
gem nasci, cujus condendi suffragium sola sibi virtus vendicat.

6 Princeps, qui decrevit malè agere, bonos priusquam tollat; alios sibi devinciat, qui improbitatis suæ certi sint fautores. Non ita Principes, sed Tyranni, improbum So-  
cietate sibi stabiliunt solium. Rex poti-

us velit honesta. Major haud est Reipublicæ infelicitas, quàm malo Regi pares cives.

7 In libro II. discursuum de Republicâ suadet: amicos constituendos in aliena provinciâ, qui ad illam invadendam modum, & occasiones habeant patefaciendi aditum. Romanorum inde maxima augmenta. Campanorum operâ ingressi sunt in Samnium, per Camertinos in Thufciam, per Mamertinos in Siciliam, per Sagunthinos in Hispaniam, per Massinissam Regem in Africam, per Ætolos in Græciam, per Eumenem in Asiam, per Massilienses in Galliam. Hanc rationem, inquit ille, si diligenter observetur, talem esse comperies, quæ secum fortunæ prosperitatem adjunctam habeat. Egregia sanè hæc ars est, si procedat adversus hostes, & innixa fuerit **Justæ Belli Causæ**, non usurpationi, aut dominandi libidini; tunc enim certò fallet. Sic nuper dum hoc ipsum scribo Ludovicus XIV. per Bavaros, eorumque ducem, Gallix conjunctissimum, occupare voluit, & extirpare Austriacum nomen.

8. Et profectò proximum erat discrimen, primis jam Imperij urbibus vel à Bavaro direptis, vel occupatis: nisi Cæsar cum colligatis gloriosè

riose cæcidisset Gallos & Bavaros ad Hohstetam, jam jam cum quadraginta millibus armatorum imminentes Imperio, & Austriæ: quam cladem æternitatis fastis illatam servabunt posteri, cum in eâ præter exarmatas, jureque belli captivatas decem legiones, sedecim insuper millia aut trucidata, aut aquis præfocata numerarentur. Aded ultor DEUS minimè sustinet ejusmodi Machiavelli artibus occupari aliena Imperia.

9 Alibi probat: adversus confæderatos suos occasionem belli arripi posse, si videlicet non contra eos, sed sibi Confæderatorum Confæderatos bellum moveat. Et hanc usitatam admodum esse rationem arripiendarum belli occasionum: sed injustiam, illegitimam, contra bonam fidem, & Jus Gentium: atque ideo Ejusmodi bella rarò bene cedunt: quia his fides rumpitur, urgente semper suam firmitatem Sacramento. Eodem Judice, si quis ex parvis initijs altum fastigium conscendere, & insignes aliquos progressus facere velit, necessaria est ars fallendi, & circumveniendi ad exemplum Cyri, qui, Xenophonteteste, fraude & dolo Armenum Regem sub-

vertit. Cave attamen mi Machiavellista : difficile namque est ambitioso æmulum tolerare quidem ; sed plerumque etiam certant æmulorum ingenia : nemo vult esse ultimus ; quivis præoccupare nititur , ut ars arte , fraus fraude elidatur : Sæpe etiam scelus redit in Auctorem , ac sceleris pœna , & perditio.

10 Modum etiam , qui in opprimendâ Republicâ , aut populo intestinis discordijs laborante servari deberet , ita exhibet. Ad conciliandas discordias Arbitrum te interpone ; utrique te factioni amicum simula ; neutram juva ; succende utrique favillas , ut mutudò conflagrent in suam perniciem , tuumque emolumentum. pessimi verò tales Cives , qui ita laboranti Republicæ succurrunt : indignus planè Princeps , qui cum quæietis publicæ deberet esse Custos , eam non solum negligit , sed conturbat. Primum restaurandæ Republicæ Remedium est , contractum ex diutino seditionum morbo , morborum languorem superinductâ publicâ quiete reficere. Non legitimi Principes , Sed Tyranni suorum Civium calamitates , suas habent delici-

delicias, & ex fuorum ruinâ sua quærent incrementa.

11 In libro III discursuum de Republicâ expeditissimam tollendi è medio Tyranni viam indigitat: nempe ut talis omnia dicta & facta Tyranni approbet, laudet, imitetur, & Lethargo veluti quodam omnes sensus ejus occupet, ut sui securus existat, & sic faciliè ex insidijs obrui valeat. Verùm Rex legitimus, licet Tyrannus, magis ferri debet, quàm tolli. Ultor hujus DEUS, non subditus. Canon est omnium rectè sentientium Politicorum, & Theologorum: secus tenentes damnat Ecclesia.

12 Et paulo post rem paucis comprehendens ita pronuntiat: qui Tyrannidem occupat, eam conservare non potest, nisi sublato Bruto. Qui pulso Tyranno publicam libertatem recuperat; illam conservare nequit, nisi tollantur è medio filij Bruti. Ita est: Regna iisdem artibus conservari, quibus parta sunt, exempla docent. Verùm Vis omnis exiguum duraturæ Potentiæ indicium est: vel enim vis vi excutitur: vel si nimium intensa est, ex se disrumpitur.

13 Alibi in occupandis Urbibus dolo malo pacisci, & pacta conventa cum hostibus violare suadet: Nam etsi sapientes viri, inquit ille, animadvertant, quid sub ejusmodi promissis latere soleat, & sub dulci melle venena recondita videant; Populi multitudo tamen, pacis, præsentisque boni cupiditate tantopere permovetur, ut dolos sub promisso latentes minimè observet: ob quam causam permultæ Civitates suam libertatem amisère: quod ultimum vero verius est: sed exinde non fulcitur doctrina Machiavelli, quia alieni errores in morem transire non debent. Sapientius Privernates non aliam à Romanis voluere pacem, quàm merentur ij, qui libertate dignos se censent. Ideo Magnis promissis parcior fides est habenda; &, ne fallamur, rimanda, quæ latent; &, quæ à tergo trahunt, inspicienda. Quantæ Civitates etiamnum starent liberæ, si hoc expendissent.

14 Ne autem Respublica à Civibus perturbetur, remedium Machiavelli est, ne sinantur admodum ditescere: egenos vult subditos, horum exuvijs opulentos Principes. Sed sciant hi

Exhauriri æraria Imperantium, cùm subditi enervantur: Ex his illa implentur; ex nihilo nihil implebitur.

15 Arcendæ invidiæ, & æmulationis regulam ponit: Unum laudabilem & laudis plurimum habentem. Nempe ut invidia seu æmulatio, excellenti è contra virtute superetur. Alterum ut æmuli sive fato naturali tollantur, sive per vim. Nec obstat: quod ij Reipublicæ salutare sint: sufficit, si conatibus tuis obsistere non desinant. Quàm crudelis iste Canon! Cæde, quod non cedit. Abominanda illa ambitionis Lex: Per æmulorum cædem enniti: turpisque purpura, quæ sanguinem sitit.

16. Arcanum illudendi Principis, ne cum aliquo pacem inire possit, hoc suggerit Machiavellus. Principem tuum avertere poteris, & impedire, quod minus cum aliquo pacem, aut fœdus ineat; Si curaveris, ut magnum aliquod facinus adversus illum perpetret. Sic enim, ne si offerantur quidem conditiones pacis æquæ, acceptare illas audebit, vel solâ conscientiam sceleris permotus. Ministri nomen non meretur, qui



qui eujusmodi periculosa consilia suo Principi suggerit; & miser ipse Princeps est, qui à perfido Ministro circumventus cogitur periclitari. Sæpè unius astu Pax dissolvitur: Nec semel accidit, ut unius Consiliarij fraus pluribus simul Principibus illuderet. Eujusmodi Ministrum Aulæ suæ Electoralis nuperimè degradavit Poloniæ Rex Augustus, Elector Saxonæ.

17. Aliud arcanum & dogma, quo alia comprehendit omnia, ita exprimit: à conservandâ Patriæ libertate, nulla justî seu injusti, crudelitatis, misericordiæ, non denique laudis & ignominæ animum boni Civis debere retrahi. Etiam nostro sensu benè emitur publica libertas paucorum incommodis. Quidquid a vitæ libertati adimitur, rapinæ speciem habet: sed viden! extrema libertatis sunt servitus, & insolentia. Servituti resistere, nunquam desunt justa media: insolentiæ patrocinari idem est, ac Reipublicæ insidiari. Nulla favet libertati re-  
cta ratio, quæ repugnante honestatis lege ancillatur insolentiæ.

18. Circa fidem & promissa servanda ita differit

ferit Machiavellus: Ea, quæ coactus promifisti, non neceffe esse, ut serves: cernimus enim inter viros Principes nullos esse, qui ea servent, quæ per vim coacti promiserunt, postquam desijt vis illa, quæ coegit. Neque reliqua promissa servant, quando causa, quæ eos promittere facit, non amplius urget. Quoad primum concedimus, non expedire malè pactorum servare si<sup>1</sup>em; quæ vis, vel metus, vel uterque extorsit. Quoad secundum dicimus, malè provisum esse rebus humanis, si Regum pacta infirmiora sunt pactis subjectorum. Promissa sic tenent, ut fuere, cum facta sunt.

19. Item si Princeps ab altero quidpiam extorquere cupiat, cujus multum interlit: tunc sæpe commodissimam esse eam occasionem, quæ ei, à quo petit, nullum deliberandi spatium concedit; sed potius illi subitam respondendi necessitatem imponit: & præsens periculum demonstrat; si negatur id, quod petitur, aut si etiam deliberandi spatium petatur. Ut in Risbicensi pacificatione ejusmodi cominatoriam legem dictavit Gallus Cæsari & Hispano.

mia hæc circumventionis species ad contractum Leoninum spectat. Sed vim non habent, quæ vi exprimuntur, nec in iusto metu comparatur possessio.

20. In libro autem de Principe non dispersim, ut fecit in libris de Republicâ, sed uno tractu, & habitû, & nullâ planè honesti habitâratione, virus suum evomit Machiavellus. Nam Capite VII. docet non posse meliora novo Principi præcepta dari, quàm Principis Valentini, Cæsaris nimirum Borgiæ, Alexandri Papæ VI. filij (quem in privata vitâ ex sceminâ Romanâ educaverat) exempla & vitæ rationem. Quale autem ille erat omnium scelerum monstrum, qualique catastrophe vitam infelicem clausit, pauld ante memoravimus. In hoc coarguit Machiavellus Valentinum, quodd Julij II. Pontificis Electionem solitis suis artibus non impediverit. At tamen illum impedire conatum fuisse certò constat. sed vana est omnium mortalium machina adversus sedem illam, quæ Cœlum aperit, & infernum claudit. Irridet Cœlum humana Consilia, quibus in terris Vicarius Cœli impetitur.

21 Capite VIII. Eam crudelitatem rectè adhibitam dici posse, cùm quis necessitate adactus, semel tantùm crudelitatem exercet, sive omnem vim sæviendi simul effundit; eam autem perperam adhiberi, quæ initio, etsi rara est, multiplicatur tamen progressu temporis citiùs, quàm extinguitur. Caligulæ scilicet voto se conformat Machiavellus, qui unicum Romanis collum optabat, ut uno ictu perimeret omnes. At ejusmodi Principes vel Tyranni potiùs, Rarò successorem viderunt.

22 Capite XV. Necessitatem scelerum Imperantibus adstruit, inquit: necessarium esse Principi, ut perceptum habeat, si se salvum velit, quâ ratione possit non esse bonus, neque multùm laborare debere, si eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus dominatum non facilè tueri posset. Sic Machiavello cum infamia Imperium conjunctum est. Absit: Imperij dignitatem vel vitio corrumpi, vel flagitio occupari. Divina res est Potestas omnis: divinis artibus illa quæri, & virtute teneri debet.

23 Capite sequenti Avaritiæ crimen parvi

ducendum statuit: quippe latrocinia, & prædæ publicæ computantur inter artes Heroicas. Noveris autem mi Machiavelle: quodd, qui prædam quærunt, in prædam ipsi communiter incidant, &, dum alienas opes atterere molliuntur, suas deperdant. Si non dum nosti? sciscitare ex ipso tuo Principe veritatem, quem præda Italiæ cardo constitit. Exutus enim omnibus, & proprijs, & usurpatis miserè deperijt. Omnis usurpatio alieni ultorem dominum appellat.

24 Pariter capite XVII. sævitix nomen minime in crimen vertit, dummodo indè suos concordés in fide habeat. Sic Cæsar Borgias Flaminiam totam occupavit, atque ad pacem & fidem coëgit. At verò quàm brevi intervallo ejus Imperium inter summam fortunam, & extremum præcipitium fuerit, Platina commemorat. Ut enim Papam Alexandrum vita, sic Borgiam fortuna omnis ex improvîso deseruit. Tyrannorum felicitas rarè in finem substitit: è contra stat solida in amore subditorum Majestas, quæ aliàs semper nutat ex metu nimij rigoris.

25 Capite XVIII. duo genera decertandi tradit, unum Jure legum, alterum per vim: cùmque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum ad posterius, si non fati est uti superiore. Proinde necessarium est, ut Princeps rectum utriusque, & belluæ, & hominis usum teneat. Cùm itaque Principi magni referat belluinum ingenium scitè induere, & tum vulpis, tum leonis mores assumendi erunt. Nam leo sibi à laqueis non cavet: lupos verò vulpecula reformidat. Quo itaque laquei sentiantur, vulpeculam agere oportet; lupi verò quo deterreantur, leoninum ingenium est subeundum. Utrumque decertandi genus exhibit in Juliano, & Severo Imperatore. Didius (inquit ille) Julianas Imperator dextrè vulpem egit, ut Imperium obtineret: vim enim magnam pecuniarum pollicitus est militibus, ut illum Imperatorem appellarent. Postquam appellatus est, vulpinâ arte illorum spem illusit, cùm multò minùs daret, quàm promiserat. Sed leonem simul nesciens agere, brevì sublatus est: Severus autem, qui utroque pollebat, cùm adventaret valido exercitu instructus, tunc Julianus à suo Satellitio interfectus est: & illi ad

Severum transferunt. Interea Severus, ut Albinum in Gallia, & Nigrum in Oriente, qui validis legionibus præerant, & ipsum nobilitate generis, meritisque antebant, verbis inescaret, ne ipsi Imperium occupanti obstarent, vulpem agere statuit. Multa ergo & præclara pollicitus est, præsertim Albino, quem socium Imperij & Cæsarem appellavit: Nigri verò liberos, specie honoris penes se, reipsâ velut obsides, habebat: idè eum metuebat minùs. Postquam vulpino astu Albinum, & Nigrum negligentiores redderet, providit ipse per quietem, ut Imperator appellaretur. Post hæc ad ingenium leonis reversus in Albinum, & Nigrum vires convertit, & utrumque delevit. Ita leonis & vulpis partes callidè agens, Imperium sibi tutum & securum, & sine ullo æmulo liberum paravit. Sic vis sæpè plura potest, quàm meritum. Interim nulla vis justa, quæ pro gloria non habet bonam causam. Injuriam sibi faciunt generosi animi, qui per fraudes quærunt, quod assequi datur virtute. Misera Regnorum conditio, si ad ea nullus aditus, nisi vel per intempestivam vim, vel per fraudes. Crede potius: Eadè planè semitâ, qua ad

virtutē decurris, ad regnum pertinges.

Hæc via Regia est, cæteræ anfractus & Syrtes, mille discriminibus obnoxia.

26. Capite XIX. Pertinacem optat, susque sensûs Principem, & ita sententiam suam, quam semel pronunciavit, ratam firmamque habere, ut ab ea nunquam deduci, aut dimoveri pro certo alij teneant.

27. Capite XXIII. repetit: Regnantem ita se comparare debere, ut omnes intelligant, se à sua semel susceptâ opinione nulla vi depelli posse. Et nos statuimus maximè necessarium esse, Regnicaput Principem bene, & abundè sapere: ne àb alijs legem cogatur accipere, cujus ipse dandæ potestatem habet. Sed sicut sapere ad sobrietatem virtutis est, ita pertinacem sui sensûs esse, inter vitia connumeratur. Rectè reges, si te ratio rexerit: non contumacia mentis. Sapiens est mutare consilium. Eodem Capite multitudini nihil negandum putat, quo æqua & tranquilla retineatur. Quo circa Princeps (ait ille) Imperium quicquid velit, cogitur nonnunquam non esse bonus. Quandoquidem, si ea multitudo, cujus opera ad Imperium sustinendum se indigere cog-



cognoscat, fuerit depravata, obsequi ejus studijs, atque illi morem gerere necesse est. Ita nimirum se perdit Machiavellus, ut suum Principem non solum suorum subditorum, sed etiam eorundem vitiorum velit esse mancipium. Magna hæc Augusti nominis injuria est. Ad Principis potius exemplum solent formari subditi. Timent isti ea, quæ Princeps averfatur: fugiunt, quæ punit: imitantur, quæ colit. Si multitudo illa, cujus operâ sustinet Imperium, depravata est, exemplo suo illam corrigat: Hac sibi eundem intelligent omnes, quæ Princeps ibit: Dissimulare subditorum scelera, & sceleratis se conformare; par est scelus: & parem cum subditis culpam contrahit, qui paris criminis est comes.

28. Capite XXVI. Arcanum periculosissimum Hætrusco Principi Laurentio Medices suggerit: licere nimirum Principi alium aggredi ex causâ solâ, quod malè subditos habeat: ad eoque svadet, ut Principatum Italiæ in tot Tyrannos, quod Principes divisum, invadat armis, sibi que subjiciat: ut Cæsar Borgias tentavit cum Flaminiâ. Ex quo arcano totus brevi  
colli-

collidetur Mundus, quia, ex natura subditi vix unquam præfenti Regimine contenti, aliud non expectant, neque aufcultant, quàm ferale Clafficum in fuos Dominos, & Superiores, ut queant per novum aliquem pfeudo Moyfem fervitute fuâ liberari. Sic concidet omnis Potestas, quæ à DEO est: omnis Politia, quæ continet genus humanum: omnis ordo, fine quo redibit primum Chaos naturæ depravatæ. Aliud longè Martiani Cæfaris arcanum erat: **Donec liceret in pace vivere, non decere Principem arma fumere.** Non uno anno finitur Bellum, quod uno die inchoatur. Bello etiam Jufto, parcitùs utendum ferro. Quid erat Medicæo in Italiam Juris, ut communem pacem turbare non vereretur? Ejufmodi Machiavelliftica bella, funt mera rabidi animi latrocinia. Verùm non libet, nec vacat ampliùs excurrere.

29. Si tamen multa paucis comprehendere liceat, hoc concludenter ftatue: Machiavellum per omnes fuos libros virtutem veram, & folidam abjuraffe: vitijs & fccleribus mancipaffe Imperia: Religioni undequaue illufiffe: cru-

delitatem, sævitiam, avaritiam, Civium inopiam; dominandi præsidium, Regiámque tutelam esse: fraudes, perfidiam, circumventiones, simulationes; artes & arcana regnandi censuisse: denique talem formare voluisse Principem, qualem olim Gentiles & Barbari habuere Tyrannum.

30. Et execranda planè hæc, novo rursus velut sacrilegio contaminavit; ubi dixit: ejusmodi flagitiosissimas artes non solum honestissimo fine **Salutis publicæ** cohonestari, sed eventibus plusquam prosperis earum veritatem comprobari. O nefando ipso, majus nefas! an prosperum scelus virtus vocabitur? an honestus finis, qui cum majoris honesti injuriâ quæritur, turpissima cohonestabit media? Si bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu: an subsistet illa salus publica comixta tot flagitijs, aut Regnorum æquitas cruentata tot innocentum cædibus? an quod ipsi Barbari detestantur, gloriosum erit in Principe Christiano? an communis utilitatis ratio flagitiô magis quàm virtute obtineri poterit? an major Dæmonis, quàm Cæli vis, vel divinitus illa data Regibus potestas? an Erebi diris potius conservabitur,

vabitur, quàm ope cœlestium Virtutum? an labi, errare, decipi, illustrius est, quàm non moveri, rectà gradi, nec unquam falli? Expende hæc tria.

*Non moveri*: stant enim immobiles illi, quorum basis est vera Religio, non ficta. Labuntur, qui divina proculcant, nunquam tuti, qui Judice Cœlo rei. Impiorum Principum lapsus utraque historia recenset. An stabilior, an celebrior, an felicior fuit Gustavus ille inter injusta armorum classica ferali globo ictus, quàm Ferdinandus II. inter assidua pietatis exercitia è Cœlo defensus.

32. *Rectà gradi*: Sic gradiuntur, qui rationis ductum, qui Virtutum currunt vestigia. Errant verò turpiter, qui vitiorum præcipitijs se committunt. Sint fortunata quandòque scelera, nunquam tamen sunt secura. Quâ viâ gradiuntur ad summum, deveniunt ad præcipitium. Difficilior quidem ad virtutem est ascensus, facilius ad scelus: sed facilius etiam per scelera est lapsus, quàm per virtutem.

33. *Nunquam falli*. Virtus neminem fefellit; ast scelus plurimos. Redeunt in Authorem machinæ; fraudemque patitur impostor. Non

errant facilè, quos virtutis cynosura dirigit. Decipiuntur graviter, qui per flagitia exprimunt, quod per virtutis meritum assequi licet.

34. Regno nequaquam se aptat, qui, ut regnet, vi utitur. Imperium liberæ voluntatis inventum, non metûs aut violentiæ partus. Non illam Principatûs, sed Tyrannidis speciem crede: solâ potentiâ Rempublicam gubernare, & pro potestatis libidine in subditos sævire. Crudelitas Principis non tollit hostes, sed facit. Plaga uni inflicta complures tangit, & omnes in odia, multos in vindictam stimulat. Hydra ex toto nunquam tollitur: si tria acinace demes capita, succrescent novem. Efferantur verberibus, cicurantur blandijs leones & tigrides; sic homines.

35. Simulata amicitia nihil differt ab odio: lambit ut hyæna, & perimit ut columba. Pollicitationes speciosæ quid aliud sunt, quàm circumventiones credulorum, & prodromi fraudium. Obsequia simulata latrocinia sunt præmeditata.

36. Inopia deinde subditorum procurata exhaurit æraria Principum: ex his enim continuus

nus est effluxus, sed reflexus â subditis egenis & exhaustis nullus ampliùs speratur. Professa Principis avaritia semper civium animos concutit: tum verò maximè, cùm publica damna indignos ditant, vel Principis domesticas fovent voluptates.

37 Illum Principatum bonum appella, cujus legibus Princeps bonus esse jubetur: eum verò malum, in quo authoritate Machiavelli vitiorum licentia conceditur. Princeps, si se, Remq; publicam salvam velit, perpendat, quâ ratione possit esse bonus. Exemplo suo emendabit cives malos, ac virtutibus solidis ( non fucatis ac fictis ) componet Rempublicam, procul ab hinc fugatâ omni vitiorum licentiâ. Sapiens Princeps nunquam debet commoveri suorum suditorum vitijs, ut ided in transversum agere cogatur, sed ille eos cogat exemplo, ut rectè factis virtutis tramitem gradientur. Si virtutis species & prætextus Machiavello Judice utilis est Principi, quantò magis vera virtutis excellentia, quam per se expetibilem dixêre ex Stoâ Philosophi.

38 Nec facilè Principi, nec temerè, contra quàm suadet Machiavellus, suscipienda bella,

quia hæc incæptu & primâ specie læta sunt, exitû perdifficilia, sine titulo injusta. Non tentandum Marte, non temeritate, quod assequi Princeps valet arte, & virtute.

39 Malè dividunt civium animos, qui feliciter imperare ambiunt. Divisum enim in se Regnum desolabitur. Nunquam operabitur tantum Princeps armorum vi, quantum unitis civium animis. Non est illi necesse dividere subditos, qui amore imperat. Nunquam stat integrum, quod factionibus scinditur; & quod dividitur, semper abit in minus.

40 Injustæ cædes nunquam inultæ manent: qui alios injustè cæciderunt, vicissim ipsi cædentur. Ex indignâ malorum cæde, quam Machiavellus suadet, uno velut ictu facta, vehemens dolor omnium pectora occupat; ut ejus memoria ad posteros usque transeat. Si verò per intervalla fiat, licet atrox sit, quia paucorum funera visuntur, faciliùs oblivioni datur.

41 Malè subsisteret omnis in rebus humanis sive societas, sive communicatio civilis, si fides eluderetur prætextibus; aut Regum pacta promissaque ad omnem auram Zephyri, velut nix solverentur. verbum Regium non decet

immu-

immutari. Ita par est, tenacem fidei Principem loqui, ut quod promittit, oraculum sit. Secus, abominatio domini omnis illusor: & apud homines inglorium est, verba factis non comprobare: turpissimum verd omnium amittere fidem, & nomen viri boni.

42 Plura omitto, alia jam alibi confutata, & deinceps diluenda: hoc unum super est, quod præfatam doctrinam Machiavelli, jus omne naturæ & gentium, lex positiva, divina, & humana, ratio, æquitas, & omnis honestas, fortuna denique ipsa externa (si rectè eventus expendamus) persequatur. Ad Orcum igitur præceps ruat, unde prognata.

✱ \* \* \* \* \*

## CAPUT VIII.

### *Refelluntur Athei.*

I **A**N sit DEUS dubitandum equidem non est: quia id nos nullâ lege, nullo instituto, in contrarium accepimus; sed in ipsis incunabulis mundi, naturæ ingenitus impulsus, & universalis gentium omnium consensus voluit: **Esse DEUM.** Infitas & innatas cogitationes habemus, esse Deos, ait Cicero; qua-

lib. 2. de  
divin,

les



les sint, varium est. Esse: nemo negat, De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Rectè Bias apud Laertium: De Dijs hoc tantùm dicas, esse.

2 Neque commentum in istud dixeris? erat jam apud veteres irrefragabilis veritas: ubi Aristoteles fermè alijs palmam præripiens, dixit: Actus purus est possibilis: Ergo existit. Alioquin non est actus purus, qui pugnat formalissimè cum quâvis potentialitate. Per actum purum Numen intelligunt tum veteres Philosophi, tum nostrates Theologi. Seneca lib, XI. quæst. naturalium, asseruit: Dari aliquod principium seu causam primam, ex quâ suspena sunt omnia: ex quâ sunt omnes causæ causarum, illa verò nullius causatum. Cum enim causarum ordo finitus esse à Philosophis perhibeatur, necesse habet Primam aliquam esse causam, cujus effectus sint inferiores causæ.

3. Et licet quidem ex Verulamij sententia, intellectus humanus, dum causas secundas in-

tuetur hinc illinc sparsas, interdum ijs, ob perspicacitatis hebetudinem acquiescere possit, nec ulterius penetrare, verum, cum tandem catenam earum connexarum inter se, & confœderatarum contemplari actius pergat, necesse habet confugere ad entitatem talem, in quâ terminetur & suprâ quam sit nihil, nisi ex illâ velit retrogradâ cogitatione omnes inferiores causas reassumere, & reassumptas rursus perscrutari; quam circulationem reprobant Philosophi. Quemadmodum igitur omnium rerum compositarum genera reducuntur ad aliquid, quod in eo genere non est compositum; dimensiones ad signum, quod ex dimensionibus non componitur; numeri ad unitatem, quæ non fit ex numeris; elementa ad id, quod ex elementis non miscetur: ita & entium universus ordo, ad Ens, quod nec constat ex entibus, neque ullius entis est effectus.

4. Interrogavi terram, ait Augustinus, num sit DEUS? & dixit: Non sum. Et quæcunque in eâdem degunt, idem confessæ sunt. Interrogavi mare, & abyssos, & reptilia animarum vivarum; & responderunt: Non sumus

S

DEUS

DEUS tuus : quære super nos. Interrogavi auras flabiles & inquit univèrsus aër cum incolis suis : fallitur Anaximines , non sumus DEUS tuus. Interrogavi cœlum, lunam, stellas : neque sumus DEUS tuus, quem quæris, inquit. Et dixi omnibus ijs, quæ circumstant fores carnis meæ : dixistis mihi de DEO meo, quod vos non estis : dicite mihi de illo aliquid ? & exclamaverunt voce magnâ : Ipse fecit nos. Quidquid enim gignitur, ab aliquâ causâ necessariâ gignitur. Et quæ præter causam primam causæ sunt, inquit Plato, eâ faciente sunt, & quidquid agunt, eâ ducente agunt. Utve ostenderet à DEO magis, quàm ab alijs causis cuncta emanare, ter geminatâ voce replicavit in libro, qui inscribitur Timæus, Illum omnium esse principium.

5. Quid, quid igitur mi Politice tam assertum esse potest, aut tam perspicuum, quàm genitorem universitatis, ut ajunt, tactu palpare ? Unde parùm refert, DEUM neges, an asseras : nunquam ille latebit, nunquam DEUS deerit,  
sem-

semper intelligitur, semper audietur, semper videbitur.

6. Ignorantia DEI est mera affectatio : quia nemo DEUM non esse credit, nisi cui DEUM non esse expedit. Dixit aliquando insipiens in corde suo : non est DEUS. Magna siquidem insipientia est, reluctari veritati, quam terra, sol, sidera, ipsumque universum, Græcorum præterea, Barbarorumque omnium consensus, & ipsa naturæ insita opinio luculento testimonio comprobant. Rerum isthæc universitas, ait Timocles, muto ore DEUM loquitur. Item omnes gentes : nam de hominibus testatur Cicero : nulla gens est, neque tam immanis, neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem DEUM habere deceat, tamen colendum sciat. Hocve (prosequitur idem) à naturâ omnium mentibus insitum, innatum, & insculptum. I nunc, & quis Atheus hic audeat DEUM negare? sit, sit ille inter tot inanimata & mente carentia, quæ tamen viva sunt DEI tatis testimonia, solus omnium sensûs expers : sit inter tot Barbaras gentes, quæ DEUM confessæ sunt, omnibus immanior : & in naturâ propriâ ( quæ sacula quædam

Numinis est) subsistens, extra naturam tamen amens vagetur. Nemo sanè, si Vatem audis, nisi insipiens dixit in corde suo, non est DEUS. Et quidem dixit tantum, non cogitavit in corde suo. Quia si cogitasset insipiens structuram hujus universi, si elementorum mixturam, si mixtorum ecstases, si inconsumam hanc cœlestis fabricæ harmoniam; hancve tantam, tam varijs cursibus iteratam temporum vicissitudinem mente volvisset, nullus dubito, etiam in insipientiâ suâ conclusisset: est DEUS. At quia solum dixit in corde suo insipiens, videtur potius (ut Verulamius adserit) optasse non esse DEUM, quàm quoddam penitus hoc crederet. Nemo enim DEUM non esse credit, nisi cui DEUM non esse expedit. Et nisi homini DEUS placuerit, subjungit Tertulianus, DEUS non erit.

7. Obque hanc causam plerique fingunt non esse DEUM: non quoddam non crederent, sed quia scelerum suorum renuunt ultorem. Nolunt sua facinora, & occultos astus ab eo videri, cui nihil clausum est, sed interest animis nostris

stris, & medijs cogitationibus intervenit. Omnia tunc sibi licere autumant, si cum Protagora Abderite, impium illud statuant. De Dijs, neque ut sint, neque ut non sint, habemus dicere. Quod vetus malum fuisse in Aula Neronis queritur Seneca ad Lucillum, ex quo deinceps tanta corruptela morum, ac licentia cujusvis criminis cito pede secuta est, ut Roma, quæ virtuti olim fuit asylum, facta sit prostibulum vitiorum. Virtus omnis & honestas de facili eliditur, ubi DEUS nescitur.

8. Theodorus ille, Atheus cognominatus, inter crepundia computabat, quiqui sermones de Dijs haberentur, eosque nullatenus esse dictabat. Exinde omnes ad furta, perjuria, fraudes, rapinas, obscenitates, dummodo hæc sive commodè, sive cautè, sive cum prætextu fieri possint, hortabatur. Nihil enim est tam immane, vel iniquum; quod numine sublato mens humana non aufit aggredi & perficere. Atheismi soliti fructus sunt: omnium scelerum licentia, & effrenata cupiditas. Psaltes Regius id expressit: dixit insipiens in corde suo non est DEUS. Et extem-

plo subjungit: corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Sunt, sunt profectò.

*Primæ scelerum causæ mortalibus ægris*

*Naturam nescire DEORUM.*

Nullò pacto expedit sceleratæ menti DEOS esse. DEUM nosse, & unà in scelere vivere novum crimen est. Cujus ut synderisim exuant, vana & superflua ajunt profligati illi homines esse omnia, quæ de DEO, ejusve justis judicijs prædicantur. Ita nimirum impius, cùm in profundum venerit, tandem contemnit. Imò, quod inhumanum est, proprio sensui contranitur, quia suus cuiq; animus testis DEI est.

*O te miserum, si contemnis hunc testem!*

9. Quodd verò Statistæ in Atheismum sæpe numero deflectant, palâ est tam ex vulgato illo diverbio: Statistæ plerumque sunt magni Atheistæ; quàm ex alijs multifarijs rationibus.

10. Duplex enim Atheistarum genus vivit in perpetuum dedecus ipsius naturæ, & omnis humanæ rationis. Unum simplicium, alterum compositorum est. Simples Athei sim-

plici-

pliciter DEUM negant: quorum perpauca qui dem fuerunt inter gentiles: fortè Diagoras, Damis, Epicurus, & Lucianus: quibus tamen (ut Cicero de Epicuro evincit) magis ori, quàm cordi infidebat Atheismus. E contra compositi Athei sunt, qui quidem DEUM ore non negant, ex mente tamen ita excludunt, ut factis ostendant se DEUM vel non nôsse vel le, vel quod pejus, cognitum contemnere. Grande hoc malorum malum est, ait Lipsius, dum homo â ratione, imò â naturâ abit contemptor Numinis, aut negator, quod illa asseruit, & hæc in sevit.

II. Veniam attamen quandam merentur veteres illi & simplices Athei propter communem errorum, in quibus versabantur, caliginem; nam levior est offensa, quæ ab ignorante infligitur. At quæ venia indulgebatur ijs? qui profitendo se Christianos esse, nihil tamen minùs, quàm Christianos agunt: qui ore DEUM confitentur, factis negant: qui externo ritu & gestu Numen adorant, penè tamen nefarijs vivunt Atheistarum principijs. Ah quid prodest (ingemiscebat Cardinalis Damianus) si quis-  
piam



piam in aulis Catholicè credat, & gentiliter vivat !

Cujus multiplices causæ, exque fundamentales sunt. Nam primo Pseudo-isti politici (officiosè dicti Statistæ) humana isthæc, & quæ in politico hoc universo emergunt negotia, impiâ quâdam libertate tractant absque ullâ dependentiâ à DEO, aut divinorum reflexione. Cælum sinunt cæli Domino, terram sibi, & filijs hominum mancipant.

O fatua mens, & sceleratius consilium ! à Domino data est omnis potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur : quoniam cum essetis ministri Regni illius, non rectè judicastis. Horrendè & citò apparebit vobis : quoniam durissimum iudicium his, qui præfunt, fiet.

Exhorrescant ad hæc divini spiritûs jacula ij, qui rem statûs non ex præceptis agunt divinæ sapientiæ, sed ex falsariâ arte cervicis privatae. Si à DEO data est vobis potestas, ô Reges, ô viri summates ! ut Christianorum fert dogma : ex ejus nutu & orè pendete, illius legibus vivite, qui à vobis repetet rationem potestatis commissæ.

missæ. Nec emendicatis fidite Statistarum consilijs, quos DEUS jam pridem appendit in staterâ, & invenit minùs habentes.

Altera Atheismi ratio ex ipsis Statisticis consilijs evincitur. Quæ fermè aliud non sunt, quàm perversi astus, simulata responsa, occultæ machinationes, funestæ diversiones, speciosa fœdera, callida promissa, corrupta suffragia, colorata perjuria, infidiosa bella, & centum talia, quorum dispectorem nec DEUM credunt esse, nec arbitrum volunt. Sunt, qui etsi DEUM non negent, ait Septimius, Judicem tamen & testem rerum humanarum non petunt. DEO subtrahunt oculum, & ne illum timeant, spernunt omnia videntem.

Verùm nemo sapientum incertum facit, posse nocenti contingere, ut lateat, latenti fidem non posse. Eludant licet isti aliquantùm humanos oculos, non illius eludent, qui totus oculus est: cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur. Audi Statista: audi vatem.

*Auspiciunt oculis superi mortalia justis.*

12 Tertio nulla res Atheismum clarius certiusque arguit, quàm ubi ex causâ regnandi, sive ob statûs rationem proculcantur sacra & humana jura, quibus velut totidem firmanentis divina providentia agi voluit rem communem. Et ab adverso novæ quædam, eæque prohibitaë introducuntur artes, quòd melius (ut malorum fert fama) res statûs firmari possit. Rex ille Hispanus Alphonfus non temerè magis, quàm impiè dixit: si principio mundi ipse adfuisset, multa melius ordinatiùsque condenda fuisse. O desipiens arrogancia, & plus quàm Athea vox! si aliquid in DEO negas, totum negas. Ait Aug. Id toties Statistæ factis iterant, quoties illâ, quam DEUS ex æternâ suâ sapientiâ voluit, & ordinavit, non contenti regendi methodo, ad nefarias deflectunt artes & machinas, quibus credunt rem statûs melius ordinatiùsque agi posse.

13 Quartum Atheismi judicium ex Verulamij ethicâ conijcio: videlicet, quòd præfati Pseudopolitici divina perpetuò tractent absque omni sensû, & eorum pleraque ad morem potius

tius pertinere, quàm ad rem existiment. Unde sequitur, quòd ex consuetudine quàmdam profanâ ludant, & jocentur cum rebus divinis, quod absque Atheismo vix contingit. DEUM enim vero ore confiteri, ut quidam Statistæ faciunt, eundemque nihilominus absque sensû colere; an non Atheorum, & plus quàm priscæ hominû gentilitatis impietas est? illos equidem propria inculcat confessio, non item hos, qui penitus cæcutiunt. Sensus anima est Religionis, & vivæ fidei scintilla. Quisquis hoc sensû caret, exanime impietatis cadaver est, & extinctæ fidei fatens sepulchrum. Non tantam redduntur rationem simplices illi veterum Athei, quàm sub Christiano nomine atheifati Statistæ. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt; olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Si enim cognovissent, ait gentium doctor, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Deteriores itaque Ethnicis; pejores Judæis sunt illi Christiani statistæ; qui cognoscunt DEUM neque tamē colunt illū, neque sequuntur ipsius supremam ordinationem.

14 Sanè ejusmodi Christiani statistæ, salvâ ani-

mæ suæ ( nisi etiam hanc non credant ) salute ; nunquam se ita immergere debent vanitati , neque abripi possunt â negotijs sæculi , quin semper præ oculis habeant **DEI** providentiam , adversus quam frustraneum est omne humanum consilium , omnis conatus , astus , & machina. **DEUS** est primum agens , *ex quo , & in quo sunt omnia.* Quæ autem à **DEO** sunt , ordinata sunt , subsumit Paulus : quasi diceret : quem admodum â **DEO** omnia facta sunt ; ita etiam omnia ab ipso provisã. Quia providere aliud non est , quæ rem ordinare in finem.

15 Nihil fit proinde sine admissione Numinis. Actum est : quantumcunque æstues ? Numen hoc adducit consiliarios in stultum finem , & ludices in stuporem , ait Job , vir rectus , & simplex : & Apostolus ad Corinthios confirmat : *perdam sapientiam sapientum.* Psalter regius malè occinit statists : dissipat consilia gentium , reprobat cogitationes populorum , & reprobat consilia Principum. Et Job repetit : effundit defectionem super Principes , eos , qui oppressi fuerunt ( scilicet fraudibus & circumventionibus perversorum ) relevans. Multiplicat gentes & perdit eas , & subversas in integrum restituit.

Immutat cor Principum populi terræ, & decipiet eos, ut frustra incedant. Remiges estis O meivos Statistæ! DEUS fedet ad clavum hujus ductum ni sequamini? propè sunt Syrtes: quibus mergentur consilia vestra, & alident in scopulos excidij tam temporalis, quàm æterni.

## I N D E X. LIBRI I.

*Primus Numerus Caput; secundus Numerum  
sive paragraphum Capitis indicat.*

A.

Abdola à Machomete occisus & quare? Cap. 5. Num. 11.

Accusationes, criminationes multis Principibus gratæ & Communes, Cap. 3. Num. 8.

Affinitates magnæ Ministrorum suspectæ Principibus Cap. 4. Num. 24.

Ex affinitatibus magnis magna audent privati, ibidem.

Stiiconis exmplo. Cap. 4. N. 25.

Alexander VI. Papa Cap. 3. Num. 21.

Alexander Magnus, & ejus dominandi libido. C. 4. Num. 3. Cap. 5. Num. 13.

Ejus divini Honores ibidem.

Amicitia Principum Cap. 4. Num. 6.

Amor Principis tutissima ars regnandi. Cap. 4. Num. 11.

Amore qui imperat, non dividit. Cap. 7. Num. 39.

Anaxarchus solatur Alexandrum post occisum Clytum, & quo Argumento? Cap. 6. Num. 11.

Æmulatio moderata & immoderata Cap. 6. Num. 21.

Æmulationis arcendæ genuina, regula, Cap. 7. Num. 15.

Æqualitas inter Cives utilis, Cap. 2. Num. 11. 12.

Arcana in genere quid? Cap. 1. Num. 1.

Quid hoc ævo Cap. 1. N. 4.

Arcana

- Arcana iniqua Cap. 1. Num. 3.  
 Hæc interdum colunt in bonum publicum ibidem.
- Arcanorum statûs definitio Cap. 1. Num. 6.  
 Explicantur per partes Cap. eodem Num. 9.
- Arcanorum Ethymon ibidẽ.  
 Arcanorum Divisio, Cap. eodem Num. 11.
- Arcana quid propria, quid impropria? quid imperij? quid Dominationis ibidem.
- Arcanorum Differentia ibidem.
- Arcana impropria Cap. eodem Num. 12.
- Alia Arcanorum divisio Cap. eodem Num. 13.
- Quid per arcana Imperij intelligit Tacitus? Cap. 1. N. 14.
- Quid per arcana Dominationis Cap. 1. Num. 15.
- Arcana Domûs quid sunt, & quid dominationis, ac quomodo differant Cap. 1. Num. 16.
- Arcanorum Domûs, & Dominationis alia distinctio Cap. 1. Num. 17.
- Arcana inania quid Cap. 1. Num. 18.
- Horum exemplum Augustus & Tiberius, Cap. eodem Num. 18.
- Arcana sunt varia, honesta, turpia, adiphora Cap. 1. N. 19.
- Arcanis iisdem non omnes uti expedit Cap. eodem Num. 22. 23.
- Arcana referuntur ad triplicem prudentiæ speciem Cap. 1. Num. 25.
- Tertia Species, ejusque Arcana damnantur à Veris Politicis Cap. 1. Num. 25.
- Arcanorum species tot, quod regiminum formæ Cap. 2. Num. 1.
- Arcana Imperij Monarchici Cap. 2. Num. 2.
- Arcana Augusti Cap. 2. N. 8.
- Arcana Tiberij ibidem.
- Arcana retinendæ Dominationis Cap. 2. Num. 6.
- Arcana Poliarchica Cap. eodem Num. 10. 11. & seq.
- Arcana secundi generis quid. Cap. 4. Num. 1.
- Arcana media inter vitium & virtutem ibidem.
- Arcana abstrusa & ambigua rarò adhibeantur Cap. 5. Num. 6. & seq.
- Arcanum pacem impediendi Cap. 7. Num. 16.
- Arcanum Laurentio Medicis à Machiavello suggestum Cap. 7. Num. 28.
- Arcanum Martiani Cæsaris, ibidem.
- Ars versandi animos Cap. 4. Num. 13.

Artes variæ cavendi aliorum  
technas Cap. 3. Num. 4. & seq.

Artes primorum Cæsarum in  
occupanda Republica Romana  
Cap. 4. Num. 26.

Artem fallendi docet Machiavellus C. 7. N. 9. & passim.

Atheismum quid maximè  
probat? Cap. 8. Num. 12.

Aliud indicium ibidem.

Atheistarum duplex species  
Cap. eod. Num. 10.

Athei veteres aliquam veniã  
merentur eodem Num. 11.

Aula Neronis Cap. 8. N. 7.

In aulis quidem creditur  
Catholicè sed vivitur genti-  
liter Cap. 8. Num. 11.

Augustus Rex Poloniæ Cap.  
7. Num. 16.

Augustus & Tiberius quid  
egere in occupando Imperio  
Cap. 4. Num. 26.

Augusti vitia Cap. 2. Num. 8.  
B.

Bello agredi an liceat con-  
fœderatorum confœderatos C.  
7. Num. 9.

Bella nunquam feliciter ce-  
dunt, ubi fides non servatur ibid.

Bella non temere suscipien-  
da Cap. eod. Num. 38.

Blasphemia Alphonsi Regis  
Cap. 8. Num. 12.

Bona fides non patitur præ-  
textus Cap. 7. Num. 41.

Brutus Regicida C. 2. N. 10.  
Burgundicæ Domûs pericu-  
lum Cap. 3. Num. 12.

C.

Cassius Cap. 2. Num. 8.

Cardinalis Transilvanus  
Georgius Cap. 5. Num. 19.

Cæsar Borgias Dux Valenti-  
nus Alexandri VI. Filius Cap.  
3. Num. 23.

Ejus Sævitia & usurpationes  
C. eod. Num. eod.

Ejusdem quadruplex Machi-  
natio Cap. eod. Num. 24.

Luctuosus finis Cap. eod.  
Num. 25.

Cedere oportet tempori C.  
4. Num. 2.

Cædes Tatij & Remi injusta  
Cap. 7. Num. 2.

Cæsi Galli & Bavari ad Hoch-  
stettam Cap. eod. Num. 8.

Circumstantiæ multum rem  
variant. Cap. 4. Num. 1.

Claudius Cæsar cur Agrip-  
pinæ junctus Cap. 1. Num. 32.

Circumventio Machiavelli  
in extorquendis promissis Cap.  
7. Num. 19.

Colloquij prætextû inte-  
rempti Cap. 3. Num. 10.

Concitare in magnos odia.  
Cap. 2. Num. 10.

Conniventia Principum Cap.  
4. Num. 28.

Conscientia bona C. 6. N. 16.

Non



Non obest illa rationi statûs.  
ibidem.

Consilium à Panceto Regi  
Galliæ datum Cap. 5. Num. 1.

Consilia callida Caroli, Py,  
Philipi II. Alexandri VI. Cap.  
1. Num. 27. 28. 29.

Consilium Sully Henrico IV.  
datû de mutanda Religione C.  
6. Num. 9.

Crimen perduellionis quo-  
modo differat à Crimine Ma-  
jestatis, & quod. illorum vetu-  
stius Cap. 1. Num. 11.

Crudelitas Cap. 4. Num. 22.

Crudelia Regnorum initia  
Cap. 3. Num. 19.

Crudelitas maxima instillata  
à Machinello Cap. 7. Num. 21.

Crudelitas non tollit hostes.  
sed facit Cap. 7. Num. 33.

D.

DEUS Ultor est causæ bonæ C.  
7. Num. 8.

DEUM esse Naturæ in sevit  
Cap. 8. Num. 1. 6.

DEUS est actus purus Cap. 8.  
Num. 2.

Causa omniû prima ibidem.

In qua terminantur causæ  
causarum ibidem Num. 3.

à DEO omnia & DEUS est  
omnium. Principium Cap. eod.  
Num. 4.

DEUS ex omni re arguitur  
ibid Numero 5. & seq.

DEUM nemo non esse cre-  
dit, nisi cui DEUM esse non ex-  
pedit. ibid. Num. 6.

DEUS ubi non creditur, ibi  
est licentia & sentina omnium  
flagitiorum ibi Num. 7. 8. &c.

DEUS providet omnibus ibi  
Num. 14. 15.

Deterius est melioris gratia  
Cap. 3. Num. 18.

Dictatorum Potestas Cap. 2.  
Num. 10.

Diffidentia Cap. 4. Num. 21.  
& seq.

Diffidunt subditis Principes,  
cum insolita tentant Cap. 4.  
Num. 20.

Dissimulare crimina Cap. 4.  
Num. 28.

Divisio civium aliquando  
Imperanti utilis Cap. 4. Num. 8.

Dominantium arcana So-  
phismata Cap. 2. Num. 5.

Domûs Regnatricis, & qui  
ad eam spectant Cap. 1. Num. 17.

Domum Regnatricis æquum  
est pluribus fulcris sustineri  
ibid.

E.

Epicurus, & de eo Cicero-  
nis sensus Cap. 8. Num. 10.

Error Hispanorum Cap. 4.  
Num. 18.

Exemplû Principis C. 7. N. 37.

Exitus boni, bonorum Prin-  
cipum Cap. 6. Num. 24.

Ex

Extractus arcanorum Machiavelli Cap. 7. Num. 1. & per totum.

Exstructio munimentorum in magnis aut suspectis Urbibus Cap. 4. Num. 11.

## F.

Ficta, simulata Cap. 6. N. 14.  
Fides quando violanda Cap. 4. Num. 14.

Finis idem, sed media diversa Cap. 6. Num. 1.

Fines Particulares sunt subalterni fini ultimo Cap. 3. Num. 18.

Finis ultimus est vita æterna. ibidem.

Fines alij sunt subalterni, alij Principales. ibid.

Flagitia tegenda Cap. 1. N. 8.  
Flagitia Dominationis Cap. 2. Num. 7. & seq.

Flagitiosi Principes eorumque vitia Cap. 2. Num. 8.

Flagitia Poliarchiæ Cap. 2. Num. 15.

Flagitia Tyrannica cap. 3. num. 5. & seq.

Fridlandiæ Dux cap. 5. num. 19.

## G.

Gloriam nimiam invident suis Ministris Principes cap. 4. Num. 24.

Græcorum quomodo cepit Imperium cap. 5. num. 13.

## H.

Hospitij jus violandum per statistas. cap. 3. num. 11.

Hostis non expectandus cap. 4. num. 3.

## I.

Iasonis documentum cap. 3. num. 26.

Ignorantia DEI est mera affectatio cap. 8. num. 6.

Imperij Romani sub Augusto limites cap. 3. num. 14.

Injustæ cædes nunquam inultæ cap. 7. num. 40.

Inopia Civium fatalis ærario Principis cap. eodem num. 36.

Insolita insolitis artibus invehenda cap. 5. num. 18.

Iudicium summarium de doctrina Machiavelli. cap. 7. num. 42.

Jura Imperij, sive Majestatis quid? cap. 1. num. 20.

Jura Majestatis enumerantur cap. 1. num. 21.

Jura Majestatis magis patent, quam arcana cap. 1. num. 24.

Illa quomodo differant ab his cap. eod. num. 22.

Jus in armis cap. 3. num. 13.

Justus metus belli causa. cap. 4. num. 3.

## K.

## L.

Laniena Parisiensis excuata cap. 5. num. 18.

## U

Quia

Quia in notoriis non tenentur Principes ad solemnia Juris. ibid.

Catonis opinio circa hæc. ibid.

Item Vulpiani Juris consulti. cap. eod. num. 19.

Leopoldus Cæsar diu sine spe successionis cap. 6. num. 24.

Ejus Filij Josephus & Carolus cap. 6. num. 24.

Liber Machiavelli de Principe plenus sceleribus cap. 7. num. 20.

Libertas Romanorum periclitatur cap. 2. num. 12.

Ludovicus XI. cap. 3. num. 12. cap. 4. num. 13.

Ejus flagitia cap. 3. num. 26.

Corruptor fidei in externis Ministris cap. 4. num. 13.

Lupanaria cur tolerata. cap. 4. num. 27.

M.

Machiavellus cap. 3. num. 7.

Machiavello videri justum falsis promissis occupare urbes. cap. 7. num. 13.

Machiavellus pauperes vult subditos cap. eod. num. 14.

Vulpe Leonem assuit Principi cap. eod. num. 25.

Hujus exemplum in Juliano & Severo Imperatoribus cap. eod. num. eod.

Machiavellus Cæsarem Bor-

giam proponit in exemplum Principibus cap. eod. num. 20.

Machiavellus per omnes suos libros scelus docuit virtute omni proscriptâ cap. eod. num. 29.

Machiavelli sacrilegium cap. eod. num. 30.

Machinamenta rerum publicarum cap. 1. num. 2.

Machometes cap. 5. num. 11.

Mandane Cyri mater cap. eod. num. 12.

Medium inter extrema optimum & tenendum cap. 1. num. 36.

Media in se injusta non excusat bonus finis. cap. 3. num. 16.

Mendacium, quod sine magna culpa est, censetur inter abstrusas artes regnandi cap. 4. num. 29.

Ministri status quomodo suis Principibus instillant perverfam rationem status cap. 6. num. 3.

Moderatio Augusti cap. 3. num. 14.

Ejusdem de bello gerendo sensus. ibidem.

Modus invadendi aliena exemplo Romanorum cap. 7. num. 7.

Machiavelli de hoc sensus ibidem.

Modus opprimendi Rempulicam

blicam per discordias cap. eod. num. 10.

Modus tollendi è medio Tyranni. cap. eod. num. 11.

Mos Venetæ Reipublicæ circa ostracismum cap. 4. num. 23.

Mundi, aularumque intuta & infidiosa omnia cap. 3. num. 2. & seq.

Munerum vis cap. 4. num. 13.

Multitudini an nihil negandum. 7. num. cap. 27.

Multitudini sceleratæ se conformare, par est scelus. ibid.

## N.

Naufragi cap. 5. num. 7.

Necessitas ultima non expectanda cap. 4. num. 13.

Necessitas non est semper quando prætenditur cap. 5. num. 5.

Necessitas sceleratè vivendi cap. 7. num. 22.

Nemo necessitatur ad malum patrandum cap. 6. num. 13. 22. cap. 5. num. 8.

Non, quod libet, agere, est Regem esse cap. 6. num. 12.

## O.

Odium prætextus justitiæ cap. 3. num. 9.

Odiosa non tractant per se Principes cap. 4. num. 12.

Ordinatio divina in omnibus cap. 8. num. 14.

Optima in malam partem accepta cap. 1. num. 4.

Ottomanum Imperium quomodo caput cap. 5. num. 11.

Ostracismus cap. 4. num. 23. P.

Patriæ libertas quo modo tuenda cap. 7. num. 17.

Patrum crimina indignum filios luere cap. 3. num. 8.

Pericula præoccupare futura cap. 4. num. 18.

Periculum à Potentibus civicus cap. 4. num. 19.

Periculum quomodo caput Imperium cap. 5. num. 12.

Pericula sunt certa, aliàs censenda merus prætextus cap. 6. num. 22.

Periculum proximum Austriacis à Bavariæ Duce cap. 7. num. 8.

Pertinacem vult Principem Machiavellus cap. 7. num. 27.

Perversitas Principum cap. 3. num. 26.

Potentes per quid suspecti reddantur cap. 4. num. 23.

Potestas restricta & speciosa cap. 4. num. 4.

Politices definitio apud statistas cap. 1. num. 6.

Ejusdè confirmatio c. 1. n. 7. U 2 Præ.

Premium Pseudo Politices  
cap. 3. num. 25.

Prætextus statistarum cap. 1.  
num. 30.

Præpotentes indirectè pre-  
mere cap. 4. num. 18.

Prædam qui quærit, prædã se  
sæpè constituit cap. 7. num. 23.

Principes sunt Pastores,  
non Lupi gregis cap. 6. num. 18.

Principibus exosa popularis  
libertas cap. 4. num. 29.

Principemne alium aggredi  
leiebit ex sola causa, quod sub-  
ditos malos, aut hos ille malè  
habeat cap. 7. num. 28.

Princeps bonu. nunquam  
lætatur ad subditorum calami-  
tates cap. 7. num. 10.

Principibus sanguinis primi  
deferuntur honores cap. 1.  
num. 17.

Privati magis præsentia re-  
spiciunt, quã præterita c. 4. n. 7.

Privilegiorum abolitio pa-  
liata. cap. 5. num. 17.

Promissis magnis pauca fides  
cap. 7. num. 13.

Quomodo servanda promissio  
cap. eod. num. 18.

Proscriptiones cap. 3. num. 8.

Proscriptorum bona quæ  
censenda cap. 3. num. 8.

**Q**  
Quietæ Reipublicæ interest  
ut unus Impe. et. cap. 4. num. 26.

## R.

Ratio statûs Juris derogato-  
ria cap. 1. num. 31. cap. 5.  
num. 1.

Est etiam excessus Juris cap.  
1. num. 32.

Excusat omnia. ibidem.

Quã illa absoluta? c. 5. n. 1.

Ratio statûs Privilegium Re-  
gnantium cap. 1. num. 33.

Rationis statûs discrimen in  
Rudolpho & Nerone exhibe-  
tur cap. 1. num. 35.

Ratio statûs non debet re-  
pugnare Juri divino cap. 1.  
num. 34.

Ratio statûs duplex bona &  
mala cap. 6. num. 1.

Malæ descriptio. eod. n. 2.

Hujus effectus. ibidem.

Principia & dogmata cap.  
eod. num. 4. & seq.

Malos & quosunque in con-  
siliu adlegit. cap. eod. num. 7.

Religionem quamcunque  
tolerat cap. eod. num. 9.

Quanta concedit Principi-  
bus in subditos. cap. eod. n. 8.

Emulationibus æstuat cap.  
6. num. 10.

Nulli pacto alligatur ibid.

Quid præcipuè satagit ibid.

Tribus cardinibus inicitur  
cap. eod. num. 11.

Ratio statûs ad privatos non  
spectat, & à Principibus cum  
maxima

maxima cautela practicanda  
cap. 5. num. 4.

Scipionis Amirati limitatio  
circa Rationem statûs cap. eod.  
num. 5.

Ratio statûs bona & mala  
simul stare nequeunt cap. 6.  
num. 12.

Bonæ rationis statûs definitio,  
ejusque descriptio & effectus  
&c. ibid.

Ejus Principia cap. eod. num.  
12. & seq.

Quod falsa concedit, negat  
bona ratio statûs, præsertim in  
materia Religionis cap. eod.  
num. 19. 20.

Ratio statûs, quos ad confilia  
admittit cap. 6. num. 23.

Rebellionem mediante turpe  
Regem fieri. cap. 7. num. 5.

Regicidium, etiam Tyranni,  
damnum ab Ecclesia cap. 7.  
num. 11.

Regna an possint subsistere  
citra violationem Justitiæ cap.  
6. num. 22. 23.

Regnantes plurimis periculis  
expositi. cap. 3. num. 1.

Jure igitur insidiantur insidiosis  
ibidem.

Regna per Tyrannidem acquisita  
conservantur cap. eod. num. 10.

Regnorum omnium initia

fundantur in quibusdam arcanis  
cap. 5. num. 11.

Regna conservantur varijs  
artibus etiam flagitiosis cap. 5.  
num. 16.

Regibus multa licent quæ  
non privatis cap. 4. num. 1.

Regimen bonum quæ faciunt.  
cap. 4. num. 30.

Religio statûs commentum  
cap. 3. num. 15.

Religio multum operatur  
cap. 4. num. 16.

Qualis apud Ethnicos cap. 4.  
num. 17.

Religio vera plus potest,  
quam ficta aut incerta cap. 7.  
num. 3.

Religione stant Regna cap.  
8. num. 7.

Rinco Hispanus apud Solymanum  
Galliæ legatus ex insidijs occisus  
cap. 5. num. 19. & quare? ibid.

Romanorû quomodo cepit  
Imperium cap. 5. num. 14.

Romulus ibidem.

Ejus dominandi libid. oc. 7.  
num. 2. S.

Salus Regis & Regni sup. e.  
ma lex omnium cap. 5. num. 2.

Alligatur tamen Juri naturæ  
& divino cap. eod. num. 3.

Salus publica in multis excusat  
Principes. cap. eod. num. 10.

Salus publica etiam per abstrusas artes agitur. cap. eod. num. 15.

Quæ intrinsecè mala sunt, nullâ ratione salutis publicæ excusari queunt cap. 6. num. 17.

Sapientis est mutare consilium cap. 7. num. 27.

Sagacitas quanta in Principe requiratur cap. 5. num. 16.

Scientiarum Principia quadrifaria ibid. num. 4.

Scelus redit in Authorem cap. 7. num. 9.

Scelus quantumcunque felix, intutum est. cap. 7. num. 30.

Scelerû unde causæ c. 8. n. 8.

Scribonianus in exilium actus cap. 2. num. 5.

Seditionum mali exitus cap. 7. num. 4.

Semiramis cap. 5. num. 15.

Sævitia cap. 7. num. 24.

Simulatio in Principum consilijs cap. 4. num. 2.

Simulatio, quæ admittenda cap. 6. num. 15.

Simulatè qui jurat, perierat cap. 3. num. 21.

Simulata amicitia quid? cap. 7. num. 35.

Simulachra Aristocratix in Regnum mutatæ cap. 2. num. 14.

Simulachra Poliarchix. ibid. Sylla cap. 3. num. 8.

Societas improborum dedit Principem. cap. 7. num. 6.

Societas Cæsaris, Pompei & Crassi cap. 2. num. 12.

Sophismata optimatum contra plebeos & vicissim. cap. 2. num. 14.

Statistæ nolunt DEUM esse, quia timent ultorem cap. 8. num. 7.

Statistæ plerumque sunt Atheistæ cap. 8. num. 13. & seq.

Statistis, quid Jus Jurandum cap. 3. num. 20.

Statistæ ex causâ boni publici excusant flagitia cap. 1. num. 10.

Subditorum depauperatio cap. 4. num. 9.

Subditi inopes facilè flectuntur cap. eod. num. 10.

Subditos exarmare cap. eod. num. 19.

### T.

Tarquinius cap. 3. num. 8.

Temperamentum in omnibus observandû. cap. 5. num. 8.

Telephi lancea cap. 6. num. 1.

Theologicè malum Politicè bonum esse non potest. cap. 3. num. 16. 17.

Theodorus Atheus cap. 2. num. 8.

Tempor

- Tepor in divinis cap. 8. num.
13. S. Thomas Aquinas scripsit de flagitiis & arcanis Tyrannorum cap. 1. num. 5. cap. 3. num. 6. & seq.
- Tiberij vitia cap. 2. num. 8.
- Tiberius occisorem Agrippæ sustulit. cap. 4. num. 12.
- Tyrannorum veterum artes sunt modernorum Principum arcana cap. 3. num. 8.
- Tituli inanes. cap. 2. num. 3. V.
- Vaticinium Harpagi cap. 5. num. 12.
- Vaticinium Authoris pro Domo Austriaca cap. 6. num. 24.
- Veritas ex contrariis cap. 1. num. 5.
- Vetus Politica apud nostrates simplicitas est. cap. 4. num. 2.
- Vicinatorum oppressio cap. 3. num. 12.
- Vigilantia statistica cap. 4. num. 18.
- Virtutes quod potes, nolis vi. cap. 7. num. 25.
- Virtus nunquam fallit cap. eod. num. 33.
- Vim supplet fraus cap. 3. num. 10.
- Vis vim majorem timeat. cap. 3. num. 19.
- Vis & lex duplex decertandi genus cap. 7. num. 25.
- Vmbra antiquæ potestatis in Româ cap. 2. num. 2.
- Vnitas fatum est Reipublicæ Poliarchicæ cap. eod. num. 13.
- Vtilitas interdum prætenditur & non est. cap. 5. num. 9.
- Vtilitas ab honestate nunquam separari debet. ibidem.





Errata	fol.	lin.	Corrige	Errata	fol.	lin.	Corrige
3. Dicuntur	6	10	7. Dicuntur	18. Velint	67	8	17. Velint
Arcana	7	22	arcana	29. Insidiantur	74	19	26 Insidiantur
prætextus	9	4	prætextus	39 Non nulli	75	24	27. Non nulli
Aprypa	10	10	Agrippa	31. Alia	76	6	28. Alia
quod maximâ	14	17	quod maximû est, maximâ	babeant	76	16	habent
utilitatem	21	23	utilitatem	32 Inter	76	18	29. Inter
fossam	26	25	fossam	33 Pro	77	6	30. Pro
5. Ad saluatione	38	13	6. Ad saluatione	voluit	83	8	8 voluerit
eivilibus	45		nem	invenient	87	6	invenirent
			4 civilibus	prætextus	111	22	prætextus
Regij	46	17	Regi	amisiere	118	10	amisiere
aliis	52	7	aliis	16. Circa	120	24	18. Circa
tum fortunis.	53	15	dum fortunis	quum	120	24	quum
Omnibus			omnibus	Non moveri	131	5	31. Non moveri
25. Jason	54	3	26. Jason	blandiis	132	15	blanditiis
scythâ	54	7	scythâ	columba	132	18	coluber
est	58	17	est	reflexus	133	1	refluxus
juvat	60	15	juvat	juditorum	133	17	subditorum
				int ertot	139	23	inter tot

ARCANORUM  
STATUS

*LIBER II.*

ARCANA REGIA

*SIVE DE*

IMPERIO UNIUS.

PARS PRIMA.



CAPUT PRIMUM.

*Unde Potestas Publica?*

I.



Ristoteles ad Alexandrū rescripsit: Vetus, & à Majoribus acceptus hominibus est sermo, *Quòd omnia à Dijs, & per DEOS nobis sint constituta.* Interrogatus Calimachus: unde essent Reges, & Regna? Respondit: *ex Jove.* Principes Imperium habent à DEO, eosque DEORUM instar esse, asseverat Tacitus, sudditis solâ obsequij gloriâ relictâ.

3. & 4. Annal.

2. Vespasianus ex affectato Principatu Majestatis reos, nullo mulctabat supplicio inquis: *Principatum fato dari, frustrâque tentari facinus illius potiundi spe, vel amittendi metu.* Ethnico tantò Securius subscribimus Christiani, quantò veriùs oraculo Divino credimus, nullam potestatem esse, nisi à DEO. Ejus nutu Reges, & Regna dari, tolli, transferri, temperari.

3. DEI quippe digito ad Romanos scriptum est. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sub-*

## 4 ARCANORUM STATUS

*dita sit. Non est enim potestas, nisi à DEO. Quæ enim Potestates sunt, à DEO ordinatæ sunt. Itaque qui resistunt potestati, DEI Ordinationi resistunt.*

Salomon dixit: *Vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super Solum David Patris mei.* Idem Prophetæ Danielis sensus: *Excelsus dominatur super Regna hominum, & cuicumque vult, dat illa. Est itaque DEUS qui constituit, & transfert Regna. Multiplicat gentes, & perdit eas, & subversas in integrum restituit, qui immutat cor Principum terræ.*

13. 4. Et licet quandoque DEUS per medias causas id operetur, successione, electione, aut aliâ mediatione simili: est tamen Rex, quoad characterem potestatis, unicum Numinis opus, ejusque providentiæ, velut imago in terris. An non à DEO, quod huic potius, quàm alteri Regnum deferatur? an fors DEUS non valeat hoc, vel illo obice impedire? Causæ secundæ determinantur à Prima, & spontè DEUS confert, à quo non auferre vult, cum possit.

5. Legem fundamentalem Regni sui extolunt Galli, ajuntque sibi hoc irrefragabile esse, scilicet: *Debitam immediatè Uni DEO Regum*

*in subditos potestatem.* Et reverà sic se habet: si characterem potestatis in sensu, quâ talis est, accipimus: quia non est potestas, nisi à DEO. At si in sensu respectivo, & specifico: tunc videbimus intermedias causas, quales sunt electiones, successiones, capitulationes, leges Municipales, Parlamenta, intervenire, quæ tamen Potestati illi, qualem DEUS vult, & ordinavit; nihil derogant, sed præoccupant tantum, ne Imperantes Imperiò abutantur, eamque, quâ pollent, potestatem rectæ rationis Regulâ dimetiantur. Iniquus Judex quidam Anonymus fuit, vel saltem partialis: qui præter Gallix Reges immediatam à DEO potestatem habere alium quasi neminem pronuntiavit, quâ Gallix Regem.

6. Imperator enim, ait ille, electioni, & Dictis Imperialibus subjacet. Angliæ Regnum Parlamento obnoxium magis, quàm Regi, sedis Apostolicæ beneficium est. Scotia, Angliæ feudum est; Norwægia, Daniæ; Dania Imperij. Syriæ, & Solijmæ Regna summo Pontifici fidem debent. Regna item Neapolis & Siciliæ. Poloniæ Reges Imperatori coronam primitus debent, Summo Pontifici nomen ex Ducali

Regium. Hungariæ Regnum, feudum est Apostolicæ sedis. Denique dempto summo Pontifice, & Republicâ Venetâ, omnes authorem agnoscunt. At unus inter Reges Christianissimus, Jure suo regnat; unus imediatè DEO debet, quoddam Rex est.

7. Astasserit hoc Anonymus, non probat. Sane in statu illius Primævæ libertatis obscurum erat nomen Regis: Ignotus Princeps: neque Herus fuit. Tandem cum Potentiores aliqui lapsu temporis se erigerent, aut Tyranni evaserunt isti, vi sibi subjicientes homines liberos: aut Principes liberrimo consensu populi facti, & creati, in salutem, & conservationem universorum. Sic deinceps per tot millennarios Annos in hæc usque tempora processum. Nihilominus tamen ore infallibili pronuntiatum, *Non est Potestas, nisi à DEO.* Aded nihil obstat Regiæ Potestati, quin à DEO esse dicatur, licet eorum electio à populo dependeat. Aliud est designatio Potestatis, aliud ipsa Potestas. Inspiciamus ipsa Primordia Regni Galliarum. Nonnè Pharamundus (à quo Regum Galliarum ortus, & per stirpes successio) à subditis suis Franconiæ indigenis, nondum plenè parto Regno, Rex electus

electus fuit. Hujus duravit usque ad Childericum posteritas invariato successionis ordine. At nonne ob libidines, amoto Childerico, rursus novum, & peregrinum quidem Regem Ægidium constituerunt? Nonne multoties idem deinceps actum? quomodo igitur asserit Anonymus, quod in solum hoc Regnum è Cælo delapsa sit Potestas? Ita me hercle habent quidem Reges Gallix desuper potestatem, sed quam habent etiam omnes alij Reges legitime electi, & absoluti. Rex & Princeps omnis, ut primùm successit, vel factus est, characterem obtinet potestatis supremæ in suos subditos. Adnascitur hæc cum ipso Regio officio. Nam ubi dominiū est, ibi Potestas; ubi Regnū, ibi soliū.

8. Neque obganniat nobis quisquam capitulationes, Parlamenta, Leges Regni &c. ejusmodi, ut dictum est, non infringunt Regiam potestatem, sed moderantur ab usum potestatis. Normam à Gallis accipio: Quanta in Gallia erat auctoritas vasallorum Principum? Quoties armis cum Rege ad tuendam illam decertatum? Quoties ictum cum illis fœdus, sed raro cum Gloriâ Regis? Habuere Principes sanguinis, quod objicerent; habuere quid oblo-

Buffier  
hist.  
Franc.

p. 1.

Gramond.  
in hist.  
Gall.

## 8 ARCANORUM STATUS

Idem ad Annū 1615. querentur, & reluctarentur Regi indigna agenti: ut priori ævo fecêre Condæus, Sueffio, Nivernus & alij. Extat historiâ summi viri Gramondi: legatur. Deinde quid ibi Parlamentum? Censuram habuit in ipsos Reges, arbitrabatur leges, ratificabat acta, & supra Reges fuit.

8 Legi monitorium datum Regi Anno 1616. Procul habendos homines novos rebus arcanis. Vocandos ad militaria munera Gallos Nobiles, qui promoveantur gradatim. Idem statuendum de Præfecturis, & Beneficijs Ecclesiasticis. Ecclesiæ Gallicanæ manutenenda privilegia. Supprimendum Monachorum numerum, & aggregandos veterum familijs. Restringenda secretioris consilij potestas, cui ipse Rex præest. Nihil ab aula executioni dandum, nisi Parliamentorum actis inscribatur ex lege antiqua. Minuenda tributa. Ærarium reformandum; nec distrahenda pecunia in usus privatos, quam Henricus IV. suâ parsimoniâ congregavit &c. Et in fine *Minæ intentabantur*, ait citatus Gramondus. At si ejusmodi nihil derogant, quin Rex Galliarum immediatam à DEO habeat potestatem, nec Anonymus, illam denegare ausit, quam alij Reges obtinuerunt à DEO, licet stringantur legibus directivis Regni. Ex-



10. Exhinc irrefragabile Arcanum Statûs est: **DEUM** causam esse immediatam Potestatis Regiæ; populum verò, vel Electores esse causam tantùm modi acquirendi, non ipsius potestatis. Potestatis autem nomine intelligo Majestatem, quæ in se comprehendit **Dominium & Imperium**: Ided dicuntur Reges & Principes **Domini**, nec minùs **Regere, & Imperare**. Majestas autem est suprema illa potestas, quæ Principis personæ inhæret, sicut anima corpori, & subditos obstringit ad obsequium, sicut anima movet, & communicat sensum omnibus membris. Quemadmodum verò membra non tribuunt corpori animam, sed aliunde illi infunditur eâ prærogativâ, ut cætera membra illius ductum sequantur, ad illius motum operentur, & obtemperent: ita Principi non à subditis obtingit potestas, sed aliunde, & eâ quidem authoritate, ut subditi omninò obligentur ad ejus Imperij motum obsequi, seque ad ejus influxum sive præceptum, passivè habere.

11. Valde à verò deflectunt illi, qui Majesta-

tem hanc, sive potestatem summam autumant radicaliter in Populo, vel Electoribus consistere, eamque tribui sive à Populo, sive ab Electoribus, Regi vel Principi ob salutem Publicam. Nullibi hoc legimus, nulla traditione accepimus, unde Populus hanc potestatem haberet: non certè à se ipso, quia nihil est à se præter DEUM: non à multitudine, quia cum singuli hanc potestatem non habeant, quomodo illam infundent multitudini. Quid enim aliud multitudo est, quàm acervus multorum. At verò ex scripturâ nobis constat, DEUM solum constituere Regna, & transferre: per DEUM Reges regnare: per hunc Principes imperare, per hunc potentes judicare terram; non per populum, non per multitudinem, non per multitudinis Electores. Contraria opinio DEO derogat, Principibus solium disputat, mundum seditionibus replet. Sicut verum est potestatem, sive Imperium, formam esse cujuscunque Regiminis, seque extendere super omnes, qui inferiores sunt: ita falsum est, ab his in Regnantem descendere illam potestatem, sed competere Regnanti talem institutione divinâ, quâ in Regem constitutus est.

12. At verò si DEI solius Providentiâ Imperatis O Principes ! O Reges ! ut diu & feliciter esse possitis ( inter monita præstantissimum est Lipsij ) Datori supplicate, & scitote, tollere posse, qui tribuit; & evertere, qui sublimavit.

Id Saul, & Salomon uterque expertus: *Scidit Dominus Regnum Israël à Saul hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Et ad Salomonem; *Quia non custodivisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi: dirumpens scindam Regnum tuum, & illud dabo servo tuo.*

23. A DEO denique sunt omnium potestates, & Jura Regnorum, quamvis ab illo non sint omnium voluntates, & excessus Tyrannorum. Obtemperandum est indifferenter omnibus; nec inter discolos & probos subditis faciendum Judicium, Judicandi tantùm ab illo, cujus odinatione constituti sunt.


14. Regibus à DEO datis nemo ex quâcunque causâ refragabitur sine culpâ. Inde fit, nullum Principem à suis subditis puniendis, aut corrigendis arcendum esse. Ut Angliæ Rex tentabat priori sæculo se immiscere seditioni Principum Galliæ adversus Ludovicum XIII. & Reges Galliæ sæpè id præsumunt adversus Austria.

cos. Qui istud facit, ordinationi Divinæ, & omnium gentium Juri adversatur. Non est zelus Justitiæ alienos subditos in clientelam, aut fœdus recipere adversus legitimum Principem, sed usurpatio quædam alienæ potestatis.

Nec ipsos Reges infideles excipio. Ubi Paulus prædicabat Evangelium, nemo tunc Regū, fidem Christi sequebatur: & tamen frequentius intonabat: *Obedite Superioribus vestris, DEI enim Ministri sunt.* Et alibi Evangelij lux Christus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* licet tunc Tiberius sceleratissimus Imperaret.

15. Et olim etiam Jeremias, & Baruch Prophetæ Populo Israëlitico præcipiebant: *Submittite colla vestra sub jugum Regis Babylonis, & servite ei. Orate pro vitâ Nabuchodonosoris & Baltasaris filij ipsius, ut in terris quantum Cælum duret, &c.* Primæva Ecclesia, pro Principibus suis preces & vota concipiebat, licet ipsam crudelissimè persequendo quotidie fermè feris & leonibus in Amphitheatro objicerent. Audiamus & Sanctos Patres: S. Gregorius Nazianzenus in prima sua invectiva, ut refert Salmasius, contra Julianū appellat Constantē Principē **DIVINISSIMUM**; ut ut divinissimus hic Princeps,

persecutus est tamen Ecclesiam divinam, ejecto sede suâ Papâ. Sabas DEI servus cum de Imperatore Anastasio, manifesto Hæretico, & justâ Cœli indignatione fulmine percussio sermonem faceret; dixit se venisse ad adorandum pedes suæ sanctitatis. Patres Concilij sexti Constantinopolitani Justinianum & Theodorum SANCTOS commemorant, quantumvis uterque plus monstri, quàm miraculi habuêre. Idem de Theodorico Arriano, & Valeriano pagano constat, eos Sanctissimorum nomine celebrari ab Ecclesiæ Patribus. Ut videre est in libris Conciliorum passim. Ita nimirum DEO cordi est Regum potestas, ut etiam malorum Principum interuentu, discrimen non faciat, inter Proborum, & Improborum potestatem. Cùm enim omnis Potestas à DEO sit, improbus Princeps, qui eâ abutitur ad vitium, & subditorum perniciem, potestatem, quam habet, non maculat, sed maculam adjungit ex suo, sicut malus Sacerdos, malus Episcopus, malus Pontifex vocationem suam, vitæ pravitate non contaminat.



## CAPUT II.

*De Regno & Rege.*

1. **N**atura vis ipsa Regnum, & hoc Reges  
 Nexigit. Orbis universus, Cœlestis, &  
 terrestris, ab uno primo motore regitur. Ejus  
 Providentiâ, consilio, nutûque cuncta, quæ in  
 obtutum veniunt, moveri, flecti, ac disponi  
 certum est. Huic omnia velut suo Principio, &  
 Principi deferunt obsequium: causæque om-  
 nes secundæ respiciunt Primam, ut vel inde  
 conjicere liceat Typum Regis, & Regni re-  
 periri in ipsa natura. Sanè in hoc universo  
 multa præstantiora sunt alijs: alia præfunt, alia  
 subsunt: omnia Regis Regnisque imaginem  
 præferunt. Materiæ præficitur forma, quia  
 ruditatem illius informat ista. Animantia, quæ  
 gregatim se tuentur; & feræ, licèt dispersæ,  
 Regem habent; grues Duem; serpentes Re-  
 gulum; apes principem; & certæ piscium spe-  
 cies, quorum innumera cateruæ, sive cohortes  
 pelago innatant, unius sequuntur ductum,  
 ad unius moventur Imperium. Ipse animus,  
 quo

quo nihil in terris eximius est, quædam est Respublica constans excellentioribus & minùs excellentibus partibus, Memoriâ, Intellectu, voluntate, Phantasiâ, partibus concupiscibili, & irascibili, aliisque animi motibus, & passionibus, quæ omnia subjiciuntur arbitrio, quod in homine liberum est, & liberè imperat omnibus potentijs, & affectibus animi, non aliter ac in Regno corporis humani omnia cætera membra se flectunt, movent: regulantur, & disponuntur, seque in obsequium demittunt capiti, quod veluti Rex est in Microcosmo.

Plato.

2. Jam ad mundi Primordia respicio: Ibi palantes, velut animantia, vagabatur populi, tunc nullæ domus, sed cavæ; non cibi delectus, nisi quem cruda tellus dedit; nulla civitas, nulla inter homines communio, sine lege, sine pœnis: posthæc exstructæ ædes ad injuriam propulsandam aëris & ferarum; sed hinc inde dispersæ, ut nemus, ut fons placuit. Interea tamen non feriabatur innatus naturæ humanæ societatis amor, qui sensim impellebat distractum Populum in communionem civilem; accessit humana debilitas, & ex hac necessitas, ut unus alterius egeret ope, donec in unum coalescens

lescens multitudo vicos, oppida, urbes, & ex urbibus ingentes formaret terræ tractus, quæ ordine, quæ Moderatore opus habebant: Nam exutâ paulatim primâ morum innocentia, & Mundo indies in pejus ruente, facto homine homini inimico, ut malo medium statueretur, omnium fermè gentium consensu constituti sunt Reges, & Principes, qui legibus formarent mores hominum, malos mulctarent pœnis, tuerentur bonos à rapinis, & latrocinijs: omnibusque ex æquo, & justo imperarent.

Hæc Regni, Regumque Origo in naturâ ipsa fundata, ac gentium Jure, vel restricta, vel extensa, ut vel ex hoc constet primum à condito Orbe fuisse statum popularem, ac libertati assuetum, Dominiûmque tandem Regibus à populo permissum in universorum Salutem.

3. Quod quatuor fermè modis contingere testatur Aristoteles, cui Regni nomen latè patet, idvè in suas species reducit. Primò in Regnum Laconicum, ubi Reges militiæ tantum præerant, restrictâ potestate ad optimorum Reipublicæ consilium. Secundò in Regnum Herile, in quo eâ potestate pollebant Reges, quâ



quâ Domini in servos solent. Tertio in Regnum Temporaneum, ubi summa potestas uni ex populo data â populo, vel ad tempus, vel ad certam expeditionem, vel in aliqua necessitate Reipublicæ gravi: quales olim Romana Respublica creabat Dictatores. Quarto in Perpetuum, ubi civium voluntate, & suffragio summa potestas uni, ejusque posteris in commune universonum bonum deferebatur. Sic Franci, vel Francones Marcomiri filium Pharamundum sibi Regem fecerunt perpetuâ Regiæ stirpis successione, quæ multis sæculis perduravit, divisa quidem deinceps in Carolingiam, Merovingiam, Capetingiam, Valesiam, Barboniam, in qua etiamnum subsistit. Et sic ferè obtigerunt pleraque Regna, & Principatus. Aded ut quod initio liberè datum, perpetuâ lege transeat in posteros necessarium.

4. Conveniunt prædictæ formæ omnes quoad potestatem, & differunt quoad restrictam. Prima species vigeat apud antiquas Respublicas. Secunda apud Barbaros, & etiamnum apud Ottomanos. Tertia in antiqua Roma. Et quarta illa vera species Regni est, quæ nostri laboris scopus, & finis.

5. Est enim verò Regnum multitudo civilis sub uno Principe : & Rex est, qui multitudinem illam potestate absolutâ regit in commune univerſorum bonum : vulgò tamen non omnis Princeps Rex est, nec omnis Rex Imperator, nec omnis Imperator Monarcha ; licet hi omnes Principis nomine insigniantur, omnis enim Rex, Imperator, aut Monarcha, generali nomine Princeps est, divinâ ordinatione regendo populo datus. Imò Imago & exemplar DEI interris, rerum moderator, & Arbiter, in cujus manu posita Opes, dignitas, vita omnium nostrum.

Finis  
ex  
Se-  
neca.

6. Monarcha arbitratur etiam in aliena Regna, & Ditiones, præter maximam suam potentiam, quam habet domi. Pro Monarchia certatum inter Gallum, & Hispanum, jam fermè duobus, & amplius sæculis, & vicisset unus, nisi alij Europæ Principes illis æquilibrium statuisſent.

7. Imperiũ constat Regnis, & Principatibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus ; itè civitatibus liberis, alijsq; plenæ potestatis territorijs, & ditionibus, quæ, velut membra, coalescunt in unum corpus, cujus Imperator caput est ; ac eam absolutam potestatem habent in suis territorijs, quã

Im-

Imperator ipse in toto Imperio, ut rectè Carolus V. de se dixerit: se Regibus Imperare.

8. Rex demùm Regno, & Princeps suo Principatui præest pleno Jure potestatis absolutæ. Unde Monarcha, Imperator, Rex, Princeps, quoad potestatem, quam habent absolutam, non differunt, sed quoad amplitudinem, & extensionem Statûs.

9. Nemo tamē inter hos comprehendat Principes vafallos, quorum nomen speciosum, potestas inanis est. Non enim datur Status in Statu, licèt non repugnet, ut qui absoluta dignitate est Princeps, Principes habeat Vafallos, ut hodie, & quondam, tam Belgij, quàm Sylesiæ supremi Principes, non paucos habuerint, habeântque vafallos, Principali dignitate conspicuos.

10. Ille demum verus Princeps: cujus solus DEUS Judex est, ut Dion dixit in Trajano. Et talem non ego solùm (dicit quidã) verum, sed & magnū illum Principem ajo, in quem si hominū Judicia cadere velint, non possint. Qui arbitrat, ut Dominus; tuetur, ut Pastor; punit, ut Pater; largitur, ut munerator: qui tam utiliter prodest, quàm Imperiosè præest, hic verè Rex est. Quàm Regio nomine probrosum est, quod

Eginhardus scribit in historia Franciæ : **Gens Morevingorum**, licet in Childerico finita possit videri, tamen jam dudum nullius vigoris erat, ne quicquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præferebat. Nam & opes, & potentia regni penes palatij Præfectos, qui Majores domûs dicebantur, & ad quos summa Imperij pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quàm ut Regio nomine tantùm contentus, crine profuso, barbâ submissâ Solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undequaque venientes audiret, iisque abeuntibus responsa vel edoctus, vel jussus redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus aulæ, ut videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij possideret, quàm unam & eam parvi redditûs villam, &c. At verò Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi, vel foris agenda & disponenda erant, Præfectus aulæ curabat. Absit hoc à Regio nomine, sed magis à Regia Majestate, quæ superiorem ferre non potest, nec parem pati debet. Regum potestas à DEO est, quisquis illam, non ex æquo, alijs communicat,

abu-

abutitur dono cœlitus dato : quisquis per ignaviam eam sibi auferre finit, indignum se illâ reddit.

## CAPUT III.

*De Majestate.*

**I**N hærebo Majestati paululum, eamque à radice ipsa examinabo, non ignarus In Majestate fundari Reges, Regna, & præcipua regnandi arcana. Verùm non de ea Majestate agam, quam posterioris ævi Politici, non tam solidis rationibus, quàm privatis prætextibus persuasi, ut nimirum varias, & seditiosas inde, præsertim in Religionis hoc, quod in Germania nondum sopitum est, dissidio, elicere consequentias, aut adulari possent quibusdam Principibus, plus æquo indulgentiâ Cæsarium potentibus, at Imperium ejus clam, vel palàm & sensim excutientibus, descripserunt ; deviseruntque eam jam in realem, jam in personalem ; jam populo, jam Principi inhaerentem ; mox in habitualem, limitatam, communicatam, usurpatam, titularem, & si quid

plus injuriarum in sacratissimum Majestatis nomen evomere potuerunt.

2. Majestatem ego definio potestatem esse à DEO datam Principibus, cum primùm gubernacula Principatùs legitimè assumunt. Hæc semper immanet Principi, etiam captivo, exuli, ægroto, aut pupillo, licet carcere, exilio, morbo, aut ætate impedito, quin suâ potestate fungi possit. Et quantumvis exercitium externum sit tali casu apud curatores, & administratores, non tamen hi sunt verè imperantes, sed Ministri & Vicarij alienæ potestatis.

3. Majestas superiorem non agnoscit, quia solo DEO minor est. Unde, cum pœniteret Davidem, dixit: tibi peccavi Domine: non Samuëli, non Propheta, sed soli DEO, quia Rex fuit, uti potestate super omnes, ita subjectione infra solum DEUM. Id fermè expressit quidam ex Patribus inquiring: Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.

4. A populo, five Statibus, five Ordinibus, five Electoribus designatur tantum aditus ad Majestatem, non hæc Principi ab illis tribuitur. Et licet aliqui Principes teneantur stare capitulationibus ex fide boni viri, nequeunt tamen eò cogi à suis inferioribus. Covaruvias in utroque Jure excellens, libro 3. var. resol. c. 6. n. 8. audacter dixit: Potestatem ita à Principis arbitrio pendere, ut nulla ratione, nullis regulis Juris limitetur, ita ut eâ uti possit contra rationis dictamen. (quod duntaxat de sola absoluta potentia intelligit) quasi Princeps, si etiam peccare velit, à nulla humana potestate prohiberi queat. E contra omne in Regiam Majestatem delinquentis crimen exceptum est,

5. Penes Reges, & Principes omnis Jurisdictionis consistit, à quibus derivatur in alios. Eorum jure possidentur omniū possessiones; è salute publica dominantur illi in bona privatorum. Ex Daniele hoc arguo dicente ad Nabuchodonosor: Omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestias agri, & volucres

res cœli dedit in manu tua, & constituit omnia sub te. Hinc potest Princeps prohibere, & ne feræ capiantur, & ne captæ acquirantur. Idè si è salute publica valeat ille subdito auferre res suas, quidni, si necdum suæ sunt, licebit publico rescripto interdicerè?

6. Majestatem plerique Politici suo modo & respectu indivisibilem pronuntiant. Quia si divideretur, paritas intercederet: si hæc intercedat, definit Majestas, cùm ex accessu paritatis illi SUMMITAS tollatur. Majestatem enim summam in Republica esse oportet: Summus autem non est, qui parem habet, aut qui respectu aliquo paret. Ubi potestates sunt æquales, neutra dici potest summa, hinc tam jurisperiti, quàm politici Jura Majestatis statuerunt esse indivisibilia, non solum, quod non valeant separari ab invicem, aut quod nequeant separari à Rege; sed etiam, quod omnia simul conjuncta, veluti Majestatis constitutiva, non possint nisi Uni attribui. Huc respexit D. Athanasius in oratione adversus idola inquiring: **Ut multitudo Deorum, nullitas est Deorum; ita quoque necesse est multitudinem Principum**



pum id efficere, ut nullus Princeps esse videatur. Valentinianus, Imperator factus fuit eâ lege, ut adepto folio, Solij & Imperij confortem sibi jungeret. Occupato interim folio, Confortem omninò reuult, neque tulit, hoc argumento nitens, aduersùs militum sollicitationes & querelas: Ut ad Imperium me vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate: at verò postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis cõpetit parere, mihi verò, quæ facienda sunt, cogitare. Similiter perstrinxit Sixtus V. Cardinales fautores suos, postquam electus fuit in Papam. Solium nec admittit socium, nec vult Censorem.

7. Num autem Majestas sua Jura communicare valeat inferioribus? distinguenda quæstio; vel enim quæritur de actu primo sine ipsa potestate, vel de actu secundo, sine exercitio? Primũ veto, alterum admitto. Veto, quia Majestas in se est indivisibilis. Admitto secundum, quia magna moles Imperium & Respublica est, cui aliquando Imperantes, viribus, vel alijs impedimentis haud pares esse possunt. Adiutoribus

isti opus habent, non tamen socijs ; Ministris, non autem paribus. Et licèt Francia Pares Regni toleret, non tamen sunt Regi pares, sed pari inter se potestate pollent. Sic in Legatos, Belli Duces, Provinciarum Præfectos, Præfides & Locumtenentes Regios, Vafallos item Nobilium feudorum, solent Reges quædam privilegia & præeminentias, quæ particulæ quædam, aut radij sunt Majestatis supremæ, prout expedit, plus vel minus profundere, ut participatione horum constantiores in fide persistant, aut ipsos Reges à laboribus Regni sublevent : cùm Majestaticum etiam esse censeatur, subditos habere conspicuos & eminentes. Gaudent ejusmodi præeminentijs præsertim Status Imperij, quorum aliqui (Principes videlicet tam sæculares quàm Ecclesiastici) fermè omnia Jura Majestatis in suis statibus possident & exercent. Quod exercitium non Majestas, sed territorialis superioritas dicitur ; neque intitulantur Majestates, sed Serenitates vel Celsitudines, quia tam per appellationem, quàm alios actus Imperatori subjecti sunt. Licèt autem hæc potestatis ratio Majestati analogæ, à suprema Majestate dependeat, tamen per hanc illa nec extinguatur, nec minui Jure potest,

teft, cùm Imperator ex pacto teneatur conser-  
vare prærogativas, & splendorem Imperij, quod  
ficuti omnibus præeminet Regnis, ita ejus mem-  
bra omnium aliorum Regnorum antecellunt  
Principes. Principi nunquam libeat deterri-  
orem Rempublicam reddere. Augustus fit ab  
augendo, non minuendo.

8. An verò plures dentur Majestates, & quo-  
modo se ad invicem habeant, vetus hæc quæstio  
non est: nihil enim de illa Aristoteles, nihil Plato,  
nihil Polibius, aut Dion Cassius; sed neque Poli-  
ticorum facilè Princeps Cornelius Tacitus me-  
minere; novum commentum est Limnei, &  
quorundam, qui plus æquo multitudini, parum  
Regibus fauent. Distinguit igitur ille Maje-  
statem in realem & personalem, illamque præ-  
fert huic. Personalem attribuit Regnanti; rea-  
lem populo, vel Reipublicæ, vel illis, de quorum  
consensu electus est, aut initio datus Rex. Hanc  
origine priorem, & amplitudine majorè jactat,  
quoniam hujus est, Majestatem personalem di-  
rigere, arctare, & solvere: ab hac Regimen to-  
tum, qualèque futurum esse debeat, præscribi-  
tur Imperanti.

9. Impugnat hanc sententiam fermè eodem argumento, quod ego adduxi in prima quæstione, doctissimus Hennigius in observationibus in Grotium, & ita differit: Quodd si enim realis Majestas personali major est, personalis non erit Majestas, quia Majestas secundum Aristotelem est summa in civitate, aut Republica potestas; summa autem potestas ea esse non potest, quâ adhuc datur major & superior. Si autem realem Majestatem personali postponit, ob eandem rationem realis, Majestas non erit, quia personali subordinatur; vera autem Majestas est, **Summa & super omnia.** Ita ille.

Quodd si verò daretur major & minor Majestas, æquius profectò foret, ut minor esset in membris, & major in Capite: in populo enim momentanea est, solùmque actum constitutionis respiciens: in Imperante verò perpetua, & cælitus data. Deinde Majestas illa realis nihil aliud est Limneo, quàm reipsâ illud pactum, quod intercedit inter Imperantem & Rempublicam: an verò (judicem pono quemvis vel modicum intelligentem) ejusmodi pacta me-

rean-

reantur nomen, & titulum Majestatis realis, cum tanta confusione veteris doctrinæ, & injuria illius potestatis, quæ à DEO (nequaquam à populo) data est Imperantibus. Si autem ambæ pares sunt, neutra erit summa, quia paritas defectum in utraque denotat, qui non finit unam præcellere alteri. Nec Deitates plures sunt in Cœlo, nec in una Republica plures Majestates.

10. Est nonnemo, inquit Limneus, qui diversitatem Majestatis realis, & personalis ita explicat: ut Majestas realis summa dicatur in ordine fundandi Rempublicam; personalis autem summa in ordine regendi. Concedo ultrò, personalem esse summam in ordine regendi, sed realem nullam esse, ajo, in ordine fundandi. Quia si Respublica non est fundata, nondum in ea ordo est Imperantium & obsequentium, idè nec ulla potestas summa. Quamprimùm autem Majestas accedit, Respublica est fundata, & Principi competit facultas regendi illam, ergo nihil est imaginaria illa realis. Vera autem & propria Limnei distinctio hæc est. Duo summa, simul & semel, eodè respectu, in eadem Republica dari non posse; sed diverso respectu

posse, &c. Hinc ipsi videtur realem summam esse respectu potestatis & dignitatis, quâ ante Imperatorem est ( agit enim specificè Limneus de Imperatore Germaniæ ) utpote cujus beneficio Imperator est, & ex cujus collatione potestatem habet, quam exercet, cum illa proprio jure, & vi libertatis suæ majestatem habeat. Personalem summam autem esse arbitratur, si cum singulis, non collectis Reipublicæ membris, Ordinibusque & Magistratibus conferatur.

II. Unde autem tanta bono viro allegandi authoritas, nulla verò probandi ratio, aut vis? supponit hæc, quæ probare deberet; & distinctionibus declarat, quarum principium nunquam probavit. Leges fundamentales Imperij, quæ ante Imperatorem sunt, nec potestatem, neque dignitatem aliquam summam indicant, quia nulli imperant, sed futurus Imperator liberè cum Statibus, & Ordinibus Imperij, in eas paciscitur: quod, quamprimùm, fit confertur hoc ipso in eum *Ordinatione divinâ*, ( non Statuum ) *suprema Potestas, &c.* ipsique Status eum pronuntiant *DIVINÂ GRATIÂ* Imperatorem, non *Ordinum imperio*. Deinde illas ipsas leges fundamentales, in quibus Limneus

reponit

reponit Majestatem realem, habent Ordines Imperij beneficio Imperatorum, qui ita rebantur regi debere Rempublicam, & consequenter successores succedunt in eorum pacta, & avitos mores. Determinant Ordines per electionem Successores Imperij; nec quidpiam autem potestatis conferunt, quam illi ex infallibili & æterno Verbo à Solo DEO habent. **Mea est omnis Potestas, & per me Reges Regnant,** ait ille. Impium proinde videtur præferre Majestatem realem, Majestati personali; quia si illa aliqua est, humana tantum erit: at personalis Majestas omninò divina est.

12. Breviter Summam rei conficio: unica est Majestas, & illa à DEO, & personalis: realis nulla in Republica, nisi per illam pacta & consuetudines avitas intelligas, quæ autem Majestatis nomen non merentur: cùm ea Majestati personali non imperent, sed de ijs tantum Respublica liberè contrahit cum futuro Imperante. Aliud est jubere, aliud dirigere; aliud alligari, aliud liberè acceptare.

13. Ex dictis consequitur Majestatem mortuo Imperante non redire ad populum. Redit enim

enim ed, unde venit, id est ad DEUM, à quo omnis potestas. Manet autem apud populum Jus eligendi alium Regem, quod nullam Majestatem infert, sed designationem tantum futuræ Majestatis. Ab excessu Imperantis irritantur etiam omnia pacta, consuetudines, & capitulationes, quæ rursus oportebit cum novo Rege reassumere, & renovare. Ex dictis

14. Consequitur Majestatem Imperantis judicio hominum nequaquam subjacere: quia cum illa, ordinatione DEI, concessa est Principibus, omne judicium humanum illa excedit, toleranda magis ab hominibus, quam judicanda. Antoninus Philosophus id apud Xiphilinum asseveravit: **Nemo, nisi solus DEUS, Judex Principis esse potest.** Cum enim Solo DEO minor sit, omne minus, quam est DEI, judicium jure excutit. Erat Chilpericus Rex ignavus, & ludibrium magis Franciæ, quam Monarcha; nihilominus tamen ejus subditi ut testatur Turronensis, in hæc verba Regem compellârunt: si quis de nobis, O Rex, justitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripitur; si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur



quimur enim tibi; sed, si volueris, audis: si audire nolueris, quis te damnabit? Hoc Majestatis argumento præter innocentiae evidentiam usi sunt Carolus I. Rex Angliæ contra Cromvellum, & Anglicanum populum; Conradinus Svevus, hæres Siciliæ & Neapolis contra Carolum Andegavensem; Maria Stuarta, contra Elifabetham Angliæ Reginam. Miltonius, Regum Osor, nunquam solvet hoc argumentum; quantumvis novo rursus commentario conniteretur patrocinari Regicidio. Sed

15. Quæres: quomodo Majestas soluta, vel ligata sit Legibus? Quæstionem proximè non solves, quàm si dicas: Majestatem nullis omnino positivis legibus teneri: DEI & naturæ verò ultrò subjici. Diversitatis ratio est, quia lex positiva à Majestate vim habet, ejusque condendæ potestas solius Imperantis est. Nemini verò in se Jus est: nemo à se cogi dicitur. Divinæ leges autem, & naturæ, aliam, quàm à Majestate, habent originem: illisque omninò tenetur Majestas, licet judicari propterea aut plecti in terris non valeat. Hinc Regibus, qui neminem præter DEUM supra se habent,

bent, quem metuant, eò erit horribilius iudicium, quòd ipsi Soli DEO peccent. Tot mortibus (ait quidam) digni sunt Imperantes, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. Non emanabit pœna divina, licèt infligi nequeat humana.

16. An autem hæc duo simul stare queant: esse in clientela, & Majestatem habere in duos, ratio dubitandi est: Quia majestati repugnat dependere à Superiore. Ita est, sed per clientelam non dependet à superiore, nec dependens indè redditur inferior, dummodo id faciat salvo suo jure. Constat id ex his tribus propositionibus: Primò, quòd major, aut minor potentia non pariat ullum discrimen in Majestate. II. Quòd obstrictio simpliciter, non inferat subjectionem: sicut nec patrocinium Dominium. III. Quòd semel Rex, semper maneat Rex, nisi manifestè cedat Juri Regio. Ided licèt in Judicium vocaverit Antonius Herodem clientelarem Regem propter occisum Aristobulum, nihilominus, cùm ille rem expendisset maturiùs, in eam pronuntiavit sententiam Regio caractere dignam: Non oportet eum,

qui Rex audit, factorum suorum reddere rationem, alioquin pro Rege non habendum: Postquam enim semel illi Regius honor concessus est, æquum est, ut potentia quoque Regia, hoc est, plena & libera illi indulgeatur. Clientelas, deposita arbitria, patrocinia, jam passim in Europa practicari palàm est; Nemo tamen inde vult amittere Majestatem, qui aliàs Princeps est.

17. Interim Potestas Majestatica Principis non ita circumscribi, limitarique valet per pacta, & capitulationes cum subditis, ut ab his tolli, subtrahique queant illi absolutè quædam Majestatis jura, ut sunt tributorum exactio, legum potestas, Jus feciale &c. &c. Ejusmodi profectò licèt aliquod moderamen ferre valeant, limitari autem in totum, haud quaquam possunt, quia hoc ipso tolleretur ipsa MAJESTAS, cùm hæc ex illis constituatur essentialiter. An autem æquum est, ut Principes Majestatem sibi à DEO cōncreditam prostituant inferiorum placitis aut insolentiâ? quis hoc justum dicat? Quid si autem hoc Princeps pollicitus sit, vel planè jure

jurando confirmârit? Respondit solidè Hobbius: Monarcha si quid promisit civi, vel pluribus simul civibus, propter quod summum imperiû salvâ Justitiâ exerceri non potest, promissum illud sive pactum juratd', vel injurato factû irritum esse. Pactum enim esse juris translationem, quæ requirit signa idonea voluntatis in transferente. Qui verò sufficienter significat voluntatem retinendi finem, cum sufficienter declarare; se non decedere de jure ad media, ad eû finem necessaria. Jam verò qui promisit aliquid necessarium ad sumum imperium, ipsum tamen imperium retinet; hunc satis idonea signa dare, se non aliter promississe, nisi quatenus summum imperium ab eo retineri potest. Quandocunque igitur apparuerit, id, quod promissum est, præstari non posse, salvo summo imperio, promissum pro non promisso, id est invalidû, censerî debet. Addo: Ea, quæ sunt inferioris Ordinis, semper postponi ijs, quæ sunt Superioris Ordinis, ubi agitur de damno & periculo; cum autem res civitatis & populi inferioris Ordinis sunt, quàm Majestas & Regia potestas, quâ præter cœlestia & divina nihil majus concipi in humanis valet, consecrarium est,

Principes nihil velle, vel posse promittere tale, quo inverteretur iste ordo, aut inferiorum immunitas antecederet Majestatem superioris.

18. Ut verò in feudis acceptis sit Majestas? Id minimè esse posse videtur. Quia feudum accipiens citari, & judicari potest, ut constat ex Jure feudali, & ipso usu: ut à Ludovico XI. Burgundus: à Francisco Carolus V. à curiâ Parisiensi Rex Navaræ: à Ludovico Bavaro Gocleacius à Clemente Carolus Andegavensis, &c. At quomodo simul commorabitur Summum Jus, & citari in Jus? Imperij feuda ut suprâ diximus, ejus sunt rationis, ut Princeps in suo Ducatu tantum potestatis habeat, quantum Imperator in toto Imperio; sed limitatur communiter clausulâ illâ: **Salvâ Majestate Imperij.** Quia multa agere debent ex præscripto legis, nec arma movere queunt contra jussa Imperij: imò conveniri, accusari, condemnari possunt, ut pluries degradatione Principum contigit, tã sub prioribus, quàm Austriacis Imperatoribus.

Ex consimili ratione nec absoluta esse Regna, nec absolutos Reges, nec utrisque Majestatem inesse, si alteri fidelitatem jurent, aut tribu-

ta reddant, servitia præstent, existimandum est. Majestas nemini servit, sed huic omnes. Majestati non tantum infima, sed & mediocria, insolita esse videntur. Illa honorari adorarique vult, tanquam DEI omnia conservantis effigies, ut Artabonus à Græcis prætendebat. Hæc autem omnia, quæ Majestas ab alijs exigit, cum Regna feudataria præstare teneantur suis collatoribus, quis illa absoluta dicet, aut pollere potestate Majestaticâ eorum Reges, si vasalli, si ligij, si subjecti sint. Denique quicumque ab alio Principe feudum aliquod recognoscit, in eo Majestatem habere nequit.

19. Veruntamen interdum se Majestas dimittit, & licet integram seipsam, illibatamque conservet, tamen à latere in indigna quædam declinat, ex Interesse nimirum Status: quod, quia aliquando ad viliora Majestatem summam pertrahit, placuit Augusto Cæsari illud Humanitatis nomine insigniri. Nihil quippe, ait Dion lib. 37. sollicitus erat, de ea humanitate, in quam se dimittebat, dum ex ea potentiam adipisceretur. Ita multi Europæi Reges, licet absoluti in suis Regnis, non verecundantur tamen feuda ab alijs, vel majoribus se, vel mino-

ribus Prineipibus accipere, ut inde pomæria sui Imperij latiùs extendant, vel securitati suorum Regnorum, vel communicationi, vel commercijs aliisque emolumentis provideant: sæpè etiã illis per hæreditatem ejusmodi obtingunt, ut Hispanis Flandria, Galliæ feudataria. Item per investituram, ut ijsdem Regna Neapolis, & utriusque Siciliæ: Item ab Imperio Mediolanum. Svecus & Danus, Reges absolutæ Majestatis, possident feuda Imperij. Aded non censetur quidpiam detrahi Majestati summæ, licèt illa concomitanter, vel à latere possideat feuda servitijs obnoxia, non enim ea nomine Majestatis, sed feudi præstantur. Hispania Majestatem suam ex eo non amittit, quòd personæ Regis feudum aliquod annascatur, siquidem illa non obligatur ad præstanda servitia, sed is, qui feudum accepit. Accepit autem sive Philippus, sive ejus filius Carolus V. non quà Rex, sed quà Vasallus; nec coalescunt ejusmodi feuda cum alijs Hispaniarum Regnis, quæ per se libera & Majestatica sunt.

20. Contravertunt quidam, num Rex per juramentum subditis præstitum amittat Majestatem? Rem tu expende: & comperies juramentum

tum Principis suis subditis præstitum, non ad alium finem exigi, quàm ad faciendum officium, & administrandam justitiam. Quod si verum est, vix videtur inde extingvi summa Majestas, quia tale juramentum, si non est frustraneum, plus saltem non est, quàm ad melius esse, & subditos in fide corroborandos, cùm aliunde necessaria est eorum obligatio, quæ Princeps ex officio præstare tenetur. Male sentitur de Principe, cui, nisi jurato creditur. Principis verba vim habent juramenti. Principem quoque nemo adigere potest ad juramentum: totum, quod juratur, spontè fit. Nam subditorum nemo est superior Principe, à quo ad latam sibi legem servandam cogi possit. Nec Princeps ipse sibi ipsi legem statuere valet, à qua recedere non liceat. Quidquid igitur, (appositè loquitur Armisæus) faciunt Principes, quando ad officium suum sese obligant juramento, non id faciunt coacti, sed sicut Trajanus, licèt positus supra omnem potentiam, tamen stetit ante Consulem sedentem ipse Imperator, Cæsar, Augustus, Pontifex Maximus, juravitque & expressit verba, quibus domum suam,



& caput suum, si scienter fefellisset, DEORUM iræ consecraret. Res antea nunquam visa, nunquam audita; postea verò apud omnes fermè gentes usitata. Hoc autem ævo omnes Mundi potestates jurant Reipublicæ, se non defuturos officio, nec tamen idè deperdunt Majestatem: aliud enim est juramentum fidelitatis, & aliud officij: aliud subjectionis, & aliud protectionis: Illud Principes subditis non emittunt, sed posterius. Quemadmodum Reges orthodoxi, qui jurant Christo fidem, & Ecclesiæ protectionem: non emittunt juramentum fidelitatis ut Vasalli, sed Juramentum officij & protectionis ut defensores fidei, & propugnatores Ecclesiæ. Ut liquet ex ipsa formula Clementis V. Ego N. promitto, spondeo, & polliceor atque juro coram DEO, & Beato Petro, me de cætero Protectorem, Procuratorem, & defensorem fore summi Pontificis, & hujus S. R. Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores & jura ejus, quantum divino suffultus fuero adjutorio, secundum scire, & posse meum rectâ & purâ fide, sic me DEUS adjuvet

& hæc S. Evangelia. Nihil hîc servile juratur Pontifici, sed magis Herile, cùm iste se cum sua Ecclesia velut in clientelam Regum committit. Non hoc juramentum Vasallagij, sed potius Imperij est; ly enim PROTEGERE, DEFENDERE magis imperium denotat, quàm servitiû.

21. Major controversia: An Majestas citra læsionem sui, ab inferiore feudum accipere possit? Hoc feudistæ passim admittunt, quia lex ad investituram quemlibet generaliter admittit. Neclæditur inde Majestas ullo modo, sed videtur confirmari magis, ut inductione patet: Certum quippe est, quodd directus Dominus etiam in Vasallum Regem Jus habeat, ob hujus delicta eum judicandi, feudo exuendi, aut, si non obtemperet, armis compellendi; quod tamen intelligitur de pari in parem, vel de Imperante in subditum. E contra, ubi superior ab inferiore feudum recipit, ipsa natura subditi impedit, ne jure suo uti valeat, quia inferiori, licet Dominus directus sit, haud quaquam convenit Vasallum suum superiorem in jus vocare, aut contumacem feudo exuere. Quantumvis nihil Majestati decedat, si aliæ causæ feudales apud illum, licet inferiorem, terminentur, quia sine dedecore

decore licet etiam summis Regibus in tertium compromittere, suasque controversias aliorum iudicio subicere. Hinc rursus

22. *Contravertitur*: An iurisdictione in alium, sit in hoc subiectionis indicium? Sanè Reges Franciæ pro viribus semper connisi sunt Vasalli nomen excutere, & maluerunt ingentes possessiones, ut Bodinus testatur, potiùs deserere, aut auri vi maximâ, redimere & exsolvere, quàm feudi nomine possidere, cujus serò pœnitet Germaniam, cum qua ita elapso ævo tractavit Francia. Et verò verius est malè tinnire in auribus Regem & Vasallum, licet tamen compossibiles sint, si res enucleatius ponderetur. Carolus V. cùm ad Imperium Germaniæ aspiraret, duos habuit ex hac ipsa causa obices: unum à Pontifice, alterum à Rege Franciæ. Leo X. ad Electores scripserat: Audire se, quemdam ad hunc honorem aspirare, cui per leges non liceat. Nam Reges Neapolitanos esse Pontificis beneficiarios, & fide datâ jam olim esse pactum, ne Romanum Imperium appetant, sed ut alterutro sint contenti. Franciscus Rex Franciæ idem ad comitia Imperij tabulis exaravit: caverent Carolum Austriacum ad

facri Imperij solium evehere, Ne Imperij decus, ac Majestas ad Vasallum Francorum veniret. Uterque obex Carolo, non tam obex ad Imperium fuit, quam ingens cruciatus animi, quo continuè afficiebatur se tot Regnorum Regem, audiri Vasallum Galliaë. Idèd in prælio Papiensi capto Francisco Regi tamdiù spem dimissionis à captivitate interdixerat, donec abolito, quod Philippus Pater Archidux Austriaë, rogante Regis Galliaë Cancellario Atrebatensi miserat, fidelitatis jure, renuntiasset superioritati omni, quam corona Franciaë prætendebat in Flandriam, & Artesiam, possessas à Carolo provincias.

23. Unde ad hanc controversiam, quæ cum prioribus coincidit, constanter assevero omninè Jurisdictionem in alium, non solum esse indicium subjectionis, sed ipsam planè subjectionem ejus, in quem est jurisdictio; ast in re tantùm illa, propter quam est jurisdictio, non in alia. Hinc licèt Princeps subjiciatur ratione rei feudalis, non officit tamen, quin in aliena ditione, quam pleno jure possidet, Majestatem obtineat, ut supra diximus. Addo tamen ad supra dicta

dicta Exhibitionem illam fidelitatis, & servitorum præstationem cum feudali jurisdictione, non procedere, ex cogente aliquo imperio, sed initis inter utramque partem placitis. Quia hoc feudalis jurisdictionis exercitium cum eo, quod in subditos competit, toto coelo distat; & ad similitudinem Arbitragij explicandum est, cui non aliter, quàm ex voluntate litigantium juris dicendi facultas tribuitur. Nihil deperdunt coronati vertices, si eorum controversias tertio ( ut supra diximus ) dirimendas committant. Vasallus proinde Rex censeri debet, per celebrationem contractûs feudalis, se casu contingente, in modum arbitragij, alterius subjecisse jurisdictioni, & sententiæ, à qua, quocunque tempore, sine infamia per refutationem feudi, invito etiam domino, liberari potest.

24. Agitur quoque à quibusdam: Utrum Majestas obligetur ad acta prædecessoris? Quoniam verò prædecessoris acta in triplici differentia sunt, trifarium quoque pariunt effectum. Vel enim acta, decreta, legesque illæ ipsum statum Imperij & Jura Majestatis; vel contractus

ob salutem & dignitatem Reipublicæ initos; vel quæ ad prædecessoris domum, fiscum, remque privatam spectant, concernunt? Quoad primum non videtur teneri, quia pari in parem nulla potestas est, præsertim si Antecessor successori Jura Majestatis minueret, Imperiûmque deterius redderet. Injuria hæc Majestatis foret, successori nequaquam ferenda. Non uno semper tramite gradimur, non uno vento vehimur: periculosum foret, si Navarchus ingruente turbine clavum convertere non posset, quo vellet: idem pateretur discrimen Republica, si ejusdem Rectori ligarentur manus, ne vela vertere valeret, quo ratio jubet statûs. Alia tempora, alij cives, alij vicini, alios exigunt mores, alias leges, alia scœdera. Livij arcanum est: In Republica opus esse non forti solùm viro, sed & libero exolutoque legum vinculis, qui leges ipsas pro qualitate facinoris intendere, remittere, vel etiam negligere possit. Angusta pectora vix ad regendum nata sunt. Igitur Princeps, qui Majestatem habet, minimè tenetur ad prædecessoris sui decreta, quoad ju-

ra Majestatis, & Statum Imperij observanda; nisi quatenus utilitas publicâ, & divina, naturæque jura exigunt.

25. Quoad secundum, videlicet pacta, & contractus ob salutem dignitatēque Reipublicæ initos, æquum est Principem, cum dignitas Reipublicæ non moriatur, nec propterea extingui valeant contractus ejus causâ celebrati, ad eorum manutentionem obligari. Principis interest pactis stare antecessorum, nisi dubiam etiam suam fidem haberi velit. Injuriam sibi consciscit, qui antecessorum fidem profuit. Quis credet tibi impostero, si exemplo doces, quàm Levis sit Regum fides. Plus quàm felix erat Innocentius III. Summus Pontifex, qui per decem & novem annos gubernavit Ecclesiam DEI, & tamen ejus decretorum nullum à successoribus abrogatum fuit. Generalis regula tibi sit hæc: Quæ prædecessor jure abrogare valuit; eadem tibi abrogandi fas esto: Et è contrâ, nisi aliud Reipublicæ ratio svadeat.

26. Quoad tertium, sive fiscum, remque privatam prædecessoris, is tantum ex quasi

contractu obligatur, qui hæres est fisci rei que privatæ prædecessoris. Alia enim sunt Regni siue Republicæ, alia sunt propria Regis siue Imperantis: in his statur testamento, in illis Statuto, & consuetudinibus Regni. Unde Regum testamenta non aliter valent, quàm si cum lege Regni conveniant. Felix Cæsar, qui teste Senecâ omnia habuit: fiscus ejus, privata tantû ac sua, & universa in Imperio, ejus sunt, in patrimonio propria. Magnum hoc in Republica olim libera authoritatis exemplum, quod planè in Tiberium adoptivum tantum, sine murmure transijt. Procedit hæc tertia resolutio solum inter personas distinctas, quando una privatam hæreditatem antecessoris aucupatur, altera ad solium assumitur; ut sæpè contigit in Regno Poloniæ, & nuper post excessum Joannis Regis, ubi alij hæredes extitêre privatæ rei, alius in Regnum vocabatur. Sanè gravari non potest successor antecessoris nomine, nisi ex causa, ut in secunda resolutione dictum est, UTILITATIS nimirum, vel DIGNITATIS PUBLICÆ. Quæ enim nomine publicæ dignitatis, aut utilitatis contrahuntur, non contrahuntur in personam, sed in rem contrahi censentur. Quod



tantò cèrtius est, si idem hæres, idémque sit in Regno successor. Non licebit partem hæreditatis respicere, partémque amplecti, ubi Regna ad hæreditatem spectant. Hæreditas enim non aditur nisi tota; nec etiam Regius successor ita adire poterit Regiam hæreditatem, ut fas illi sit abdicare privatam, quia onerosa est, hoc enim foret non solum Patris prædecessoris, proffituere fidem aliorum criminationibus, sed etiam adversatur manifestè reverentiæ naturali, quam filius Patri debet; & res ipsa in pessimas abiret consequentias.

27. Negant id aliqui, ubi Jure magis Regio, quàm successionis (licèt filij Patribus succedant) vocantur ad coronam. Unde Franciscus II. Franciæ Rex apud Bodinum lib. 1. de Republica cap. octavo protestatus fuit se nullo Jure teneri Helvetijs ad ea, quæ antecessores illis sponderant. Sceptra, dicebat, hæreditario jure se non habere, sed Regiâ lege, quæ jam inde usque à primis Francorum Regibus lata, ad manes proximos imperium detulit, quæ non aliter se obligare patiatur, quàm ad ea fœdera, pactavè, quæ cum exteris Principibus & populis, ad Imperij utilitates & commoda à majoribus

bus suis contracta fuerint. Sed quæ, & unde hæc lex Regia est in Gallia; nisi illa ipsa, quæ in omnibus alijs hæreditarijs Regnorum successio- nibus est? Unde illi major vis obtigit, quàm in alijs Regnis? non ex Jure naturæ, nec gentium: si forsan positivo Regni? edic: cur non excipi- tur in contractibus? an à longe adorabunt ex- teri commenta Gallix? prostitutio illa est po- titus fidei Regiæ, circumventio exterorum Prin- cipum, præcipitium creditorum, & asylaris do- mus prodigi Regis. Si successor nolit Regis an- tecessoris fidem servatam, cur non abstinet Re- gno? Quod si semel susceperit, actum est, jam enim unâ eadêmque operâ se obligasse intelli- gitur ad conventiona Antecessoris: ne contra Ju- ris & æquitatis Regulam in uno eodêmque Re- gno, quod commodis & incommodis indivi- duis cohæret, illis fruendo, hæc effugere velit. Si autem duplicia bona sint, ut supra insinuavi- mus, & quidem una à Regni publico ærario, & Rationibus Regni distincta; examinare oportebit, quorum respectu contracta sunt; & in cujus illa sunt possessione: tali casu Regni debi- ta successorem obligabunt, reliqua possessorem aliorum: si verò Rex in omnia succedat, tene- bitur

bitur de omnibus. Hoc verè justum æquumq;  
est, alia omnia in inanes deflectunt prætextus,  
& dolosas circumventiones cum prostitutione  
publicæ fidei.

28. Sed neque prætermitto odiosã illam inter  
Publicistas quæstionem: An aliquando liceat  
subditis impetere Majestatem usque ad degrada-  
tionem illius? Nota ly ALIQUANDO: quia ut ali-  
qui existimant, saltem licebit tunc, cùm Ma-  
jestas nimium ex recti justique sphæra exorbi-  
taverit cum discrimine & damno gravi totius  
Principatûs & populi: vel cùm illa Imperanti  
obvenerit per contractum, nec tamen imple-  
verit pactorum conditionem; in contractibus  
enim non prohibetur alteri contrahentium à  
conventionem, si conditiones impletæ non fue-  
rint, resilire, aut ad implendum vi compellere  
ignavum, vel renitentem. Hostem esse publi-  
cum, qui fundamenta subruit Regni, illa sunt  
leges fundamentales, in quas jurant inauguran-  
di: Hostis autem publicus arcendus undequa-  
que. A populo constitui Majestatem, cur non  
destitui posse, si ratio, si necessitas cogat? Pa-  
lãm est Chilperici exemplum à Papa Zacharia  
confirmatum, notoriæ degradationes Cæsarum

in Germania, tot tragica Regum funera si non oculis, obversantur saltem adhuc animis: & hoc, quo scribo tempore, duos habet Anglia, duos Polonia, & duos Hispania Reges. Adeo jactantur coronæ, & ad Regem impunè luditur, ubi Majestatem populo obnoxiam ultrò proclamant aliqui, & inverso naturæ Ordine ex obsequentibus Imperantes, ex servis Dominos, ex subditis Reges faciunt innixi authoritati Miltonij, Limnei, Clapmarij, qui seditiosis calamis velut clangente in rebellionem tubâ populo libertatis avido, continuè intonant: Si Princeps meritò in eum animadvertit, qui libertatis amans Imperium sibi & vitam adimere conatur, cur non licebit etiam populo eum interficere, qui libertatem invadere tentat, & servitutem imponere civibus. Equidem hoc concedo, si adhuc populus liber est: Sed si semel colla subjecit alieno imperio, nec licebit id, nec expediet amplius, quia Statum mutavit. Obsequium jam ab ipso exigitur, non judicium in Principem. Omnind licebat interficere

terficere Julium Cæsarem, dum moliebatur opprimere libertatem Romanæ Reipublicæ; postquam vero occupaverat, ac in ejus obsequium quasi ruebat Senatus, populusque Romanus; agnitus ab omnibus Princeps (is primus Cæsarium erat titulus) ac pro tali in curia, in foro, in rostris, in sacrificijs habitus: iniquum planè fuerat, siue conspirare in ejus cædem, siue moliri, siue patrare.

29. Frustra sicâ, & gladio cum fato concertas, patientiâ & obsequentiâ plus obtinebis. Si dilexeritis diligentes vos (ait apud Matthæum Veritas Æterna) quam mercedem habebitis? nonne Ethnici & Publicani hoc faciunt. Regibus omnibus obsequium debemus, sed majore cum merito impijs & flagitiosis. Quamvis legum contemptor, quamvis impius, quamvis ignavus, quamvis crudelis, tamen Rex est provifus Potestate à DEO in omnes sibi subjectos. Subjecti estote omni potestati humanæ propter DEUM, & qui potestati resistit DEI Ordinationi resistit. Generaliter Apostolus jubet obsequium, & in obsequij mercedem finemque ponit DEUM. Nec enim Paulus loqui poterat de bonis Regibus, qui tunc nulli

erant, nisi pagani, Tyranni, Neronēs & Tiberij vitiorum quorūmcunque prototypa. Unde malè Miltonius objicit: Qui vitiosæ potestati resistit, ille DEI Ordinationi non resistit. Quis enim nesciat tunc nullos alios fuisse, quàm vitiosos Principes, & tamen Paulus tam emphaticis verbis, suis Christianis inculcabat obsequium. Si omnis potestas à DEO est, aut nulla erit vitiosa, aut aliquid erit vitiosum à DEO? Quod cùm sacrilegum est cogitare, abeat in malam crucem cum sua Potestate vitiosâ Miltonius, ejusque sequaces. Officium potius à vitio distingue: illud, ab hoc, non afficitur. Potestas est à DEO, vitium à Principe. Nequaquam excedunt Imperantes limites officij ex potestate sibi à DEO commissâ, sed à vitiosa voluntate, corruptisque vitæ moribus.

30. Edic: quis erat Pilatus? Ethnicus, Judex pessimus, & tamen potestatem habuit à DEO, licet perversam voluntatem, ubi condemnavit innocentem. Non haberes, ait Christus patiens, potestatem in me, nisi tibi data esset desuper. Quis erat Nabuchodonosor? Rex injustus, & pessimus ultra

omnes homines, ait facer textus. Nihilominus tamen testatur Propheta Daniel: Nabuchodonosori datum esse Regnum & potestatem à DEO. Rectè igitur, qui Potestati resistit, ordinationi divinæ resistit. Abusus potestatis non exolvit subditos obsequio. Sed audio te obstrepentem: DEO magis obediendum, quàm homini. Omnino in ijs; quæ sine evidenti periculo animæ agi nequeunt: sed idè non resistendum Principi, non neganda illi fides, non reverentia, non vasallagium. Audi S. Augustinum in Psal. 124. differentem: Julianus, inquit ille, extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apostata, iniquus, Idololatra? Milites attamen fideles servierunt infideli Imperatori. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in Cælo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi DEUM. Quando autem dicebat, producite aciem: ite contra gentem: statim optemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali. & tamen subditi erant propter Dominum

minum æternum etiam Domino temporali. Ita  
 D. Augustinus. Et tu fac similiter. Nullibi di-  
 vina lex subditis imperavit, malorum Principū  
 vel exempla sequi, vel flagitia imitari; at iussis  
 obsequi eorum, districtè præcepit. Omnis  
 anima sublimioribus potestatibus sub-  
 dita sit. Nihil enim vetat malè vivere, & bene  
 præcipere: malum esse Christianum, & bonum  
 Imperantem. Satis est Regem esse: unctum sa-  
 cro Chrismate, & provifum Potestate à DEO ac-  
 cepta. Quis igitur extendet ( cum Samuele ju-  
 re exprobato ) manum suam in Christum Domi-  
 ni, & erit innocens? Non erit mecastor: quia  
 historix sacre perhibent cavendum, ne quis il-  
 lius moliatur interitum, cui fidei & Sacramentis  
 religione tenetur adstrictus. Davidem ( quem  
 jam alibi in exemplum adduximus ) contempla-  
 re denud, in altissimo scilicet noctis silentio, in  
 tentorio campestri, ad lectum Saulis Regis, im-  
 pij, scelesti, hostisque sui maximi, adstantem:  
 & nemine visum, vindictæ proximum, victoriæ  
 certum, & de successione securum: unico ictu  
 hosti demerè vitam, sibi adsoiscere Regnum,  
 omnibus de gente Israël pacem dare, valebat,

1. Sam.  
 9. 26.



parcere tamē malebat, **N**on, inquit, mittam manum meam in unctum **D E I**. Repressit igitur (ait quidam ex Patribus) cum gladio manum, & dum in hoste timuit sacrum oleum, **D E O** voluntatis suæ fecit sacrificium, & Regi, cui adstrictus erat David, præstitit fidei obsequium.

31. **Q**uo exemplo David sibi etiam, cū in Regno Sauli succederet, profuit; ut discerent ab illo omnes fidem Regi proprio servare, nec usurpare Imperium, sed vereri. Majestas in qualicumque homine est, semper Sacrosancta est: nulli unquam impunè premenda, non arctanda, non examinanda, non judicanda, non mulctanda, quia his omnibus altior est. Quanti deinde malorum montes obruunt Rempubli-  
cam, in qua subditis insurgendi in Principes, & Magistratus supremos potestas conceditur! Ipse Majestatis Osor Cicero fatetur in Philipp. multas in Republica seditiones sæpè factas, cū Reges essent exacti, & Tribunitia potestas esset constituta. Nunquam tantum boni sperari potest ex victoria, quantum mali accipitur ex clade civili. Seditiosi nunquam pugnant pro

H

Patria

Patria, sed contra patriam : malè applicant venenum promedicina : unum excutiunt, & peius induunt jugum. Non recta Via est ad emendandum Principem, universam turbare Rempublicam. Princeps non tantùm est tutor, seu administrator Reipublicæ, qui abigi possit propter suspectam tutelam, aut malam administrationem; sed Pater etiam est, quem nemo bonus negare potest: Possessor est, cui via facti possessio tolli nequit. Dominus & Rex est, per potestatem à DEO acquisitam, qui à subditis judicari non potest, sed à DEO, quo solo minor est.

32. Si damnas mala consilia (monitum est Bal-faci) vel vitæ flagitia in Regibus, nunquam tamen ipsam Majestatem impetito; hæc sacra, hæc à DEO est. Et licèt inde velis, vel defalcare superflua, vel avellere inculta, ne tamen illam eradicato, aut evellito, sed colito, & observato, quod jurâsti. Diademata sancta sunt etiam Gentilium capitibus imposita, quia Petrus & Paulus cum primitiva Ecclesia, Potestatis Characterem adorârunt etiam in Tiberio & Nerone. Potestatis summæ præsentia est etiam in malo Principe, hunc si obsequendo colis, vel per-

persequendo lædis, etiam illam coluisse, vel læ-  
 sisse convinceris. Non satis est ex vetusto  
 more cum seditiosis interpellare, & dicere Re-  
 gem esse nomine, Ministros autem regnare :  
 publicum æs profundi cum inopia omnium :  
 conscientias libertate privari cum desolatione  
 Religionis : & centum talia, quæ allegantur,  
 non examinantur, non probantur : & licet con-  
 staret de his, an idedè armis plùs opus, quàm pre-  
 cibus? an magis Imperio, quàm obsequio? an  
 Christianâ potiùs patientiâ, quàm seditiosâ con-  
 tumaciâ. Ferendum, non tollendum, quod  
 emendare non potes. Majestas propter præ-  
 varicationes & iniquitates suas non desinit esse  
 Majestas, quia obsequium illi à subditis debetur  
 ex titulo potestatis, omnibus Imperantibus in  
 ipso primo Imperij momento datæ : Quod,  
 quia in controversiam non cadit, nisi ex sacris li-  
 teris veritatem illam, quam ex ore Apostoli  
 pronuntiavit Verbum divinum omnis Po-  
 testas à DEO, eradamus ; luculenter con-  
 sequitur, subditos Majestati obnitentes, obniti  
 divinæ ordinationi, utpote quæ extra subjectum  
 Majestatis concipi non potest. Breviter com-  
 prehen-

prehendo omnia : Duo sunt modi compellendi quemque ad frugem: vel per Jus; vel per vim: eodem modo injustum & iniquum Regem in ordinem redigendi alia ratio non est, quàm citando in Jus & condemnando, vel armata vi resistendo & exauthorando? Edic, quis autem hoc in Majestatem summam attentare aufit? Non senatus, non primores, non populus ex una eadèmq; ratione. Quamprimum enim se præfati Ordines, Senatus primorum & populi sive ex pacto, sive non ex pacto submiserunt Majestati, illicò omnis jurisdictio, & belli gerendi potestas accessit Majestati, Senatui autem, Primoribus, & populo Sola obsequij gloria relicta est. Non vestrum est, O vos mei subditi, corruptum Majestatis Statum corrigere, sed vitia Imperantium tanquam malos imbres, & sterilitates temporum viriliter perferre, donec redeat optata serenitas, & rursus nova sidera orientur.

33. Quis jam recti conscius excusabit illa toties agitata Hungarorum Procerum sub Vethelenio Palatino priore ævo seditiosa consilia, & per nobilissimum Regnum jactata arma hostilia  
in

in Leopoldum Regem, & in Unctum Domini? Quàm longè deviârunt illi ab optimi Viri Michaëlis Palatini, jam superius memorato effato: Regi coronato, etiam si Bos esset, tamen obtemperandum! Jam verò per unum & dimidium sæculum vix ulla apud Hungaros obtemperantiæ amplius vestigia videntur, sed ineluctabilis quædam contumacia, indefinens belli intestini incendium, calamitas, ruina, & universalis desolatio undequaque conspicitur. Hi fructus sunt eorum, qui, cùm obsequi deberent, insurgunt in Principem suum sub confictis prætextibus publicæ necessitatis. Jam enim illi prætendebant libertatem Religionis: Sed quis Jure armavit Religionem, quæ thure & cruce utitur? num apud alium, quàm Regem, est armorum Jus?

Jam malam inculpabant Regni administrationem, adempta privilegia & jura &c. Ideonè armis magis, quàm obsecrationibus, precibus & lachrymis opus? unum seditiosum bellum plus prosternit Regnum, quàm ( si etiam esset ) quantumcunque longior non ex æquo administratio. Jam

Jam exulceratum Regis, Germanorumque in se odium, & tragica illa Magnorum Regni virorum supplicia querebantur. Sed quæ pervicacia vestra meruit plura & majora. Non ferunt Leones insolentiam catulorum, neque Solares Aquilæ vespertiones triftis perfidiæ tolerant. Vestrâ culpâ acciderunt omnia mala; accident majora, nisi resipueritis. Interim Alexandrum M. apud Curtium audite: Regum clementiam non ipsorum modò, sed in illorum, qui parent ingenijs sitam esse, & obsequio mitigari Imperium.

34. Omnium tandem malorum insimulabant Regios Ministros. Credite, his proximus erit Rex ipse. Regis tunc res agitur, cum Regij Ministri petuntur. Prætextus iste omnium seditionum est. Rex ipse petitur, cum Respublica turbatur. Omnes cæteræ causæ futiles & vanæ sunt, merique prætextus. Imperium modò Hungari Austriacum excutere volunt, quod post tot hæreditarias successiones, & (ex iteratis rebellionibus) caducitatis titulos,

nunc JURE BELLI ab Ottomanis sibi iteratò vindicavit Austria. Rex denique ab illis petitur, & cum hoc omnia. Ejus captivitas illis jam pridem in votis erat, & nunc etiam, ut fama loquitur, cum hæc scribo; ne dicam, (quod horrendum est meminisse, & difficilè posteris erit credere) totam Augustam domum ex insidijs, unòque ictu extinctam voluère: O Impium & nefandum consilium! Sed frustra agitis adversùs tutelaria Numina, quibus singulariter Providentia divina subvenit Austriaco Nomini,

35. Rex Franciæ (quod alibi dictum) ubi Colinium Hugonotorum unicum fidus, cum omni fermè Hugonotica nobilitate (rationibus diù apud se expensis persuasus, quæ licentiam immodicam, obstinatùmque animum recidivæ toties perduellionis amplius ferre nequibant) Parisijs Lutetiorum ad nocturnos cereos, cùm ex symposijs redirent in cubilia, minimèque suspicarentur tam clandestinum præcipitium, unico fermè horæ momento, sine venia letho dedisset, undique mox conclamatum fuit ad armam confestim arripienda contra Regem impostorem innocentia. Multi hærebant ancipites, & neutram partem sequebantur ex reverentia

Majestatis. Alij suspirabant ad pristinum obsequium, cum veneratione certiorantes Regem, quàm immeritò fidelissimos subditos, malorū hominum svasu ad supplicium traxerit, tótque Patres filijs, filios patribus, & uxores maritis, servos Dominis orbaverit: Et exinde oriundum existimabant pœnitentiæ principium, unde crudelitatis origo processerat. Media erat hæc via, & ad compositionem tutissima. Verùm plurimorum non solùm de residua Hugonotorum, sed de cætera quoque NOBILITATE, vindictæ anhelans animus obstetit saniorum mentibus; bellumque svasit subditis in naturalem suum Principem (ad quem solum, non ad illos Belli Jus spectat) nulla alia fulti ratione, quàm quodd **Vim vi repellere liceat.** Sed graviter, hoc non rectè intellectum principium perstringit Thuanus Præses: vim oppondere subjectis Jus non esse, nec si Rex injuriosus sit: id satis docuisse DEUM, infelici conatu toties re antea à Protestantibus tentatâ, cum & regendo Imperio imparem Regem per ætatem causarentur, & Regis Consiliariorum iniquam administrationem prætexerent. Nunc Regem

Virum



Virum esse, & disertè testari, nolle se Protestantium causæ (quibus non modica paulò priùs indulserat) præjudicium facere. Colinium & socios ob conjurationem & armorum renovata consilia suo jussu oppressos. Idque ad pacandū Regnum extremâ necessitate adductum Regem fecisse, & quamvis eâ re modum excessisset, non tamen fas esse subjecto adversùs Regem insurgere, aut delictorum rationes & pœnas ab eo exposcere, cùm à DEO populis impositus sit, cui perinde soli administrationis suæ rationem reposcenti reddere teneatur. Condæum etiam & Colinium multa, Regibus non ferenda, ausos esse, & rem à supplicationibus & pietate, ad vim & factionem adduxisse. Funesta semper sunt subditorum arma in suos Reges, retorquentur communiter in offensores. DEUS Majestatem tuetur, quam dedit Imperantibus.

36. Ultimum expedio, scilicet: Quomodo & quando Majestas derelicta censeatur? De Majestate hic ago in actu secundo, non in actu primo, hæc semper immanet Principi tanquam à DEO data, donec illam vel morte relinquat,

vel

vel voluntate plenâ abdicet & resignet, ut Carolus V. Philippo II. ut Casimirus Ordinibus Poloniæ, & pluries olim Reges ex Voto pio. Majestas in actu secundo, sive ejus exercitium variè impeditur; & casum pono: Si quis Regno suo & Principatu, vel à rebellibus subditis privatus, vel aliunde ab hoste externo ex armorum, vel alia quacunque infelici aleâ exutus fuisset: an & quando talis Princeps dicatur dereliquisse Imperium, nec amplius ejus recuperandi Jus habere?

Porro Majestas derelicta censetur vel per tacita, vel expressa indicia: Tacita præsumuntur; expressa certa sunt. Ex illis non facile concluditur vera & realis voluntas derelipientis: sic Sola scientia scientis rem suam perire, non sufficit, ut præsumatur quis in perpetuum eam dereliquisse. Unde quando quis patitur civitatem, aut Provinciam, aut Regnum perire, aut in summum discrimen adduci, vel hoc obtingit ex impotentia, viriûmque defectu & distractione; vel ex inscitia, quod periclitetur Respublica; vel ex ignavia & torpore? Prima duo excusant, nec ideo derelictum censi-

feri debet Imperium: ultimum quidem excusationem non meretur, verumtamen formalis abdicatio non est, nisi illa planè in supinam negligentiam transeat, quæ virtualis derelictio est, & præscriptioni locum facit. Idèd existimant aliqui ad indicium derelicti Imperij non adèd longum temporis spatium requiri, quia Respublica velocem & diligentem exigit curam, quæ si per desidiam negligatur ab Imperante, ad aliud ut illa devoluatur, ipsa Reipublicæ natura exigit. Utut hoc est, Non tamen facillè præsumendum videri pro injusto usurpatore, vel pro rebellibus subditis, ubi legitimi Imperantis injuria, & detrimentum controvertitur. Tempus longum exigi, ubi de præjudicio agitur tertij, æquius est, quàm breve; meliores quippe, omni jure, conditiones sunt illis, qui de damno potiùs certat vitando, quàm lucro captando. Interim si per longum tempus taceas, dissimulésque usurpatoris iniquam, tui Dominatûs possessionem, nec in adversum protesteris aut contradicas, licèt quidem indè plenum abdicatio-

nis indicium non facias, facies tamen præsumptionem tantò fortiolem contra te, quantò longior fuerit tua patientia.

37. Magna difficultas recuperandi Imperij, non est sufficiens signum abdicati Imperij. Quantumvis enim spes recuperationis quodammodo deficiat, nihilominùs spoliatus manere potest hoc animo dominus, ut si magis propitia fortuna, aut vires majores accesserint, illicd velit amissa recuperare. Interim impossibilitas sive realis, sive moralis recuperandi amissa, tacitè videtur cedere Usurpatori Majestatem. Sed, quid si Legitimus Imperans rursus refarciat vires suas, seq; in statum ponat, ut amissas provincias, licèt cum ingenti damno illarum revindicare queat? Conringius respondet (& procul dubio in favorem Battaviæ) & hanc regulam format: Quando Imperium civitatũ, quæ salutis Publicæ omnium causâ coiverunt, amissum fuerit, recuperari non posse, si id fieri nequeat absque civitatum illarum summo detrimento; ideo teneri quemvis illarum

recuperandarum curam dimittere, imò existimandū illam dimissam esse, atque inde Conringius sufficiens indicium voluntatis derelinentis arguit. Id enim censetur illi derelictum, quod recuperari absque Provinciarum, aut civitatum amissarum summo detrimento nequit: quia secundum naturæ ordinem commodum dominantis postponi debet commo populi. Partialis hæc Sententia est, & nimium favet seditiosis hominibus: ut egregiè ostendit Hennigius in observationibus in Grotium libro II. c. 4. inquit: scilicet excusare rebellantes subditi superioris Majestatem, & ipsum de tranquilla Imperij possessione nefaria vi, & conspiratione dejecere, obstinatissimo animo quidlibet potius & extrema passuri, quam ut in irati Domini fidem & obsequium redeant. Quæstio jam de Domino vertitur, qui injustè & parricidiali modo Imperio suo exutus est, an, si ipsi sufficientes vires suppetant, bono exemplo & absque injustitia possit, vel cū damno & internecone rebellium solium suum sibi rursus asserere, & cum punitione fontium ac detentione suspectorum in eodem se confirmare? Negat quidem id Conringius, sed asse-

verat constanter Hennigius, & omni Juri atque æquitati adversum videri dicit, cogi aliquem, nullâ suâ culpâ, quæsito Jure carere ob commodum tertij, præsertim illius, qui ipsum sine causâ justifica, jure illo, & possessione legitimâ nefariè spoliavit. Nemo prudens asseret, nec fingi potest legitima vocatio subditorum ad capiendâ arma contra suû legitimum, & à natura datum, vel omnium antea consensu acceptum Principem: cùm nulli mortaliû Jurisdictio in talem data sit, sed ipse fons est Jurisdictionum omnium in suo territorio. Sanè Conringij Sententia magnum, continuûmq; causare posset seditio- num & Rebellionum fomitem; quamprimùm enim se quæpiam legitimo Principi subduceret Provincia, illicd ad Conringij velut Oraculum Delphicum recurreret Sententiam, sêque dere- lictam pronuntiaret, cùm nequiret sine ruina sua recuperari ab antecedente Domino: sic enim omnia resilirent in popularem, vel statum Aristocraticum. Et si Princeps suorû subditorû avertere damna, comodâq; profèqui teneatur, id intelligendû est, si tantâ illi promereantur curâ: quid verò Rebelles mereantur? per se liquet. Obligatio ad procurandum aliorum commo- dum

dum non rectè infert, neglectum proprii commodi, cùm vi naturæ Amor incipiat à se. Aut populi commoda eadem sint cum Principis commodis, aut præferantur hujus utpote dignioris commoda, illorum veluti inferiorum commodis. Si caput doleat, cætera membra languescunt. Corpus, ut ut, salvo capite, mutilatum est, manet corpus: at sine capite cadaver redditur. Respublica, si in membris pereat, non tanti est, quanti incumbit Principi, ut amissam Majestatem recuperet. Quærenti, quod suum est, extrinseca sunt omnia quæ tertius patitur, nec in culpam ejus computari possunt: quia qui quærit, quod suum est, nullam injuriam committit. Eodem modo licet rebelles non fuissent Provinciæ, sed ab usurpatore alio, ereptæ per injustam vim legitimo domino; nihil ad recuperandum officiet earum etiam extremum detrimentum: hoc malæ suæ sorti, non Principis culpæ deferre debent. Nihil enim iniquum agit, sua qui repetit. Non est causa directa Princeps eorum, quæ ex accidenti obveniunt. In sola Battavia, ait Balsacus, videtur DEUS favere rebellionem, ubique alibi à parte Principum stat, & jubet, ut committamus suæ


providentiæ mutationem statûs, & Principum pœnam; neque profano ausu rem attingamus, quam sibi unice Numen reservavit. Sanè miraculum nostrorum temporum sunt Battavi, in quibus Europæ multum interest, & ab illa universim tacite proteguntur. Ipsa jam Hispania, quos olim habuit subditos, agnovit postea liberos, Præpotentésque, & jam sæpius sibi fœderatos. Hinc derelictæ Majestatis clarum indicium arguo, si generaliter transigatur cum usurpatore sine reservato ullo, ullavè mentione Juris præhabiti factâ, ut fuere posterioribus temporibus Hispani cum Hollandis. Similiter si tribuatur usurpatori titulus competens loco usurpato: vocando Regem Ducem, &c. sine ulla protestatione, & reservato. Si verò particulariter paciscantur invicem, tunc in tantum cedens juris defert usurpatori, in quantum ille contraxit cum hoc, & in tantum etiam ex usurpatore fit Dominus Legitimus. Cuilibet enim licet renuntiare juri suo, vel scripto, vel ore, vel per signa expressa.

38. Alij demum inter derelictionis manifesta indicia hoc quoque reponunt apud citatum Hennigium loco præfato, puta si civitas Recto-



rem poscat, Princeps verò eum dare recuset, nec verò ipse velit regimen, & administrationem in se suscipere: aut, si auxilium contra extremam vim hostium petentem, Dominus res suas sibi habere jubeat, sicuti aliquando factum cum Borussia petente auxilium contra Polonos, cui autem responsum ab Imperio: Videant, quomodo se conservent: quibus, & similibus casibus facillè præsumitur derelictio. At si tale quid petat Respublica (corrigit se idem) eo tempore, quo impossibile erat, ut à Domino præstaretur, certè animus derelinquendi præsumi nequit, eoque minùs, si Dominus perseverare in fide jubeat, resque suas ad tempus quâcunqueratione tueri. Nam in rebus trepidis Imperantes, suis, mox adesse non possunt, nec propterea tamen deperdunt Jus & Majestatem in sua. Cesserat primò Bardanis furori Gotarzes, & ille pro non dubio Rege se gerebat: Interim Gotarzes Hircanorum ope bellum renovat & vincit. Proximo ævo Casimirus Poloniae Rex eundem cum Gotarze casum subiit; is pulsus Regno, Aufriacorum ope, pellentes se expulit Svecos. Aliud est impediri ad tuendam suam Majestatem, & aliud deserere illam.

Hoc in nostro stat arbitrio, illud in dispositione fortunæ. Interim certissimum est, Majestatem facile non derelinqui, difficilius præscribi, præscriptam verò, vix tutò possideri. Immunitas hæc sceptri est.



## C A P U T IV.

### *Aditus ad Regnum.*

1. **Q**uemadmodum omne Imperium, omne Regnum, omnisque Potestas à DEO est, ita mediatè tribuitur, aut **Successioni**, aut **Electiōni**.

2. Successio Jus hæreditarium, vel gentilitium est penes Imperantem. Electio Jus liberum, vel apud Primores, vel apud Deputatos populi, vel apud ipsum populum. Illa sanguinem spectat, hæc merita. Ibi Princeps nascitur, hic suffragijs quæritur.

3. Electio vetustior est, successio usitatior, utraque dignissima, si dignè obtingat. In Rebus publicis poliarchicis, ubi Principes magis svadere debent, quàm jubere, olim frequentior fuit Electio. Reges etenim ex Nobilitate

fume-

fumebantur, non succedebant; præsertim apud Germanos. Constat id Ariovisti exemplo, qui electione populari regebat Marcomanos, Sedusios, & Harudos, post cujus mortem dictæ nationes se in libertatem posuerant, donec Marobodus Nobilis Marcomanus iterum Regnum occupasset.

4. Imperaturus omnibus, æquus est, ut ab omnibus eligatur. Generari, & nasci fortuitum; neque inde iusta, aut certa æstimatio: electione autem securè proceditur, quia Judicio integro, consensu omnium, & auctâ libertate. Electio siquidem quoddam simulachrum antiquæ libertatis est. Integritas Judicij spem certam pollicetur boni Principis. Consensus omnium flectit omnes in obsequium, & amorem electi.

4. Cæterùm ad morem hîc, & genium gentis, populique magis reflectendum. Multis successio placuit, alijs electio. Successio si semper non sit grata, est attamen tuta, & secunda: ubi electio nunquam non periculis obnoxia, propter veterem illam pridem insitam mortalibus potentæ cupidinem, Ambitionem, dico, Cunctis affectibus flagrantior.

Salust.

Seneca.

Quanti sunt, qui cum Polynice clamant; pro Regno velim patriam, penates, conjugem flammis dare. Et quia ejusmodi conatibus opportuni sunt transitus rerum, omnes ferè calamitates obruunt Rempublicam Solio vacante, *mus*. Hinc Annarchia, sive furor populi; ubi enim dubitat populus de successore, statim ad seditiones rapitur: vel ad minimum, quidam naturalis Impetus libertatis invadit populares animos, ut saltem brevi illo interstitio liberius tentent varia, & Modicùm duraturâ libertate luxurient, quod sæpè Romanis Sede vacante obtigit.

Præter Emulationes candidatorum, insidias externorum, factiones indigenarum, alia omnia discrimina cohibentur, quando est ceptus successor ex genere. Quoties impatientes moræ vix expectant excessum Regis, sed adhuc vivente illo, successor quæritur, parantur pedicæ, confinguntur calumniæ; ut nihil melius sit, quàm cum fama mortis conjungi famam successoris. Sic Tacito teste simul excessisse Augustum, & rerum potiri Tiberium fama eadem tulit. Mors siquidem Augusti non statim inno-

inno-

innotuerat, quod fœminæ astu factum. Livia enim cùm metueret, ne quid, Tiberio adhuc in Dalmatia versante, rerum novarum existeret, celavit rem, donec ille rediisset. Tunc mortem Augusti palàm fecit, cum novum Cæsarem populo ostenderit.

Omnibus hiscè turbis, & timoribus præfentissimum remedium est successio certa, & legitima. O vero verius est: *Minore discrimine sumi Principem, quàm quæri.* Tacit9.

6. Arcanum Regni est certus successor, & arcanum Regis de domo sua. Magnum ex hoc subsidium Dominationi, magnum Imperij munimentum. Prudentes Principes non solum successores destinant, ne intercidat, ac convertatur Regnum, sed etiam in domo propria quærunt, ut in omnem casum substituunt suos, in perpetuum familiæ decus. Sic Augustus in domo sua successorem quæsivit, non in Republica. Sic Plinius Panegyricus suasit: successorem è sinu uxoris accipias, summæque potestatis hæredem tantùm intra domum tuam quæras. At si sobolis orbitas obsistit, vocandi, vel adoptandi etiam proximi, vel ab his inferiores, dummodo de eadem familia. Sic Carolus Quin-

tus, deposito filio, Ferdinandum fratrem; Sic Matthias sepositis fratribus, Ferdinandum II. patruelem; sic alij alios in societatem vocârunt, & adoptârunt in spem, & successionem Imperij.

7. Quod tantò faciliùs obtingit, si domus, aut familia virtute, & Justitiâ apud subditos sibi comparaverit venerationem, ut de domo Austriaca, quæ hoc Arcano designandi successoris feliciter utitur, compertum est. Scilicet non parùm interest ad firmitatem Imperij sub hac Augustissima Regia domo, quæ jam tot Imperio optimos Successores dedit, & tot sæculis præscripsit felix, gratùmque omnibus Regimen. Non quærit illa, quæ sua sunt; sed propria impendit viscera, & infinitas profundit opes in conservationem antiquæ Germanorum gloriæ. Vasallis Imperat eâ temperie, ut omnes sentiant se liberos esse. Obganniant hîc, quidquid velint Galli, quibus Austriaca gens semper spina in oculis, Germania in votis est. Hoc tamen gloriosum Austriacis, quòd, nisi gloriosa, de illis scribere Galli non habeant.


8. Gramondi Illustri viri calamus exaggerat in immensum Austriacorum Gloriam. Hæc quanta sunt, inquit ille, æmulante augmentum

fortunâ : in gentem unam confertur Europæ dominatio, si Galliam demis, fermè universæ. Et quod magis obstupescat posteritas, spatio centum annorum patratum opus, quod olim victrix gentium Roma vix post mille annos perfecit. Hæc mihi mens est, præter Europæ dominationem continuatam in gente Austriaca, occidentalis Imperij possessionem ostendere, habitam ab ipsa velut in vinculis Electorum libertatem jam fermè annis ducentis.

9. Tanti incrementi idem Gramondus suspicatur causam esse Arcanum, quod ab Hispanis Ibidem Theologis accepere. Nimirum: Expedire Reipublicæ Christianæ in gentem unam transire Europæ dominium, nunquam aliàs extirpandis hæresibus, aut mahumetismo: Fortunæ Austriacorum annexam esse fidem Catholicam; si una dominabitur gens, fidem unam fore.

Ita existimat Gramondus. Ego autem Arcanum hoc dico Providentiæ divinæ, ut tanta in unam Domum conveniant, quæ tantum pro fide,

fide, & Ecclesia laborat. Verum est, fortunæ Auftriacæ annexam esse fidem Catholicam, unde illi Reges Catholici, & Apostolici dicuntur: Catholici propter hispaniam, Apostolici propter Hungariam. Utinam hanc linerent gentem dominari Galli, fides certè una foret, ac major Pax Europæ, quam aliàs dilacerat æmulationio Regum Galliæ. Sed oportet esse scandala &c. Ab his regredior.



## CAPUT V.

### *Arcendi à Regno.*

**I.** **M**agnus in Regno labor, grave est Imperium onus, & latent sub Corona pungentes aculei. Galba rectè dicebat: Imperium se non accepisse, sed illi potiùs alligatum esse, cum jam sui juris esse nequiret, & afflicteretur occultis difficultatibus, quantumvis viderentur omnia ad votum sibi esse. Fingamus Principem justissimum, clementissimum, providentissimum omnisque maculæ se expertem: obnoxius tamen erit livori, & obtreccionibus, quibus etiam optimi illi Principes, Titus, Trajanus, Aurelius, fermè succubuere.



2. Considera, quàm magnus in administranda Justitia labor? quanta à seditiosis domi, quæ ab externis pericula foris? Ingentes congerendi ærarij difficultates: subditorum querimoniæ & execrationes sine fine. Quid curæ, solitudines, infomnes noctes, & ejusmodi cordis spinæ? Prætereo bella, clades, tumultus, & centum talia Regni fastidia, ac onera. Adeo in honore ingens labor est, nisi ambitio Regnandique cupido, ut Scipio Africanus dicebat, æstimatione faceret minorem. Qui in dignitate constituti sunt, dominationis appetitu, laborem æquo animo ferunt, eundem, si tolleretur ambitio, nequaquam laturi. Tolle Ambitionem, & nulli competent pro dominatu. Illa dulcorat omnia, & in amaritudine invenit voluptatem: in Regno quærit otium, cui tamen perpetuum est negotium. Tanti olim renunciârunt Regnis spontè, quibus pares erant: sed quanti hodie affectant illud, quibus planè non competit.

At non admittendi, nisi quibus vel ex successione Jus, vel quos ex legitimis suffragijs justa electio promovit.

3. Arcendi autem in electivis Regnis. Primò

L

qui

qui tempore in præscriptionem abutuntur, & successionis necessitatem allegant, ubi sæpius liberè factum est. Ejusmodi non merentur Regnum, licèt multa præmiserint merita, quia liberum statum necessitatis lege obruere volunt.

Livius.  
lib. 4.

Maxima libertatis custodia est, si magna Imperia non sint diuturna, & temporis modus imponatur, quibus juris imponi non potest. Hoc arcanum quidem est Regnorum electivorum, ut eò securiùs obsistant Tyrannidi, & libertatem suffragij conservent, si non semper uni familiæ deferant summam Imperij. Ita Fabius deprecabatur filio consulatûs, qui Regius erat, honorem coram Senatu, non quòd filio diffideret, sed quòd Reipublicæ non expediret *Maximum Imperium in una familia continuari.*

4. Evanuit vis Arcani hujus posterioribus temporibus in plurimis Regnis electivis, & ferè etiam in Polonia: Nam Piaistica ibi & Jagelonica linea diù continuavit, & etiamnum fortè continuaret, nisi orbo, & prole destituto Casimiro, spes alias invasisset potiundi Regni, quod indè in maximas calamitates prolapsum fuit. Quid obstat libertati, si demortuo Patrè, filium eligant, aut alium ejusmodi gentis? si

merita, si virtus, si potentia domi: cur foris quærenda? Obex fortissimus est infinitis Reipublicæ calamitatibus, ubi vis Regni non exponitur aLEX Principum multorum. Hæc libertatis personata species est, & corruptela suffragiorum, ubi venûm exponitur corona ( ut non rarè in Polonia obvenit ) neque unquam minùs liberè eligunt, quàm cùm pecuniæ simonia corrumpit Vota Senatorum.

5. Felix Respublica, cui obtingittalis familia, ex qua semper eligere fas est Principes sine periculo suæ libertatis. Gaudet hâc sorte occidentale Imperium, quod jam sex & decem ex una gente numerat Coronatos Vertices. Rudolphum videlicet I. Albertum I. Fridericum III. Albertum Secundum, Fridericum IV. Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam I. Ferdinandum II. Item III. Item IV. Leopoldum I. & Josephum I. Omnes hi ex Augustissima Austriacorum gente prognati successerunt sibi invicem in gloriam sacri Imperij citra lapidem offensionis, aut præjudicium avitæ Germanorum libertatis. Et quid ( addit Lipsius ) nisi

à DEO tacita vox, & testimonium, datam hanc familiam, & demissam à cœlo in terras esse, ad Imperia terrarum?

6. Arcendi secundò Peregrini. In Lege Mosaica, quam divinam dicimus, arcebantur à clavo Reipublicæ peregrini, & externi. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Tacitus de Germanis perhibet: Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam Reges manserunt ex gente ipsorum. Ab omni ævo proditum est, vix ullam gentem esse, quæ diù ferat peregrinum Imperium. Et ubicunque populus est aliquâ mediocri potentiâ, vidimus fere ab indigenis gubernari, quod quidem de hæreditarijs Regnis semper dici non potest, quia hæreditates transeunt de gente in gentem.

Ipsi Barbari in hoc persistunt. Sanè gens illa Scythiæ Alexandro in faciem objecit. **Ut**  
 7. fortior sis, quàm quisquam: tamen alienigenam Dominum nemo pati vult. Apud Tyrios, Massilienses, & Sy-

racufanos lege fundamentali cautum fuit, ne unquam ad Regnum assumeretur vir externus. Strales lib. 4.

7. Id convincit ratio, quam Curtius adducit: ut est cuique amor erga Patriam infitus, ita etiam, suis quique parent placidius, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. Naturæ affectus pronior est in suos. Multi malunt Tyrannum domesticum, quàm externum Principem. In quam domum vespiliones veniunt, signum est funeris: sic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Externi Principes fortunas suas tuentur, suis invigilant commodis, ut bene illis sit, quamdiù sint. Etenim non feruntur illo amore, ac patriotæ in Patriam. Consonantia amoris inter Regem, & subditum reciproca esse, nec genio, nec cultu, nec vestitu, nec sermone differre, sed unum sonare, & resonare debet. Id quàm arduum sit externo Principi, sive patrios mores deserere, sive alienos assumere, monstrat Henricus III. ex Gallo Principe Rex factus Poloniæ, qui furtim Cracoviâ dilapsus, deseruit Poloniam, & opportunè intravit Galliam, quæ jam post mortem Caroli factionibus in se divisa, Democritizare cæperat, Lipfius

Gra-  
mon-  
dus.

Battavæ in Hispanum Regem Rebellionis æmula. Ita nimirum modica fides est exteris Principibus, qui avita amant, aliena non curant.

Arles  
1. Polit.  
c. 8.

8. Arcendæ demum à Regno electivo scæminæ. Nam quidquid masculinum, naturâ magis factum ad Imperandum scæmineo. Et in Principio mundi prima *subjectionis* lex dictata est scæminæ, ut nimirum subsit. Ipsa natura, ait Græcus ille Menander, Mulieri negavit Imperium. Quid enim scæminâ Nobili (nam plebeis planè præclusus est aditus ad Imperium) mollius, quid tenerius? ac proinde quid impotentius? mollia quippe non durant, tenera nîl audent, flaccescunt utraque. Imbecillis & Impar laboribus hic sexus: & si licentia adsit, sævus, ambitiosus, ait Tacitus.

Proper-  
tius.

9. Expertum id Hungariæ Regnum in Maria Ludovici Regis filia, quam ex parentis merito Primates Hungariæ non Reginam, sed Regem salutârunt. Nupta Sigismundo Romanorum Imperatori negavit in dotem Regnum, sibi que Jura Majestatis omnia reservavit, dicique scribi, ac sculpi voluit **Maria Rex Hungariæ.**

at nulla diu fœmina pondus habet. Rexit enim ut fœminæ solent, malè, & ex libidine unius, sepositis Primoribus, quam ex fœmina Regem malo suo creaverant. Excandescit desuper vir gravis, idemque Hungarus in Historia sua Bonfinius inquires: Quot mala Hungariam, imbecillitate fœminei sexûs invaserint, probè qui nôset, diceret infelices Hungaros, quibus mulier imperaret; præposterum rerum humanarum esse ordinem, qui viros fœminis fecit obnoxios; inversa jam esse naturæ jura, nec superesse aliud, quàm, ut viri mulierum locò neant, pensâ disponant: contrà illæ, pro his arma sumant, & virilia munia passim obeant. Proinde inversos naturæ mores non ultra tolerandos: Virile revocandum esse Imperium, ne effœminati ubique gentium Hungari prædicentur. Quod & factum est: vocato in Regnum Carolo Neapolitano. Rectè lege Salicâ apud Gallos cautum est, ne lancea misceretur fuso, néve ulla portio hæreditatis in terra Gallica mulieri obveniret. Quod sanctè in hæc usque tempora observatum. Ex divino procul dubio dictamine apud Sapientem in Proverbijis **Mulierem fortem quis inveniet?**

Respondet sibi : manum suam misit ad  
 colum ( non ad lanceam ) & digiti ejus  
 apprehenderunt fusum , ( non Scriptum )  
*Quæsit lanam & telam* ( non Coronam ) *Et*  
*operata est consilio manuum suarum* , non in cu-  
 ria , non in castris. Fœminæ domûs custodia , &  
 liberorum cura est.

10. In Regnis successivis , ubi fœminæ ali-  
 quando sequuntur mares , ferendum est mu-  
 liebre Imperium , & ubi sexui negavit natura ,  
 deferendum sanguini. Excludi non possunt ,  
 si Jure subintrant , neque rejici , semel admiffæ

Olim multas , prioribus ævis raras , ab  
 uno sæculo huc præter Christinam Sveciæ Re-  
 ginam , quæ fidei zelo Regno cessit , & modò no-  
 vissimè Reginā Angliæ Annam , quæ Wilhelmo  
 Regi successit , vix Europa habuit Reginas  
 Regnantes. Plures tamen Regnorum Regum-  
 que tutrices , sed eventû etiam vix optato. Nam  
 indè Gallia , & Hispania in multas factiones di-  
 visa nunquam quievit , nisi abrogato muliebri  
 Imperio. An sexûs vitio , an æmulorum livore ?  
 in ambiguo sinimus.

Sanè luctuosum erat videre Catharinam

Me.



Medicæam Ludovici XIII. Matrem à filio iustam aulâ abfistere indicto ad Blesenses exilio. Luyneus incitabat Regem, ut naturam exueret Filij, Galli indolebant Reginæ Matri, confortes fortunæ. Ancræus vir potens, à secretis Reginæ, in frustra excarnificabatur à Malevolis, Galigaya Reginæ matrona confidentissima à teneris, rapiebatur ad supplicium; uterque non aliâ noxâ, quàm quod Reginæ Parentis favor illos elevâffet in altum. Tantum audebat Luinæi sivè livor, sivè æmulatio in Reginam Matrem, ut in filio solus occuparet Regem, & Regnum, quod & factum fuit. Ita nimirum vel hoc uno crimine, si crimen est, rea esse debuit Regina, quia Mater, quia Fœmina. Felicius & Regni tutelam, & Dominium gerit, hoc, cùm scribo, tempore ANNA REGINA ANGLIÆ, unicum columnen Europæ libertatis, Bellona sæculi nostri. Orbis mihi est testis universus, qui obstupescit, quanta Regia hæc Fœmina, supra sexum, exantlaverit in Germania, in Belgio, in Hispania, in mari Balthico, Oceano, Mediterraneo? Notoria non scribo, sed hoc unum constanter assevero, hanc unam Reginam exæquâsse omnium Regum antecessorum suorum encomia,

gloriâ magis superior, quàm par. Usque aded in eam omnes conspirarunt Regiæ virtutes, ut delictum sit totius Angliæ, Parlamentorum Arbitra, seditiosorum domitrix, & unicum adversus usurpationes Gallicas repagulum.



## CAPUT VI.

### *Finis Imperantium.*

In mē.  
Socrat

I. **S**Vavissimum Xenephontem Audio : Rex eligitur, non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij, qui elegerunt, benè, beatèque vivant. Dominium finis Regni non est, sed publici boni ratio, cura, tutela. In hunc finem eligitur Princeps : ed collimant omnia Regni negotia, & boni Principes non aliud intendunt. Discrimen hoc Regis à Tyranno est, quod iste suum ipsius commodum spectat, & quærit : at Rex subditorum.

*Tu civem patremque geras : tu consule cunctis,  
Nontibi. Nec tua te moveant, sed publica damna.*

Ita Musa svadet.

Hadrianus Cæsar in concione ad Senatum pollicebatur, ita se Rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non suam. Illius sanè

Princi-

Principis Magnitudo stabilis, fundatâque est, quem omnes non solum supra se esse, sed etiam pro se sciunt. Seneca de consol. sol.

2. Plato duo in Republica præcipit Principibus: unum est, ut utilitatem civium procurant, ut quidquid agant, ad eam referant oblii commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus Reipublicæ attendant, ne dum partem aliquam partialius tuentur, reliquas periculo exponant, vel planè deserant. Bonus Princeps commoda civium nunquam divellit à suis.

3. Una proinde cynosura, & Stella polaris Imperantium est, **Salus Populi**. Hæc regina legum omnium, hæc lex regia, & una præ omnibus, Principi cordi esse debet.

Ad hanc legem universalem refero diuturnitatem præsentis Statûs, ne in aliam formam mutetur: tranquillitatem publicam, ne pax turbetur sive interno, sive externo motu: civium salutem, ut benè sit illis: utilitatem Reipublicæ, ut affluat, ne vè egeat: Imperantis denique securitatem domi forisque. Altissimus iste finis est, quò amplius Princeps assequi non potest. Ingens negotium, quod totum hominem requirit. Arduum opus, quod fermè occultis ratio-

nibus, & consilijs magis, quàm vulgaribus opinionibus agitur, perficiturque.

4. Ad finem verò boni publici tudè consequendum duo conducunt Imperantem. Nimirum *probitas morum*, ex qua Principi magna fama, & existimatio, facile subditorum obsequium, & felicitas externa. Alterum est *Ars rectè Imperandi*, & *adminstrandam Rempublicam*: Hisce duobus medijs adæquatè assequetur finem Regni. De postremo jam partim dictum, & dicetur deinceps fusius per totum hoc opus *Arcanorum Status*

5. Primum, capite hoc paucis expedio. Probitatem itaque morum Principi adjungo, veluti manu ductricem ad finem sibi præfixum. Nam Reges olim eligebantur ex viris bonis propter excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute gestarum.

Maxima autem virtus in Imperante est mores à vitijs abstrahere, & inculpatae vitæ famam se subditis reddere conspicuum. Omne siquidem vitium tantò conspectius in se crimen habet (testatur Cicero) quantò major,

jor, qui peccat, habetur. Unde Principes non solum vitia concipiunt, sed ea infundunt subditis; vel si non infundunt, malè saltem audiunt apud illos. Nemo malus felix; & improbo nemini benè esse potest.

*Ubi non est pudor.*

*Nec cura juris, sanctitatis, pietas, fides: instabile* Seneca.  
*Regnum est.*

Imperantium peccati pœna semper major est, & secum plerumque trahit calamitates publicas. Tria autem sunt, quæ probitatem morum impediunt, & vitia fomentant Principum. Immodicæ cupiditates, adulationes, & prosperi eventus. Nam secundæ res jure sunt vitij obtentui, Principesque sui securos reddunt. Ah sed quanti falluntur! quantos præmatura libitina abripit! quantos in medio fortunarum auge mors invenit! Henricus ille quartus, Rex verè magnus Galliarum, cum primùm ex adversa, quam ante, & in aditu Regni tulit, sorte respirasset; illic sub prætextu cujusdam Reipublicæ Christianæ universalis, meditabatur arbitrium in totam Europam. Et nihil jam deerat, nisi operi ultima manus, quam

prævenit altera, quæ sicaria, & Regi fatalis fuit; Occiso enim Rege, occidit, & concidit tremenda illa universalis Reipublicæ Machina, quæ Galliam in Europæ erigebat Monarchiam, & perdebat Austriam. Ita ex nimia fortuna citior est sæpè casus, & velocior regressus, quàm fuerit ascensus. Præmatura non durant, superflua nocent. Segetem nimia sternit ubertas, ait Seneca, rami onere franguntur, ad maturitatem non pervenit nimia sæcunditas; idem quoque Principum evenit animis, quos immoderata prosperitas rumpit, quâ non tantum in aliorum injuriam, sed etiam sæpè in suam, fuorùmque utuntur.

Epist.  
39.

6. Idem modum imponere secundis rebus, vel duntaxat non nimis credere serenitati præsentis fortunæ, probi providisque Principis est. Probitas virtus est, fortuna accidens. Illa, inter Planetas fixum, hæc sydus erraticum est. Illucescit, & illudit: tenebris obvolvitur, cum lumen ostendit. Quis nesciat deinde adulationem probitati obfistere? Illam adulationem, inquam, quæ sine discrimine omnia Principum, honesta atque inhonesta, vel laudat vel excusat. Assentatores collyriū illud fatale non oculis tantum, sed

sed animis imprimunt Principum, quò in maximis vitijs speciosas intueantur virtutes, & in perniciem suam fallantur incauti. In superibia, majestatem autumant; in fastu, gloriam; in avaritia, frugalitatem; in ira, Justitiam; in libidine, licentiam; omnia demùm sibi licere autumant, quæ libent, nam

*nihil est, quod credere de se,*

*Non possit, cùm laudatur, Dijs æqua potestas.*

7. Cupiditates immodicæ nutrices vitiorum sunt, quia ex cupiditatibus omnia vitia nascuntur. Ratio ipsa tam diù potens est, quamdiù ducta est ab affectibus: si immiscuit se illis, & inquinavit, non poterit continere, quibus fræna laxavit. Cecidit Phaëton laxatis nimium equorum suorum habenis. Nemo Jure imperat, qui sibi imperare non potest. Refrænet primùm libidines, spernat voluptates, iracundiam moderetur, resolvat avaritiam, cæteras animi labes repurget: tuncque alijs incipiat imperare, cùm ipse improbissimis dominis, dedecori, turpitudini, ac vitijs obtemperare desierit.

8. Ad probitatem hanc morum moveat Principem maximè, bona fama ac existimatio, quam ille inde sibi comparabit. Famã extendere factis est

lib.7.in  
Cyro.

est virtutis opus. Gloria virtutem, veluti umbra Solem sequitur. Accedit felicitas eventuum omnium, quam sibi à virtute infallibiliter polliceri potest Princeps. Ita Xenophon credit, nihil ei, qui in alios Imperiū habet, quidpiam gloriosius, ac opulentius, quàm virtutem, quàm iustitiam, quàm animi magnitudinem esse posse: Has si quis possideat Principum, duplicem assequetur, animi nimirum, & Regni felicitatem.

Seneca.

Denique Probi Principis Imperiū etiā in odiosis rebus, & detestabilibus, æquo omnes animo patiuntur, confidentes in moderatione, & æquanimitate illius, quem improbitas in transversum nunquam egit. à Capite bona valetudo: inde omnia vegeta, erecta, aut languore demissa. Flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principe bono. Exemplo plus operatur, quàm Imperio. Ibunt in obsequium virtuti, & pervicaces frangentur ad conspectum Principis boni, & virtuosi.

9. Verūm probitati huic, ac virtuti affvescant Principes à teneris. Frustrā est in Principatu pudorem induere, quem primā juventā exuimus. Nunquam melius finguntur Principes, quàm cū nondum se sciunt esse Principes.




pes. Cuna Principum præludia sunt regnorum.

Certum enim est eos, ait Gallia quondam Magnus Minister Comineus, qui in ulla re unquam excelluerunt, maturè puerilibus animis ad eam rem accessisse. Totum quidem hoc consistit primùm in Beneficio DEI: proximè in educatione. Teneri rudèsq; animi facilè ea capiunt, quæ postea perpetuè retineant.

Maximi profectò refert, soboli in spem regni evehendæ, Viros prudentes, & probatæ ac integerrimæ vitæ adjungi. Probos si velis aliquando, Imperaturos filios, probis committas necesse est in disciplinam Viris. Proximis applicatur omne, quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit. Non æquè Parentum, Seneca quàm pædagogorum mores inducit adolescentia.

10. Idèd justam, & doloris, & querimonie causam habet populus, cum sui Principis liberos videt malè institui, & ab hominibus improbis educari. Certum quippe sibi, & posteris Comineus. malum ominatur ex mala educatione illorum, qui aliquando imperaturi sunt. Ita nimirum ab educatione bona, vel mala, pendent reliqua vitæ bonæ, vel malæ.



## CAPUT VII.

*Quid in inchoatione Regni  
Observandum.*

1. **M**aximum momentum est bene inchoasse gubernacula Regni, quo enim hæc modo capta sunt, eo planè finientur: & Salutij, omniumque politicorum calculo Imperium iisdem artibus facillimè retinetur, quibus partum est: in quo vis fermè totius hujus arcani consistit. Aliter tamen, qui aut suffragijs, aut successionis Jure; aliter qui per Tyrannidem occupavit regnum, in principio gubernationis suæ agit personam regiam. Non omnibus una scena est, licèt unum theatrum seruiat. Cuilibet sua sunt particularia arcana, licèt in multis coincidant, eo duntaxat discrimine, quodd etiam egregia, & in se ipsis virtuosa facta Tyrannorum, Usurpatio iniqua contaminet, ut hìc etiam verum sit, Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu censerì.
2. Novi Principes communiter applausum habent, quia rebus novis exultat populus, nova  
illi

illi placent, & novitate rei trahitur sine discrimine in bonum vel malum. Aggratulatur novis Principibus; ubi autem insenuere Solio, sæpe contemnit. Prævertendum huic periculo maturè obtentu magnæ famæ, quæ in novis captis semper validissima fuit: Multique experti, prout primæ cessissent Imperiorum cunæ, ita deinceps in tumulum usque.

Sed malo fato Regis, & Regni contingit interdum, ut primos mores mutant Principes, & cum illis quoque mutetur fortuna regni. Multorum Principum initia grata, sed exitus tristes.

3. Sitigitur primum incipientium Principum artis opus, ut rectè incipiant, & à primo tenore, si rectus fuit, nunquam desistant. Inde felix augurium, atque certum Omen totius futuræ administrationis. Imò si deinceps quandoque deflexerint, obliterabit prima opinio sequentes noxas. Primæ famæ ad laborandum semper, quæ, qualiscunque fuerit, sive bona, sive mala, semper manebit magna. Atque hoc primum, & generale Arcanum est, ut Principes in primordio regni tantam apud subditos obtineant exultationem, ut nemini illorum,

ne quidem subvenire possit dubium de futura bona administratione.

4. Altera pars Arcani est, ut in hac prima acquisitione se ita firment in statu, ut non solum in subditis nunquam pertimescendum sit revolutionis, vel à primo tenore secessionis periculum; sed etiam quasi avescant illi præsentis regimini, quod non tam promulgatione legum, vel evulgatione suæ mentis, quàm occultis consilijs, ac de super ipso opere invehendum. Stabit opus perfectum, antequam conceptum existimabitur: avescent Imperio subditi, antequam ipsius formam noverint.

5. Ad hujus perfectionem Xenophon in sua cyropædia ita suum describit, vel potius instruit Principem. Oportet eum, qui ad Reipublicæ regimen accingitur, plurimis oculis, pluribusque auribus uti, ita ut (quod notandum) Caput ille sit, & in Authoritatis suæ partem neminem admittat.

Ingerunt se apud novos Reges priores Ministri, vel opibus, vel clientelis, vel favore, & gratiâ apud prædecessorem prævalentes; Item Principes sanguinis, aut ipsæ Reginæ Matres, ut in Gallia sæpe contigit, quæ partem

Regni, & negotiorum publicorum arbitrium affectant non tam precariè (quod interdum salubriter admittitur) quàm auctoritatis quâdam lege, quæ opprimit splendorem Majestatis Regiæ. Procul hinc isti, istævè: Jura Regni in Regis sint manu. Zelotes sit Majestatis suæ, neque sinat præter se coli aliud idolum. Cum nemine divisum Imperium habeat, adjutorium tamen apud sapientes quærat. Quantum alijs concedit de Majestate, sibi tantum detrahit de Regia auctoritate; nec erit ex integro, sed pro parte Rex, quisquis solij socium habet. Jura denique Regnorum, ut supra dictum, incommunicabilia sunt.

6. Duo postremi Franciæ Reges Ludovici, Matres Reginas aulâ excessu voluerunt, ut soli regnarent. Penultimo suavor fuit Luynæus: Meminisset Regem se, & adultum Regem: ab exacto ætatis anno decimoquarto, quidquid erat tutoriæ auctoritatis, excussum: Rex jam à decimo, annum agit septimum, ex quo ab excessu genitoris precariâ, non Regiâ auctoritate regeret. Matrem regnandi avidam vix passuram decedere sibi usucaptum imperij Jus. Cupidinem dominandi non facilè exui. Ita demum

zelus Regni, vicit naturam filij, relegatâ Matre specie honestæ, & necessariæ quietis.

7. Ut verò omnia penes unum, idest Regem, & ab uno sint; celare se debet Princeps, & ad finem hunc proficua media, sicut & alia majora statûs negotia in occulto habere, neque venûm exponere vulgo, vel Aulicis, qui optimam sæpe mentem Principum fugillant, vel planè dilacerant. Factis hîc opus alta mente præmeditatis, non sermocinationibus, vel disceptationibus. Sic ex eo tempore, ubi Romanorum sive Aristocratia, sive Democratia in Monarchiam mutata, & sub unius Imperium reducta, pleraque cæpisse occultè, & per arcana agi (trahit Dion) cùm in libertate olim senatui populoque omnia communicarentur. Alia tempora, alij mores: alia Respublica, alia Imperij forma. Hæc arcana dominationis, vocat Tacitus, occultas nimirum artes, & consilia, quibus Status Monarchicus stabilitur, conservatur, ac legitimis medijs augetur. Quæ tamen arcana obtinendæ, intendendæ, aut extendendæ dominationis eatenus probanda sunt, quatenus Majestati Imperantis serviunt citrà Justique periculum.

Dion.  
lib. 35.

eggre diuntur, & superbiæ, sævitæ, commodisque privatis Imperantium cum pernicie Reipublicæ accomodantur, tunc degenerant, & fiunt Tyrannica. De his non nobis, quia sine his stare potest Status perfectè Regius.

8. Lex, & ratio fundamentalis statûs Monarchici est, ait Lipsius, ut unus sit omnium arbiter, rerum temporûmque Dominus, qui tractet cuncta consilij ( addit Livius ) non semper sequatur. Libera, absolutâque potestas arbitrationi aliorum, & disceptationi superevecta est. Unus est Princeps: ab uno omnis potestas: uni tantum ratio reddenda: ille præ omnibus, qui in omnes potestatem habet. Omnia hæc fundantur in Jure Majestatis, quæ inhæret personæ Regiæ ordinatione divinâ. Attamen absolutam hanc potestatem, quam Princeps sibi immediatè, ut talis sit, comparare debet, non imminuit juris, & æquitatis Religio, non virorum sapientum consilia, non datæ fidei observatio, non Leges fundamentales, quibus aliquando, in regnis præcipuè electivis, Reges exacto, vel capitulatione adstricti sunt. Hæc enim non tam videri vincula potestatis, quàm censerentur debent regula agendorum: eatenus tamen, quatenus non derogant Majestati.

9. Potestatem verò Monarchicam, & Majestaticam resolvunt, & imminuunt, ubi Primores regni insultare audent Principi, ut fecit Condæus, Sveffio, Nivernus & alij Ludovico decimo tertio; ubi legem ponunt Principi, per quam illi facere non liceat, quod velit; ubi largitionibus Principis resistunt; ubi, ne jura Majestatis exerceat pleno Jure, audent, quod opponant; ubi acta Principis syndicantur à Parliamentis: quemadmodum tentavit Parliamentum Lutetianum Anno 1620, adversus Ludovicum, cui se Rex opposuit, & patrocinate Cancellario Varæo evicit, posse pro Regis arbitrio adimi, quod precario & libero indulto supremi Principis possidebat Parliamentum. Ut à sole radij, ut ab oceano flumina emanant, ita à Rege, Parliamentis authoritas; à quo, ubi desciverint, fatui sunt ignes, vanaque impotentium virorum conamina, dicebat Varæus. Ita Principi in principio principijs obviandum, ne ferius medicina paretur, quam malum augeatur. Initio stabilita potestas in consuetudinem abit.

10. Valebit plurimum ad stabilitatem potestatis moderatum Imperium.

*Vim temperatam Drij quoque  
provehunt in majus.*

Mo



Moderata autem gubernatio duobus innititur. Primum est, ut Princeps in initio Regni suscepti odiosa non augeat. Absint à novo Rege nova tributa, vel alia onera, maneant vetera: & ita se moderetur Neo Rex, ut deinceps tutè possit, cùm necesse fuerit, veteribus nova imponere.

II. Alterum est, ut beneficijs, favoribus, privilegijs, liberalitate devinciatur, quos possit. Tyrannos imitetur in hoc, atque ita agat, ne quem novi statûs, novique Principis pœniteat. Augustus primus ostendit Imperandi artes, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit. Ex quo enim omnium animos occupavit, vix difficilè illi fuit Jura Majestatis occupare, ut unius fieret, quod antea plurium fuit Imperium. Mortalium fermè nullus est, qui non alicui illecebræ succumbat.

12. Tiberius adhuc Imperij Candidatus auxit Senatorum stipendia non adductus amore in ipsos, neque impulsus virtute liberalitatis, sed ut Viris magno animo præditis occasionem adimeret aliquid moliendi adversus se, & præsentem gubernationem. Aliud simulavit, aliud egit. Regiæ prudentiæ id proprium est, conciliare

liare sibi animos subditorum, & ad usus suos adungere.

Germanicum imitare; qui alium spe, aliū gloriā, cunctos alloquio & curā sibi mancipabat. Etiam Vespasianum, qui solitus suos adire, hortari, bonos laude, fegnes exemplo excitare magis, quàm corrigere, vitia magis amicorum, quàm virtutes dissimulans.

Porro initia Regnorum sæpè remoras habent, Insidiatores, intelligo, vel æmulos, vel Principes sanguinis, viros etiam ambitiosos, rerum novarum cupidos, ac planè domesticos hostes, ita disponente fortunā, ut nemini sit facilis ascensus ad Solium.

Quid in hac rerum tempestate Principi agendum? Sanè Tacitus libri Primi Annalium caput quintum ita incipit: Primum facinus novi Principatūs fuit posthumi Agrippæ cædes. Nec multò pōst Agrippinæ dolo, Junio Silano Asiæ Proconsuli, è Stirpe Cæsarum oriundo, nihil molienti, mors infertur. Principatūs Viteliani primum specimen noscebatur cædes Dolabellæ. Apud Turcas ejusmodi non tam in exemplum, quàm in morem venêre. Abimelech ut Gedeoni solus succederet, septuagin-

ta fratres interemit : quantos perdidit Anglia Principes ex regnandi libidine ; Comineus recenset octuaginta. Quanta funera alibi audivimus clam, & palam facta ex affectatione Regni? victimæ hæc primæ sunt Regiæ securitatis. Timeri debent, qui magna, si possent, auderent.

Horridum quibusdam videtur tale Principatûs initium! Execrandæ artes securitatis tuendæ! Invisum Imperium! Attamen res intimiùs perpendi, & non omne ferrum sicarium dici debet. Regum securitas, Regnorûmque stabilitas præponderat omnibus singillatim. Non oportet damnare omnia, quæ violenta sunt; Nam Jure naturæ vim vi repellere licet: Jure gentium publica præ privatis consideranda: & nostro usu pro Rege, & regno semper standum. Per cædes ire ad Solium, nefarium quidem est; sed si cædi deberet non cædens, quid tunc obsecro? nonne datur præventioni locus? quantum Republicæ periculum ex dilapso hoste? quis tumultuatores, quis insidiatores, quis latrones in domo sua patitur; & Rex patietur in Regno suo in perniciem, in necem suam? Nequaquam minùs licere potest Regibus, quod

privati impunè exercent. Breve quidem confinium Regni, & Tyrannidis, quia media quæ si eadem, sed finis diversus, & mediorem applicatio alia. Idem ferrum esse potest, quod justè vel injustè stringatur. Idem factum in Tyranno iniquum, quod in Principe Justum est. Tyrannis finis usurpatio est; & Regis, Status securitas, & conservatio. Ille media applicat sine discrimine justis, & injustis: iste Justitiæ & æquitati veluti basi & fundamento Regni innititur. Illi nulla Potestas in suos, huic omnis. Subrepunt tamen aliquando etiam in aulas Principum Christianorum Tyrannicarum artium venena potius, quàm arcana. Ideo non minus magnâ cautelâ, plurimo discrimine, & examine, quàm veloci executione opus est in ijs, quæ hominum oculis obversantur, velut flagitia dominationis, quæ vè vitas, famam, & bona petunt Magnatum. Hic vitanda temeritas, ira, præcipitantia, & primus fervor. Credulitas ne sit facilis, nec assentatoribus aures pateant; nec publicè præmia statuuntur accusatoribus.

Qui supplicij rei sunt, convinci: ubi suspecti, causæ fundari debent. In ejusmodi criminibus

minibus ubi parcere bis, periculosum est, sola etiam voluntas externo actu expressa mulctatur. Nisus & conatus non expectandi. Adversus Principem, & Statum vix datur parvitas materiæ. Suspecti relegentur: convicti tollantur: nimium potentes minuantur gradu, conditione, & opum comparandarum occasione: refractarij humilientur. Neutrales, si aliàs viri boni sunt, concilientur comitate, honoribus, promissis. Nec novum quid, in novo Regno est, si insurgant, si obluctentur, si moliantur res novas inquieti homines: adeoque nec novum esse debet, si novi Reges impedimenta removeant, obices tollant, prærupta complanent; omnia metientes staterà Justitiæ, ac publicæ securitatis, quæ Regis, & Regni una causa est. Sic Condæos & Lotharingos (Sanguinem planè Galliæ Regium) ut & alios Principes propinquos, & magnos Ministros non solum in Gallia, sed etiam alijs in Regnis; imò viros purpuratos sub ipsa Apostolica mansuetudine, extorres, exules, multoties in carcere, neq; raro sub fatali securi vidimus. Infirma sunt jura sanguinis, jura meriti, jura purpuræ, jura sacra, & profana; ubi ex mora periculum,

ex indulgentia exitium est; indèque Ratio Status periclitatur, cujus Conservatio meretur tales victimas, si nocentes sunt.

Quanta nuper passa est Austria à Gallo ex suggestione unius viri purpurati ( reipsa Germaniæ Incendiarij) quem Cæsar Leopoldus jam stringebat, sed clementiùs, heu! ( si fas est dicere ) quàm par fuit; dimittebat ( nam aliàs cum ipso extinguebatur ingens flamma belli) ut planè miraculo sit, quodd hinc Gallicis, illinc Ottomanicis armis non succubuerit Domus dignissima totius Europæ Imperio. Sed vidimus apud piissimam hanc gentem humana suppleri à Divinis; & domesticis quasi miraculis uti; atque nunquam se illa minùs periclitari, quàm in maximis periculis arbitratur. Corda Regum in manu DEI quidem; qui autem Reges pij, DEO planè cordi sunt.

13. Sequitur adhuc Arcanum aliud in primordijs regni admodùm salutare, quo ferme Tyranni feliciter in rem suam usi sunt; Legitimi autem Principes feliciùs, ac magno subditorum voto uti valebunt. Nimirum: salvâ suâ Majestate, cæterum nihil immutare confestim in Statu, nec quoad formam Regiminis, nec quoad

quoad Magistratus, & publica munia, nec quoad pædecessorum favore concessa privilegia, nec quoad fædera cum Principibus externis, nec quoad alia similia, quæ Principi nihil officiant, subditos verò mirum in modum devinciunt. Imaginem primi statûs permittebant Tyranni subditis, reipsâ dominatum erigebant. Boni Principes reipsâ finunt ea suis vasallis, quibus olim gaudebant, neque præjudicant Regiæ potestati.

14. Enimverò cadunt animo, imò perturbantur cives, ubi ex improvîso se alios vident, alium Principem, aliud Regimen, alios Magistratus. Refingi non possunt momento Mortalium animi. Novitas proxima turbationi est. Sicut mutationes aëris corpora, ita Rempublicam alterant. Augusti principium in statuenda Monarchia fuit Festina lentè, ut suprâ diximus. Sensim, & per partes non mutatur, sed ordinatur Respublica in melius. Ut asvescant subditi rebus novis, tempus volunt, quo obliviscantur antiquæ conditionis. Quædam consilia nulla re magis, quàm ex mora temporis convalescunt. Intempestiva, rarò oportuna.

15. Tandem præfenti ftatui novus Princeps, fe in tantum accomodet, in quantum Regia Auctoritas, & potestas integra, & falva permanere tutò queat. In primo gultu vinum oblectat hominem; ubi largiter fumptum, & venis immiffum fuerit, hominem fibi reddit obnoxium, in feque convertit: Ita Princeps ut fuos in fuum ufum habeat, primus fe fuis communicet, apteque accommodet.

Ibunt in obfequium, & novum folem adorabunt veluti Perfæ & Mædi orientem. Popularitas multum commendat Reges; Majeftati conjuncta Semi-DEOS facit. Utramque mifceat cautè, ut qui Patrem amant, Regem fciant & revereantur. Si fabulam fe fecerit in primordio, erit in fine ludibrium regni. Gravitas cum comitate, virtus abfque fucò, pietas fine fuperftitione, probitas fine hypocrifi, præmia ex merito, pæna ex delicto, Juftitia omnibus æqua, & in omnes; Domi foris que pax, imperium moderatum, Majeftas abfoluta; hæc funt felicia primordia novi Principis, feкуро, fauftoque omine duratura in longum ævum optatæ felicitatis.



## CAPUT VIII.

*Memoriale sive Regis Ratiocinarium.*

**T**Aciti Arcanum est adhortantis *Principes* lib. 3. annæ.  
*ut adeant sæpius longinqua Imperij*, velocissimi sideris instar invisenda. Ab Aditu Regni confestim expendat Princeps Statum ac vires sui Principatûs. Si enim olim in Romana Republica (ut Cicero de legibus differit) Senatori id expendere necessarium fuit, quântò magis novo Principi (quem onera & commoda tangunt totius Principatûs) opus erit nôsse regnum suum, quàm latè nimirum illud pateat? quântam militiam habeat? quid valeat ærario? quos socios? quos clientes? quos amicos? quos fœderatos? quos Stipendiarios? quantas Provincias? quas Urbes? quos Magistratus? quas nationes, quas colonias, quæ commercia? quos vicinos? & si quæ alia Regni compendia, vel emolumenta sint? Quippe, ut Cassiodorus ait, non unius civitatis, aut Provinciæ cura demandata est Principi, sed totius Regni custodia.

2. Reipublicæ maximè interest, ut non solum animo comprehendat Princeps, sed etiam præsens videat, potentiam, & vires suas. Proficuum foret, si quot annis præcipuas Urbes ac Regionem sui Imperij peragrando inviseret, & in illis aliquantisper consisteret. Regna vera si plura superi contulerint, singulis triennijs semel, ibique ipse negotia ageret, ipse cognosceret, ipse querelas exciperet, ipse corrigeret. Ita olim Imperatores nostri Rudolphus, Sigismundus, Albertus, Maximilianus, & Fridericus quartus, indefesso quasi pede peragrabant Sacrum Imperium de Statu in Statum, de civitate ad civitatem, & ubique componebant distracta, erigebant collapsa, omnibus providebant. Neque dicas id Ministrorum, qui Principum oculi sunt, curæ esse. Væ enim illi Principi, cujus oculi sic caligant, ut aliorum oculis indigeat. Quanti sunt, qui ignorant vires suas Ministrorum suorum versutiâ, & dum se tam Magnos, quàm audiunt, credunt, implicant se supervacaneis bellis, cum discrimine sui suorumque. In hoc vera atque solida Regnantis prudentia consistit, nimirum *nôsse Rempubli-*  
*cam suam.*

Seneca.  
de be-  
nef. lib.  
6. c. 30.

3. Hoc illud Ratiocinarium, five commentarius ( nos memoriale dicimus ) videlicet ipsa *Status Notitia est*, quam Octavius Augustus diffusè comprehendit, & post excessum, ejusdem Imperij successor Tiberius publicè recitari jussit, ut testatur Tacitus. Ibi publicæ opes continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, quot Regna, Provinciæ, quot necessitates, & largitiones, qui proventus, quantum expensarum; quæ omnia pro sui memoria sibi scripserat Augustus.

4. Imitare tantum Monarcham, & duplicem fructum assèqueris. Primò potentiam tuam cognosces, ac cuncta ad decorem Imperij Bonumque subditorum compones, non dubius, non anxius de exitu. Secundò occures fraudibus Gubernatorum, Quæstorum, aliorumque, qui maximo Principis, & Reipublicæ malo semper exquirunt novos sinus, & varia prædandi vocabula comminiscuntur. *Rex sedens in Solio dissipat omne malum intuitu suo.* Si longinquitas locorum neget intuitum, supplebit Ratiocinarium, five Memoriale hoc, in quo sicut apud privatos in Inventarijs Supellex domestica, ita hîc continentur omnia emolumenta,

Tacit. 9.  
4. hist.

prov.  
20.

arma, opes, vis, potentia, quæ supellex publica sunt Regni.

5. Et expedit profectò hæc notitia cuique Principi, & præsertim in aditu statim sui Principatûs. Nam quid Rex in regno, quàm Paterfamilias in domo? at iste, si bonus est, procurabit nôsse agros suos, fundos, possessiones, armentorum greges, servos, mancipia &c. Ita conditio Imperandi exigit, ut non aliter summa rerum conservetur, quàm si universorum ratio & notitia habeatur. Quid aliud operabitur vis hujus, quàm ut Rex nôrit, quæ sua sunt. Caput est administrandi Imperium, nôsse Imperium. Inde mensura actionum, consiliorum, provisionum.

6. Hoc Ratiocinarium vocat Scipio Ammiratus Arcanum Principis, nam hæc in complexo non omnes sciant, nec scire debent, sed singula singuli, prout nimirum cuique munus, aut negotium obtingit. At principi, quod singuli sciunt, soli constare debet, penes quem omnia, & ab uno sunt. Svaviter & in compendio hoc fieri potest, si ex omnibus particularibus Ratiocinarijs unum in compendium contrahatur.

7. Palàm toti Europæ est, de Henrico IV.

& de ejus nepote Ludovico XIV. moderno Galliarum Rege. Is perspecta Regni habet omnia, ac idem molitur indies maxima. Ipse Regno Rex, & sibi primus Minister est. Ipse primum mobile omnium negotiorum Regni, ipse movet, ipse firmat absens, ut præsens esset, ingentes exercitus: Expeditionibus præscribit normam, dat methodum expugnandis urbibus: Legatos ipse instruit, audit, judicat omnia, nihil clausum illi, nihil impervium. Et quod ad rem nostram planè appositum est, semper circumfert epitomen in brevissima charta suarum Provinciarum (quæ velut tanta Regna sunt) proventuum, expensarum, Legionum, officialium, commerciorum, rei tormentariæ &c. &c. Ut quoties necesse sit, in promptu inde capiat consilia, media, & resolutiones. Imò vix proposita, jam deliberata, mox executioni data, sic verè Regiū est *Nōsse rempublicam suam*. Sic inde securo securius suppeditat Rex media in omnes casus, & obventus, quantumcunque sinistros, quod ipsi hostes Franciæ, cum admiratione in Ludovico celebrarent, nisi tantis ausibus deesset causa bona; armorumque tantus æstus sensim in cineres extremæ inopiæ redigeret proprios status & vasallos.

8. Idem laudat in Pompeio Cicero, idem Lompridius in Alexandro severo; idem græca historia in Constantino Porphyrogenito; idem Cominæus in Ludovico XI.; idem Thuanus in Francisco Regibus Galliarum. Exsuperavit omnes magnus inter potentissimos Reges Philippus secundus, in cujus latè diffuso Imperio nunquam occidebat sol. Et tamen uno eodemque tempore quinque maximis (in Britannia, in Belgio, in Gallia, in Lusitania, in Aragonia) expeditionibus Belli distentus, minima quæque imperabat solus, dispiciebat omnia, supeditabat consilia, & pro memoria conscriptis sui Imperij Arcanis dedit cynosuram posteris, a qua (proh dolor) deflexerunt posteri ejus plurimum. Rem tuam age mi Princeps! Magnum momentum est: nôsse quid es, quid potes, quid possides.

CAPUT IX.

*Alterâ Pars Præfati Arcani.*

1. **X**ENEPHONTI ingens opus est bene præfesse: & NAZIANZENO Ars artium, & disciplina disciplinarum *hominem regere*, qui certè inter

inter omnes animantes moribus varius, corde profundus, voluntate instabilis, & cupiditatibus immodicus est. Ingenium multis, & assiduis obtegit involucris: sed ex moribus plerumque emergunt indicia. Frons, oculi, gestus, vultus, habitus corporis quidem mentiuntur quandoque, sæpius tamen veritatem discooperiunt, si diligentius conjectura habeatur, licet semper difficile sit animadvertere in recessus animi vulpem incolentis. Ut velexinde Regenti magna prudentiâ, & circumspeditione opus sit in subditorum gubernatione.

2. Porrò, quemadmodum Ascetæ inter arcana moralia primum fermè statuunt *Nosce te ipsum*: Ita inter Politica *nôsse suos*, non tam arcanum est, quàm schola Arcanorum omnium, unde Respublica regi, & Rex regere tutò possit. Adduximus suprà memoriale, sive ratiocinarium, id est notitiam sui Statûs; residuum Principi est, etiam notitiam habere suorum, & hanc ferme magis, quam illam: ex cujus namque defectu uti errores, & pericula infinita emanant; ita perfecta gubernandi ratio unicè dependet, si Princeps suos noscat, rectèque distinguat. Illam, si rectam cupit, si felicem, si diutur-

diuturnam, omninò necesse est, omnium, quos regit, ingenia, naturam, & inclinationes nôsse, fuúmque inde Regimen instruere.

in  
Agric.  
4. 33.

3. Canon certissimus Taciti est: Noscenda natura vulgi, & quibus modis temperanter habeatur. *Principis est maxima virtus nôsse suos.* Imò maximum imperandi momentum. Nam si Princeps avaro Ærarium, si effœminato arma; si præfervido judicia, si ambitioso, & præpotenti per incuriam committat Regnum; quanta ex hinc mala, pericula, ruinæ, oriri possunt! distinguere igitur oportet ingenia, nôsseque animorum motus: attemperare arbitria, subditosque ita flectere, ne se Remque publicam præcipitent.

4. Unde non obest, si Regum ingenia parumper vel formidine, vel sollicitudine (quàm potius dixero generositatis scintillam, ut olim Alexandri lachrimas, quòd plures mundi non essent, deflentis) agantur, & æmulatione aliquâ non tantùm observent, qui majora in Regno quàm par est, affectant: qui Imperio digni, ac tantæ moli pares vulgò celebrentur; sed etiam quibuscunq; in Regno Auctoritas, & potentia magna. Curæ ejusmodi non otiosæ sunt.



Rimari, & indagare ea, quæ ad securitatem publicam spectant, pars magna Regiæ prudentiæ est. Majores tamen umbras non sibi fingant, quàm Regium animum, infra se omnia despicientem, decet: sed in id cautè intendant, ut non extollant, nec proximum sibi fastigium concedant, quos aliquando juxta se sine horrore conspicerè non possent. Externis Bellis occupent, quos domi inquietos vident; ut Rex Galliæ Carolus Alenconium fratrem.

Expendant deinde privatorum potentiam, & auctoritatem: si gravis est? imminuant; si suspecta? ampliandæ occasionem non præbeant. Specie Legationis (ait Tacitus) in Lusitaniam seponitur Otto Mucianus in secretiora Asiæ. Honoratum exilium nemo detrectat aperte, licèt pœnam sciat, non præmium.

5. Persæ de suis Regibus, an superstitiosè, an mysteriosè? Vanè tamen non credunt: *Multos habere oculos, multasque aures*, id est familiares, ad observanda, & cognoscenda quæque, quorum relationibus multiplex notitia Regi comparatur, tanquam hoc pacto *cuncta sernenti, cuncta audienti.*

6. Henricus septimus Angliæ Rex omnibus modis

modis sollicitus erat de procuranda sibi omnium  
 notitia; quam ut assequeretur, emissarios suos  
 habebat domi forisque, atque in omnibus ferme  
 Europæ aulis degebant Henrici provisionarij.  
 Quod reverà propriè Magnorum Principum  
 est. Magno in id nunc incumbit studio Ludo-  
 vicus XIV. Gallix, & olim incumbebat Phi-  
 lippus secundus Hispaniæ, uterque Magnus  
 Rex; existimantes principum Imperandi ra-  
 tionem ex notitia tam externorum, quàm, &  
 præcipuè suorum subditorum, & ingeniorum  
 petendam esse. Ex hoc arcano facile Princeps  
 causas à prætextu distinguet, occurret seditio-  
 sis insensibiliter, distinguet criminosos ab in-  
 nocentibus, parabit è longinquo vindictam,  
 providebit de remedijs, ut Bonus Medicus,  
 quàm illa propria, quàm strenua, quàm salu-  
 bria: combinabit invicem omnia, & ex his eli-  
 ciet prudens, pacatum & gloriosum Regimen.  
 Qui ignorat suos, nec distinguit suorum per-  
 sonas, & statum, nec penetrat ingenia & mo-  
 res, vix dissipatam reducet Rempublicam, vix  
 ruentem sublevabit. Ignoti nulla cupido, nul-  
 lum remedium. Bonus Pastor cognoscit oves  
 suas, bonumque Regem nôsse oportet suum

gregem. Non est curiosa sollicitudo, nec vana indagatio, unde sensum populi, & judicia Procerum elicimus. Multi Principes hoc fine exultâ Purpurâ rusticum induerunt centonem, ut harvati tutè se imiserint plebejorum colloquijs, & de Reipublicæ negotio intelligerent populi judicia.

7. Mirabilis, nec facilè imitandus in hoc Sixtus V. Pontifex. Is ( ut in ejus vita legitur ) inter cætera Pontificatûs studia ingentem speculatorum ( quos spiones Romani dicunt ) clam, ut alter de altero nesciret, constituit: pleròsque eorum audaces, sagaces, secreti tenaces, in agendo vivaces, versipelles, penes tamen veraces. Magnam illis pollicebatur mercedem, & præter hanc præmia, qui plus præstitisset. Quinquaginta ex his invigilabant Gubernatoribus & justitiæ Præfectis. Alij quinquaginta nuntijs, internuntijs, & aularum Ministris externis æquè ac domesticis. Quinquaginta ad latus habuit, & singulis subdebat personas ( inter quas etiam Cardinales ) quibus attenderent. In ipsis Claustris Religiosorum, in cabinetis Principum, & in thalamis fermè secretioribus, quid agebatur sciebat Sixtus.

8. At si ejusmodi licebant sacrorum Principi, quid perperam aget Princeps politicus, qui non captiosè, & dolosè, sed providè ad comparandam nimirum sibi suorum notitiam, eorùmque expeditionem directionem, præfatâ utitur arte, & speculatorum operâ. Ego odi accusatores, odi adultores, & assentatores, at approbo emissarios à Principe, qui justis cautelis à Principe instructi, eidemque jurati, explorant sine strepitu, quæ scire Principem oportet, vel valde expedit.

9. Interdum ab ipso Principe tentandi animi suorum: nunquam se ita tegent isti, quin scintillam saltem à longinquo percipiet, quid sub cinere lateat. Latebras ejusmodi utiliter aperiunt scæminæ Nobiles, Arbitræ animorum. His sæpè feliciter usi sunt in Gallia Reges, & sæpè etiam malo suo prodi. Exempla referre vix expedit.

10. Icones demum animorum, vel ex propria experientia; vel ex alienis periculis, & exemplis; vel ex historiarû monumentis; vel ab usu; vel à sciscitatione defumi, ac pingi; formarique judicia, vel duntaxat præsumptiones tutè possunt. Accipe etiam à me non nihil: pingam

gam velut in tabella tibi varios variorum affectus: nec errabo facile. Et profectò quasi in comperto est: Principes Sanguinis plerúmque affectare negotia Regni, existimaréque sibi rei publicæ partem deberi. Id ipsum in Regnis electivis prætendunt Primates, & in quibusdam successivis, vel Parlamenta vel Status ipsi.

Qui autem de stirpe Regia nati sunt, non tam affectant, quàm invident. Non tam facile turbant, quàm turbas amant. Cooperti manent, livore suo contenti, dummodo à Regnante condignè habeantur. Ministris, qui ejusmodi educant, vix vera fides: commiseratores, vel suggestores plerumque sunt, eandémque cum illis currunt arenam.

II. Regni Magnates, Aularúmque Ministri, ut probi, ut improbi sunt, ita fermè dijudicandi. Proborum consilia, si quandoque non utilia, certè nunquam mala sunt. Improborum plerumque callida, & sæpè proficua, sed haud raro minùs honestati virtutisque consentanea. Aptitudinem isti mediorum expendunt, non qualitatem.

Ex cujuscunque Magnatis connaturali vitio arguere fas erit vitij extremitates, & pericula.

cula. Alia in superbis, & tumentibus: alia in prodigijs & sumptuosis: alia in avaris, & interfectis; alia in mollibus & vinosis; alia in rixosis & præservidis.

Idem ab adverso judicium de virtuosis hominibus, & quidem certius, sumi potest; quia virtus in Viro consummato raro pervertitur; vitium autem virtute, ratione, alióque fine sæpè corrigitur, & emendatur.

12. Aulicorum studium est, *Placere Principi*: ast varijs artibus: uno tamen omnes sine *obtentu nimirum majoris fortunæ*. Et si spes hujus non esset, quis, vel Aulæ lubricum peteret, vel non fastidiret illius bellaria mille amaritudinibus referta? sunt illi fortunæ adoratores tantum, temporis affectæ, omnium horarum Viri: vix est, quem amor tantum Principis, vel Regni sola salus tangeret,

Sagax Princeps, si solum Aulam suam rectè inspexerit, videbit & ridebit theatrum ingens, multiforme adulantium, suggerentium, mevolentium, suspirantium, æmulantium, jactantium, supplicantium, ambientium, diffidentium, susurantium, & centum talia iniquitatis participia. Virtuti, pietati, fidei vix  
scena

scena hic datur. Epilogus plerumque consequitur ex fortunæ reatu. Si Aulam sequuntur viri pauperes? quærunt opes: si divites? ostentationem. Illi donec ditescant, graves sunt Principi; sed ut plurimum fidi, & negotiorum capaces. Hi decus aulæ sunt, fumo se pascunt, prætereaque nihil.

13. Clerus, universim loquendo, Rempubli-  
cam nunquam inquietat; stat pro DEO, &  
Principe, donec iste DEO & Ecclesiæ fidelis  
est. Christos illos noli tangere in causa Religio-  
nis, immunitatis bonorumque temporaliũ. Cæte-  
rum obsequentes sunt, fideles, & boni æonomi.

Religiosorum pars magna DEO placet,  
sunt etiam capaces negotiorum publicorum, si  
illa non affectant, sunt fulcra Christianæ fidei,  
animarum directores, zelatores domũs DEI,  
nec minus exemplo vitæ, quàm explanatione  
verbi divini, cum ex cathedra perorant, maxi-  
ma quæque possunt in Republica.

14. Nobilitas quemadmodum duplex est:  
Major, & Minor; sive publica, & privata. Ita  
Major detinetur vel publicis vel bellicis munijs,  
ut fermè in Gallia. Minor privatæ rei magis at-  
tendit, rurique libentiùs in suis prædijs & domi-  
nijs,

nijis, quàm in urbibus & Dicasterijs commoratur; Ita duplici reflexione expendat Princeps naturam, & ingenium utriusque. Sanè, Primi Ordinis Nobilitas magis inquieta est, quàm secundi. Magis item Principi gravis & molesta, quia prætendit quædam quasi ex usucapione, quæ olim ex mera Principis gratia obtinuit. Non facilè sibi quidpiam detrahi finit. Sola videri, sola promoveri, sola æstimari vult; nec patitur eodem circa se loco, & munere ignobiliores. Perpetua æmulatione conflictatur cum Principi gratis, utilibusque hominibus. In causa communi Regni, & Regis, præsto, & fida est, ast metuenda magis, ubi causa divisa. Amat tricas, & invilupata negotia, ut necessariâ se Principi ostendat. Bella non facilè dissuadet, nec pacem promovet, quia inde sua lucra expectat, præsertim nunc, & olim in Gallia.

Contraria his planè, & consilia, & studia, & vota comperiet Princeps in Nobilitate minori, & privata. Illi autem nobiles, qui ex utraque participant, scilicet publica & privata, habent temperamentum quoddam Regi, & Regno magis gratum, & proficuum. Pacem domi foris que promovent: non moliuntur odiosa, &



nova: fugiunt æmulationes, & competencias, quærunt augmenta Patriæ, & Principis: compatiuntur com̄uni necessitati, quietem publicam procurant, & curam rei familiaris magis æstīmant, quàm rumores Aulæ. Principem denique teneriùs amant, reverentúrque è longinquo, quàm illi fastuosi, qui illius familiaritati assvevere.

15. Mediæ sortis homines plerúmque sagaces, industriosi, virtuosi. Aspirant communiter ad ea, unde è publico vivere, laborisque & virtutis suæ mercedem assequi possent. Locupletiores ex his, molles, & otiosi sensim fiunt, & sibi faciliè nihil deesse sinunt. Indulgent corpori, trahuntur laudibus, & solâ eorum æstimatione, vel ostentatione affectus capiuntur. Horum filij, & hæredes fermè nummosi majora meditantur, & evehi cupiunt, & sæpe evēhantur utiliter cum commodo Regis, & Regni. Non solùm Nobilitati debetur honorum aditus, sed etiam virtuti, quæ ignobiles facit nobilitat, si Regno utiles, si Regi grati sint.

16. Plebejos verò, fecémque gentis rusticam, credat Princeps semper esse volubilem; nunquam illis fidendum, nisi in causa illos suble-

vandi ab oneribus publicis, vel expilandi potentiorum domos, & gazas, vel insurgendi adversus suos superiores. Et etiam in his torpescunt in fine. Nectorpescunt tantum, sed mox post primum furorem, si se armis peti videant, vel ductore deficiant, reducunt se ab uno insolentiae, in aliud vilitatis extremum.

17. Cives, populares, & Artistaë industrii plerumque, sunt etiam quieti. Publicis se non facile ingerunt, nisi certetur de eorum privilegijs, vel de religione. In istis casibus non solum refractarij sunt, & quævis audent, sed planè indomibiles, licèt etiam suum exitium videant. Experti id ab Antverpiæ, & cæteris Flandriæ Civibus Hispani Pro-Reges. Consulares autem Viri, & Primores Civitatum (ubi controversantur eorum immunitates) specietenus adhærent Principi, reipsâ idem agunt, idem fatagunt, ac populus, ac cæteri Cives. Mitioribus artibus flectuntur magis, quàm severitate, & rigore. Principatum ægrè ferunt, libertatem suspirant, cum Nobilitate vix conveniunt, sibi parcunt, Cives & populum onerant. Qui apud populum multum valent, fermè magniloqui, & insolentes sunt, & haud rarò Buccinatores,

suc-

succentores, & Demagogi plebis. Perpetuitatem amant Magistratum, quæ illis vix utiliter indulgetur. Collidunt se invicem, inculcant, & inculpant se ipsos. Unde magna notitia Principi suggeritur. Si nova petunt submissius, si antiqua jactantius exigunt, dividendi magis sunt, quàm conjungendi: ut summatim dicam, species hæc hominum, nec planè rustica, & plebeja est, nec etiam Nobilis. Nobilitatem quidem affectant, sed sæpè illis rudes mores, vel ignobilis animus adhæret: igitur mutatione frequenti disiungendi; cunctatione detinendi; promissis potiùs, quàm factis delinendi; auctoritate magis, quàm nimiâ licentiæ indulgentiâ tractandi, eo tamen condimento, ut credant se cordi esse Principi, nec de eorum fidelitate dubitari videatur.

18. Viri demum Militares, gloriâ, existimatione, famâ, atque encomijs trahuntur. Alij quidem spe prædæ, alij metu infamiæ; quibus si quidpiam licentiæ sivè à Principe, sivè à suis tribunis indulgetur, planè à fidelitate abstrahi, nec corrumpi possunt. Juvenes facilè, difficiliùs mediæ ætatis homines affvescunt militiæ, qui verò huic insenuère, etiam immòri cupiunt.

Fiunt desides, nisi exerceantur. Fastidiunt unum semper locum. Magis in castra, quam ad hyberna cogendi: hinc insolescunt, ibi fortes fiunt. Ex penuria seditionem facile contrahunt, maximè in externis provincijs, vel proximi prælio. Mox autem componuntur sublato uno, alteròve ex coryphæis, si cæteris saltem pars stipendij aliqua exsoluatur, residuum promittatur. Belgium ejusmodi sæpe tulit seditiones, tam Hispanorum, quam Helvetiorum sub Joanne Austriaco, Octavio, & Alexandro Farnesijs; qui hac dexteritate tumultuantes composuerunt.

Disciplinam omnem ultro ferunt sub generosis ductoribus, eorùmque exemplis animantur ad ardua quæque. Generosus rigor cum auctoritate conjunctus flectit militem; mollia non amat, onera non tolerat. Nullum extra, aut supra disciplinam militarem jugum ferre potest. Regis miles, regniquæ custos haberi vult; non mancipium sui officialis.

19. Ipsi verò Belli-Duces, pars maxima gloriæ Principis, fidelitatem, non facile exuunt, si eorum justus delectus habeatur. Motu raptus promoti invidiam omnium contrahunt; Unde æmulatio-

æmulationes, jurgia, & diffidia in exercitu, in prælio, atque in ipsa causa Principis, cum maximo Statûs periculo. Gradatim suffecti gloriantur mercedem laboris assequi, atque alijs incitamento sunt, altiora sperandi ex merito potius, quàm gratia.

Ex gregarijs, & viris popularibus facti Belli-Duces, ignei, & planè martiales sunt, quibus invasiones hostium, primæ dimicationes, & factû, accessûve ardua utiliter concreduntur. Externi magis gloriam suam, vel opima stipendia quærunt, quàm emolumenta Principis. At domestici pro aris, & focus, pro Principe, pro cute suâ decertant potius, quàm pro gloria, quæ aliunde eorum, si se bene gerunt, pedisequa est. Fortiter isti dimicant sine respectu, gloriosè illi, sed quandoque conniventer, utrique bene, si strenuè.

Liberalitas in Ducibus externis est nonnihil suspecta, quemadmodum avaritia in Domesticijs. Hæc fidelitatem adimit, illa facilè novamolitur. Jactantia, vilitatem; Strenuitas, robur; taciturnitas, rectum consilium, & fidelitatem denotat.

Rigidi Belli-Duces disciplinam continent

militarem: prodigi & sumptuosi disperdunt nervum belli cum ruina, & denudatione militis gregarij: ambitiosi nihil magni præstant ex livore & æmulatione privata. Imò negligunt occasiones, vel planè impediunt victoriam, ne alijs debeat, quod sibi attribui volunt. Præcoces perdunt se suosque: Pugnaces vix effugiunt pericula: audaces fortuna juvat, si in arena rectum capiant consilium: senes cunctantur, Juvenes ferociunt: prudentes multum deliberant: providi cautè agunt: moderati conservant exercitum: experti non errant: Strenui viriliter decertant.

Natura denique magnorum Belliducum regulariter super temperiem feruida est: Consilia illi in arena quærunt, occasiones arripiunt, ut res, occasio, & spes se offerunt, agunt, insequuntur, fugiunt, dimicant: idèoque ægrè dependent à Principe absente, ejusque ministris, rerum sæpè talium imperitis: affectant plenam potestatem, ut quondam Fridlandiæ Dux, ac magno sæpè sui Principis bono, maximè si domesticus & municipes sunt.

20. Sanè, vel totalem adimere potestatem, vel omnimodam Belliducibus ( maximè qui de Regio

Regio & domestico Sanguine non sunt) concedere, extrema sunt valde periculosa. Medium statui debet, nec omnem concedendo, nec pleramque negando, ubi vel in mora exitium, vel ex occasione salus videretur. Alea si jacta est, mox numerum repræsentat Sortis, vel iniquæ, vel secundioris. Occasio, quæ præterijt, calua est. Morosa, & tarda molimina nescit Spiritus Sancti gratia. Datur præventioni locus, & excepta censentur, quæ recta ratione excipi debent.

## CAPUT X.

### *Matrimonia Principum, Arcana Statûs.*

**C**UM Claudium Imperatorē cælibem vidisset Vitelius orator, protestatus est coram Senatu *Summam Reipublicæ hic agi.* Gravissimos Principis labores (quis orbem terræ capeisset?) egerè adminiculis, ut domesticâ curâ vacuus in commune consulat: primùm hoc testatus est ipse universonum Creator DEUS! quando Evam in Sacra Genesi Adamo in Adjutorium

jutorium creavit, & dedit. Exiguunt curæ publicæ domesticum sublevamen: interdum malevolorum insidiæ saltem aliquod fidele adminiculum: & continuati labores promptum solatium.

Astaliæ adhuc prægnantiores causæ sunt, cur jure merito matrimonia Principum tam iniata, quàm ineunda, inter Arcana Statûs reponi queant. Emolumenta siquidem resultant immensa Reipublicæ; si cautè, si præmeditatè, si fructuosè ineantur. Sibi nubunt privati, at Principes Reipublicæ. Temerè non legant, Palatini Status Principibus suis uxores, sed ad amissim Utilitatis publicæ examinent, & conferant diligenter præsentia cum futuris, præveant omnibus, nihilque omittant, unde spes emolumenti elucescere posset Principi, & successoribus. Connubia Regia non fortuitò, non ex libidine, sed ex vera ratione Statûs expendere oportet. Ad sequentia igitur, omnia, vel plura, vel duntaxat aliqua ( ut res, tempus, occasio, persona, & ratio Statûs requirit ) respiciendum.

Ac primò quidem Principes regnantes, nullo modo nubant subditæ, & multò minùs ignobili.



ignobili. Nisi Peregrinam sibi jungat Princeps, inferiorem ducat necesse est. Ab utraque, sive subdita, sive ignobili, periculum imminet Reipublicæ. Illius enim conjuncti, si deficeret hæres naturalis, affectabunt mox quædam in præjudicium Principum Sanguinis. Graves etiam aliunde sunt Principi, & Reipublicæ onerosi, quia magis cum istis dissimulandum, quam cum alijs. Ab ignobili verò procreati filij, & à successione Principatûs exclusi, nova moliri audebunt; Paucis cum Alivero, eadem fors, qui captivam (tamen non ignobilem) & gentis tunc contemptæ puellam, thalami & solij consortem fecit. Alij profectò Principes infaustra quæque tulere ex ejusmodi ineptis connubijs. Horret animus meminisse Henrici octavi Angliæ Regis, defensoris primùm fidei, postea Apostatæ, ex infano connubio Annæ Bolenæ facti. Cujus fermè vestigia sectari videbatur, alter Henricus IV. Franciæ Rex, omnium, & sui semper Victor, amoris autem fermè mancipium. Hunc nisi avertissent Viri optimi, Belivereus, Villaregius, & Sullius, bis in Majestatem Regij Solij per infanum amorem peccasset, non solum cum palam putabatur

Gabriellæ formosissimæ fœminæ, ex qua jam Principem Vendosme procreaverat, nupturus: verùm etiam quod Henriettæ Entrangues, quàm unice deperibat, inter semestre, si filium pepererit, Matrimonium, Regijs literis promississet. Erat tunc Henricus actualis Sponsus Catharinæ Medicæ: Pater quatuor filiorum ex Henrietta, Rex potens, bellicosus, sed in amore præferuidus; neque defuere suggestores intra, & extra Regnum, qui velempti, vel livore tabidi, vel rerum novarum cupidi optimum Regem, ubi maximè debilem experiebantur, ibi fortius aggredi, & sensim præcipitare gestiebant: Ingens enim iminebat inde tempestas regno, Regi, & rebus Galliarum. Hispanus antiquus Æmulus, Sabaudus offensus: ne dicam de Pontifice Florentino & alijs, quæ omnia ingentem malorum Montem minitabantur Galliarum, & toti Europæ pacem adimebant, nisi Superi bonorum Ministrorum operâ, & dexteritate, ad saniora flexissent animum Magni Henrici. Denique Regia uxor, dignitatis magis nomen est, quàm voluptatis. Abhorret Solium ab incestuosis, turpibus, ac nefarijs Nuptijs; neque admittit amplius Christiana pietas Popæas,

Messalinas, Agrippinas, & ejusmodi veneris scorta ad fasces Imperij.

3. Præter splendorem sanguinis, morumque candorem, sæcundam præcipue originem exigant in Regia Sponsa. Illex enim Regij Matrimonij, imò finis est; generis ad Regni in eadem stirpe conservationem, conservatio. Ex Matrimonio certum habet in Principatu Successorem Princeps; subditi certum Principem, cui, & ipsi promptè obsequi, & ille ipsis svaviter imperare sentim assuescit. Non Legiones, non classes perinde firmamenta Imperij, quàm numerum Liberorum esse aiebat Titus ad Vespasianum. Maximis periculis Regna exposita esse Principe liberis inope, jam alibi diximus.

4. Ad diversitatem Religionis inter Regios Sponsos (licet Apostolica dispensatione cohonestari possit) reflectendum, & omni planè modo providendum de securitate illius. Qui enim amat periculum, peribit in illo. Neque solum securitati præcavendum, sed augmentis etiam Religionis insistentium, indèque monstranda Pontifici causa, tanto facilius in re tam periculosa dispensandi: repeto, *Rem periculosam*, quia

inde falus animæ pendet; inde timentur scandala in Ecclesia; inde ex amoris lenocinio facile subverti potest constantia Religionis: Ut etiam à DEO Ifraëlitis inhibatum fuerit, ne ad peregrinas fœminas ingrederentur, quæ eos certè effent decepturæ. Itaque fapientiffimè Cardinalis Richelius in articulis Matrimonialibus inter Regem Magnæ Britanniæ, & Henriettam Mariam Principem Virginem Gallia, præcaverat non folum Sponfæ illibato candori Religionis, verùm etiam magnis auctibus rem Catholicam in Anglia promoverat.

5. Articuli fermè hierant. Primò, Henrietta, Gallia Regis foror, plenâ libertate ad exercendâ Romanam Catholicam fidem, unâ cum Ministris, eorùmque liberis gaudeto. In quem finem in omnibus Regijs domicilijs Oratorium ad omnia officia peragenda cultus divini, more Catholico per Epifcopum, & 28. Sacerdotes aptum parator. Secundò; Liberi Regij à Matre usque 13. ætatis annum instituuntor. Tertid, Omnes Reginae Aulici, Galli, Catholici, ab ipfò Rege Christianiffimo lecti funto, & post eorum obitum ab ipfò fubftituuntor. Quartò, Rex magnæ Britanniæ Jacobus cum fponfo filio, Jure Jurando

rando, ne Reginam de mutanda Religione sollicitare velint, cavento, & obligantor se curaturos, ut Catholici tam Ecclesiastici, quàm sæculares ab ultimo Edicto captivi, in libertatem asferantur. Quintò, In Catholicos Angliæ propter Religionem omnis inquisitio inhibitor. Sextò, In summa: Catholici in honorem istius Matrimonij, ampliora, quàm Hispaniæ fuerat ob eandem causam promissum, obtinento.

6. Incidit hęc quæstio, an in diversitate Religionis majus periculum Uxori à Marito, vel Marito ab Uxore metuendum? In Problema hoc caderet, nisi passim ex Sacra, & profana constaret historia, plures, præsertim Magnos Viri, à foeminis deceptos, quàm foeminas, præsertim Illustriores, à Viris. Salamon, Samson, Zizaras, Holofernes, & mille alij lugent suum à foemina ludibrium. Habent etenim foemina tria artis hujus arcana fortissima: *Formam scilicet, amorem, & linguæ lenocinium*. His tribus fortissimi quiq; dulciter perierunt. Suaviter illa influunt, sed in fine mordent ut coluber. Quis evadet formæ persuasiones? quis amoris potentiam retundet? quis affabilitatis, sive lenocinia sive argumenta refutabit? rarus, aut nemo: nisi à longè extra periculum, & ictum. 7. At

7. At si callet sexus iste svadelam in perversionem Virorum; quis negabit spiritui divino (qui aliàs elegit infirma mundi, ut confundat fortia) vires & artem, quin etiam per sexum hunc debilem sibi lucretur Regum animos? id certè constat de Clotilde Burgunda, quæ Regem, & Regnum, Clodoveum, & Galliam ejectis omnibus idolis in ovile Christi adduxit. Gisela Princeps, Virgo Germana, nupta Stephano Regi Hungariæ, tunc infideli, fidem suam non perdidit: sed dulci suo suasu, ex infideli fidelem Ecclesiæ fecit Stephanum. Sic Theodolinda Agilulphum Longobardorum; sic Chieffuntis Ofam Occidentalium Saxonum Reges. Sic aliæ Reginæ non solum Constantiæ, sed etiam zeli Apostolici documenta dedere: aded, ut semper majus periculum sit, si Reges Heterodoxi nubant in Regna Catholica, quàm fœminæ Principes in Regna Heterodoxa. Fœminæ sive convertant, sive pervertant Viros, majora illis domi arma, quàm Viris.

8. Secundò, in magnis hostilitatibus, & complicitis, dubioso eventu, Bellis, salubriter nuptiarum arcano averti possunt à Republica proximè imminentia pericula. Felix sæpè hymen

Bellonam profligavit, & Pandoram cum Lucina invexit Regnis, diuturno Bello quassatis, & afflictis. Argas, Cyrennorum Rex, Berenicem filiam unicam Ptolomæo ex Fratris Nepoti despondit, ut aboleret memoriam antiquarum injuriarum. Sic Hymenæi auspicio, Angliæ, & Scotiæ dissidentia olim eadem in Insulâ Regna, unum in corpus coalita sunt. Et nuper inter Galliæ, & Hispaniæ Coronas ingentia diffidia, & utriusque gentis invicem amaritudines ope Cardinalis Mazarini, per matrimonium Hispaniæ Infantis cum moderno Rege Ludovico XIV. sopita: unde Pax Pyrennea resultavit. Toties prius inter Gallum, & Anglum; inter Burgundicam, & Aurelianensem Domum pax refluoruit per connubia invicem contracta, aded, ut in dissensionibus Regnorum, & flagrantissimis Bellis sæpè unicum fuerit; *Hymenæi vinculo conjungi.*

9. Ex Nuptijs etiam id commodi publici percipi potest, ut non solum nuptiæ potentia hostibus non accedat, quod in postremis non habendum: sed etiam, ut Coronæ Nupti pondus, & momentum adferat. Quidquid etiam inter Principes litigiosum, vel ambiguum fuerit, per nu-

nuptiales tractatus transigetur facilis, & citius, quàm per quæcunque alia pacta. Denique inter media tranquillitatis stabilien-  
 dæ, ait Richellius, & potentiaæ augendæ, ab omni ævo, fœdera cum exteris per matrimonia, potissimum valere. Matrimonium inter sororem Regis Gallia, & primogenitum Angliæ diu metuebant Hispani, gnari utique Galliam Angliæ junctam tantum pondus acquirere, ut consilia illorum non magno molimine sit dissipatura.

(in Mi-  
 nist. Ri-  
 chelij.)

10. Tertio, Principes etiam sanguinis non attemptabunt inire matrimonia cum externis, sine scitu, ac expresso consensu Regnantis ex ea domo Principis, sive Regis. Ejusmodi enim Principes proximè attingunt Rempublicam, possuntque Regni tranquillitatem turbare. Maxima sæpè latent sub ejusmodi connubijs molimina, & technæ tam adversus ipsos regnantes, quàm Rempublicam. Sub specie libertatis matrimonij, quærere Reipublicæ ruinam, vel Regni invadendi media, non est vera libertas Sacramenti, ut hoc à DEO ordinatum est, sed merus prætextus palliatæ nequitia. Cùm nostro fermè ævo Aurelianensis Regis frater, Operâ intimi sui Puy Laurentij, Margaretham Lotharingam



tharingam in matrimonium exoptaret, magnū negotio feruorem subdebant Hispani, gnari Gallix vires, non magis, quàm per intestina, & domestica Regix familiæ dissidia atteri posse, quibus Matrimonium hoc apprimè ansam præberet. Sic enim Aurelianensem Regi fore irreconciliabilem, ac facilè inducendum ad molien-  
 das turbas, cùm non ignorarent illum fastidium aliquod coquere administratæ Reipublicæ.

Riche-  
 lius in  
 Minist.

II. In multis Regnis usuenit, & verè id usu dignum est, summèque expedit Reipublicæ, ut etiam Magnatum, siue Primorum Regni Filij, filixque absque Principis voluntate in exteros non facilè elocentur. Iduè ex obsequio subditorum in Regem, & jure supremo Regis in suos, præter allegatas causas, rectè fieri nemo ambi-  
 get. Sic Sanctus Bernardus, ut Historia refert Gallix, excusaturus Regi Comitem Campanix, quodd elocasset liberos sine Regis consensu, inter cætera dixit. *Talem culpam non facile cadere in tantam probitatem.* Sic Philippus Comes Namurci, frater Balduini, qui Flandriam, ut Comes obtinebat, tutor Joannæ, & Margarethæ Neptium, ex eodè Balduino progenitarum, promisit pactis initis Regi Philippo, nuquam  
 T  
 illas

illas præter Regis voluntatem elocandas. Rei-publicæ interest potentium Matrimonia cum externis, multùm deliberari, & à Principe statui. Inde enim, ut Tacitus notat, gradus fieri potest ad altiora in perniciem Majestatis.

12. Author historiæ Ministerij Gallici refert consuetudinem esse Galliæ, ut nec Principes, nec mulieres conditione illustres, quarum Matrimonia Rempublicam contingunt, ea non nisi ex mandato, & consensu Regis contrahant. Idvè ostendit exemplo in Juditha vidua Edmolphi Regis Angliæ, quæ sine consensu Caroli Calvi nupsit Balduino Primo Flandriæ Comiti. Hoc enim matrimonium per Episcopos, & Clerum Galliæ Sylvanecti congregatos, nullum ac irritum pronuntiatum, eo, quòd Regis consensu deficeret. Quam sententiam ipse Papa Nicolaus non rejecit, licèt jure potuisset, cùm illa primis Nuptijs, & ipsa Regia dignitate libera fuerit, neque egebat amplius vel Patris, ut vidua, & jam enupta; vel Regis Galliæ, ut Regina Angliæ, consensum.

13. At præ omnibus fermè advertendum in Principum Matrimonijs ad augmenta statûs. Non enim solùm pomæria Regnorum, connu-  
bijijs

bijs, sed planè nova Regna, & ampliffimas Provincias accumulari vidimus; præsertim apud domum Austriacam in Rudolpho I. Alberto I. Friderico V. Maximiliano I. Imperatoribus: Philippo hujus ultimi filio, ipsomet Carolo V. & ejusdem filio Philippo II. ut vix tot connubia, quot Regna, Provincias, & Imperia numerent. Verè Poëta ille

*Bella gerant alij, tu felix Austria nube.*

14. Et profectò modernis temporibus Matrimonia Principum pro meris arcanis statûs, vel augendi, vel tranquillandi, vel firmandi habentur.

Dixi *augendi*: per acquisitionem Regnorum, novarum Provinciarum, maximè ubi lex Salica non viget, & colo sceptrum deferri possit, ut jam diximus de emolumentis Austriacis. Sic Corona Angliæ sibi addixit Aquitaniam; Gallia Britanniam; Senatus Venetus, per adoptionem Catharinæ Corneliæ, Regnum Cypri, quod illa à Marito habuit, armisq; Reipublicæ dominio Veneto conservavit.

Dixi *tranquillandi*. Uti olim feliciter cessit Philippo II. Imperatori Svevo, qui elocatione

filiarum suarum afflictæ Germaniæ pacem comparavit. Wenceslao Bohemiæ Regi unam, aliâmq; Duci Brabantia, tertiam Pontificis Nepoti Richardo despondit, quartam Othoni æmulo Imperij destinavit, sicque distractum Imperium rursus univit, & membra capiti conjunxit.

Dixi *firmandi*. Videlicet per fœdera, & Jura sanguinis, ubi Principes affinitate conjuncti vires, arma, opes uniunt, mutua sibi invicem confilia, & auxilia deferunt in conservationem suorum statuum. Hoc pacto se conservant Duces Sabaudia inter duas ingentes Europæ potentias, jungendo se jam Gallia, jam Hispania, prout res postulat. Philibertus Henrici II. Gallia Regis sororem sibi despondit, Carolus Emanuel Philippi II. Hispaniarum Regis filiam Catharinam: Amedæus Christianam Ludovici XIII. Germanam: Sicque alternant matrimonijs, ut Magnos illos Sabaudia incumbentes Reges perpetuâ amicitia colant, sibi que devinciant. Ita pacem subditis, sibi quietem, & Gallia firmitatem procurabat Maria Medica, Ludovici XIII. Mater, filio sororem Regis Hispania, huicque filiam suam Gallia Principem Virginem in matrimonium elocando. 15. Hæc

15. Hæc tamen jura sanguinis, & affinitatis apud multos valde infirma sunt: præsertim autem inter Gallos, & Hispanos, quibus ferme semper Hymenales faces, ominantur Bellonæ incendia. Quàm leve fulcrum Pacis Pyrenneæ fuere Nuptiæ moderni Regis Galliæ cum Hispana Infante, palàm est. Quantos, spes delusit; quantis secùs, quàm ex affinitate sperabatur, accidit! Quid Angliam quondam, nisi Normanorum conjunctio concussit? quid Galliam, nisi cum Anglis affinitas afflixit? imò jam perderat, nisi Virago illa Johanna Gallicum Martem induisset propulsis è Regno trans mare Anglis. Quid etiamnum Austriam extincto Carolo ultimo Hispano Rege, tantopere torquet, quàm affinitas cum Gallia, & Gallia proximitas cum Hispania. Tota, dum hæc Scribo, propterea in armis Europa est, alternante ubique fortunâ, usurpante Hispaniarum Dominium Duce Andegavensi, non obstante triplici Austriacorum Jure, videlicet ratione Juris feudalis; ratione Juris Consanguinitatis, & ratione pacti familiæ: opponentibus Gallis testamentum defuncti Regis Caroli, instituentis in hæredem universalem Ducem Andegavensem, quod autem

supposititium, & à Cardinali Porto-Carero excogitatum plus, quàm luculentæ veritatis est. Constat enim ab egregio hoc (Pastore: scilicet) testamentum illud metu, dolo, importunis efflagitationibus, à confecto jam viribus Principe, & agonizante, à sensibus magis destituto, quàm sibi compote, sub comminatione, si secùs fecerit, negandi sanctissimi Viatici, extortum, & expracticatum. Clamant contra hoc omnia Jura Humana, & Divina. Farraginem legum non hìc adduco, nec Catalogum Doctorum Juris, quia hæc reflexè perpendenti vix necesse erit inspicere legem. *Si quis sub condit. 7. ff. De Constit.* Neque Bartholum in lege ultima ff. eod. N. 3. & seqq. Neque Manticam de Conject. ult. vol. lib. 3. tit. 7. Neque Menochium de præsumpt. lib. 4. Præsum 12. neque Paulum de Castro in lege hac Consultissima 9. §. at cum humana. C. qui testam. facere possit N. 2. Neque alios quosque, quia sufficit veritas sine auctoritate legum & Doctorum. Clamat *Justitia*, quia quoad falcidiam, jure debitam, præterita est domus Auftriaca, veluti una eadèmq; familia cum Carolo demortuo, & descendente per Philippum Primum ex domo Habsburgica.

Clamat *æquitas*: Quia Philippus IV. Leges Tauri, quas Ferdinandus Catholicus propter Isabellam sanxerat, abrogavit, & solam in Scripto pacto domum Austriacam, si sine masculino hærede decederet, in universam Monarchiam Hispaniarum investivit (proh) nimium dolenter prævidens Infantem Carolum Gallicis artibus seminecatum jam esse, & vix longè frugi exstiturum. Neque minùs ob hanc causam, cùm majorem natu Infantem Theresiam elocaret Ludovico XIV. transegit ita cum Gallo, ut Infans destinata Regina Gallix renuntiare debuerit successioni in Hispanix Coronam, desuper contractis Nuptijs, stipulatísque Instrumentis. Ubi verò secundo-genitam Margaritham Leopoldo dedit, stipulatum tantùm fuit supra dotem, salvo omni Jure successionis in Regna Hispanica, ex pacto nimirum gentilitio utriusque domûs, Austriacis destinatæ.

16. Clamat denique Ratio Statûs, & maximum totius Europæ periculum, cui interest maturè præcidere Gallix, ex accessu tantorû dominiorum, imensam potentiam. Nam Aristotelis sapientissimo sensu: Communis cujusque Monarchix custodia est, neminem ex Regibus vicinis,

nis, unum magnum facere, sed plures, si fieri aliter non possit, ut nimirum se mutuo observent, neque Bilancem excedant potentiae, vel alios opprimant. Si verò unus magnus faciendus, ille fiat, qui non est ingenio audaci; aliàs omnia turbabit, & minores opprimet. Ita Aristoteles.

17. Ex hoc irrefragabili statûs arcano concludant ipsi Europæ Principes, quid factò opus? at expendant rectè priùs præsentem statum, Gallorum nimirum ubique intollerandam insolentiam; nullam, aut modicam fidem; alieni continuam invasionem, & usurpationem; mutilatum ab illis Sacrum Germaniæ Imperium; occupatum iniquis armis Belgium; direpta Imperij in Italia feuda; oppresos, vel sublato Coronæ Principes, & liberos quondam illorum Principatus, Coronæ mancipatos; ademptam Parliamentis auctoritatem; depopulatas contra fidem datam Provincias; denique in extremum jam quasi periculum, Galliæ motibus, reductâ Europam: hæc, inquam, expendant, & conferant cum vera Ratione Statûs.

18. At licèt modicum â Scopo meo digredi videar: digredior amplius, sed breviter, & in  
mentem



mentem revoco Principibus omnibus, inveteratum & plus quàm vatinianum odium, livorem, iniquam planè æmulationem Gallix Regum, in Austriacos Principes, citra horum ullū demeritum, contra datam fidem, pactas inducias, fœdera, affinitates, & Jura sanguinis. Historicæ veritati nihil superaddam.

19. Fuit Anna Filia Francisci Ducis Britaniæ, unica hæres magni Principatûs: Hanc sibi secundis sponfalibus Maximilianus I. desponderat, & ut inter magnos Principes solitum, per Legatum suum Wolfgangum de Polheim condormiverat. Interea Carolus VIII. Gallix Rex, ex insidijs opperiens elegantissimam Sponsam, jam jam in amplexus Maximiliani properantē, ex itinere, contra omne Jus Gentium, naturale & divinum, violenter rapuit, abduxit, blanditijs & comminationibus captivam, ac raptam Principem Virginem sollicitavit, tandem suo thoro alienam conjugem adlegit, remisâ insuper Margaretha Filia Maximiliani, quam prius Sponsam aliquot Annis habuerat. Res in se planè indigna, nequaquam Regia, sed verè plebeja, turpis, scandalosa, atque ejusmodi injuria ob atrocitatem, & indignitatem suam, etiam inter privatos, solo sanguine abluenda!

At nec hinc injuriæ meta substitit, sed exterminatum voluit Maximilianum. Ad fraudes igitur, & astum recurrit, ubi vires deerant, & concitatis in optimum Principem per seditionem, Gandavensium & Brugensium Civium animis, eousque iniqua fors Gallicæ fraudi opitulata, ut sui Maximilianum ex improvise Brugeses caperent, & suum Principem ingrati subditi ad Gallorū pollicitationes, & suggestiones novem menses captivum detinerent: interea Carolo VIII. Neapolim occupante, sed impetu eodem elabente Regno, quô venerat,

Improvise morte sine liberis sublato Henrico successit Ludovicus XII. Is errorem antecessoris emendandum existimans, cum gravissimè offensum Maximilianum novisset, Bellum ab Austriacis reformidans, ut declinaret illud, Maximiliani Nepoti, Carolo nimirum V. ea tempestate unius Anni Principi, Claudiam Filiam suam ejusdem ferme ætatis futuram conjugem promisit, quæ tamen alteri deinde nupsit. Post Ludovicum successit, Franciscus I. verus æmulus Caroli V. & Austriacæ gentis continuus hostis. Ille Belgium, & Regnum Navaræ occultis Machinationibus in seditionem apertam

concitavit. Caput se fecit Italix fœderis adversus Imperatorem, ibi sua feuda legitima titulo Imperij possidentem. Rusticum Bellum per emissarios suos fovit, juvit, auxit. Cum Solimano, Christi, fideiúmque hoste accerrimo, fœdus inijt contra Carolum V. & obsidionem Viennæ (Austriacorum ea antiqua & Prima Sedes est) Sultano suasit, sacrique Imperij Principúmque Germaniæ totalem ruinam per infidelium arma intendit. Lotharingiam Germaniæ partem sibi addixit, contra datam fidem ruptisque inducijs, ac ipsâ jurata pace elusâ, conjunxit se hostibus Caroli & Ecclesiæ, ac Smalcaldicum fœdus Hæresi infectum, Primogenitus Ecclesiæ acceptavit. In Indijs planè nocuit Austriacis, ubi Consaluum Pizzarum Pro Regem ibi, in Rebellionem animavit, ut à Rege suo deficeret, ipse Rex ibi futurus. Denique nulla unquam Regi sincera fides fuit, ubi res Austriacorum agerentur. Cùm Franciscus post captivitatem Madritanam, non obstante Jure Jurando, datisque Delphino, & Aurelianensi obsidibus, promissa, & conventa irritaret, imò novum Bellum barbaro quasi fastu Carolo indiceret, Fecialibus respondit iste, sine

Histor.  
Gallia  
Buffiers

fastu: Mirari se, quòd Franciæ Rex tam citò Juris Jurandi oblitus sit, parum esse, quòd terrarum orbe spectante, fidem violârit, ignominiam propudiosam contraxerit, in Religionem, & Sacramentum peccaverit, nisi etiam Christianum orbem rursus Bellis involuat, & Regem Angliæ sceleri suo implicitum in furoris partem appellet: se haud Bellum fugere, quo Victor DEO propitio hætenus fuisset, quamquam id indicià Francisco non posset, qui etiamnum suus captivus, & alienæ adhuc Potestatis, nec gerere Bellum, nec indicere queat, salvo gentium Jure: nihilominus ad recidendas calamitates, quas Bellum invehit, & parcendum sanguini Christiano se singulari certamine pugnaturum in Regem, idque se biennio antè, Calvimontio, Grationapolitano Præsidi significasse, sed Regem tam generositate, quàm fide impari, hætenus dissimulare, & obsurdescere. Sic (ait Gallicus Scriptor) exacerbata contumelijs odia, penetrabant in mentem altius radicum fibris ita persuadentibus, ut postea nullo modo, nulla Charitate, vel affinitatis vel Religionis extirpari potuerint.

Post Franciscum, impugnandæ Austriacæ gentis,


gentis, partes suscepit Henricus II. aliunde sæpè probatus Bello Hispanico. Is nondum detersâ ignominiâ Turcici fœderis ab antecessore initi, Cæsare, Religionis causâ, Bello, cum Heterodoxis Principibus, occupato, Pontifice cum Cæsare fœdere conjuncto, ausus pacem olim Juratam infringere, Rebelles atque Hæreticos adversus Imperatorem, ipsûmq; Catholicum, propugnare, ex improvîso occupatis Metensi, Tullensi, ac Verdunensi Imperij Urbibus, turbatâ undequaque Italiâ, expugnata Siennâ, expilatâ Corsicâ, & obtrusis undequaque hostilitatibus in Austriacos, donec à secessu Caroli, Philippus II. reprimeret inanes Machinationes Henrici. Cui tres Reges Franciscus II. Carolus IX. Henricus III. successerunt, toto Regni tempore domesticis, ac internis Principum, ac Hugonotorum collisionibus atque bellis sumope afflicti, ut cùm Domi res illis esset, faceffere magnum negotium Austriacis non valerent. Quorum otium supplevit deinde Henricus IV. indefeffis consilijs, ac æmulationibus in gentem Austriacam. Dixi jam alibi de fœdere illo universalî, quod Rex iste cum omnibus septentrionalibus Regibus, cum Principibus Protestantibus

bus five Hæreticis, cum Hollandia, Bavaria, Sabaudia, Helvetia, Pontifice, ac multis Vasallis Regnorum Bohemiæ, & Hungariæ sanxerat adversus invisam semper Galliæ, Austriacorum Potentiam, numerato jam quasi ducentorum millium fœderis exercitu. At superi averterunt istum à pijsissima domo, & modestissimis Principibus periculosum ictum, relapso per Raviliachi manus in Regis viscera ferro, illóque occumbente disparuit machina umbratilis.

Non tamen destitit Ludovicus XIII. ex Arcana instructione Cardinalis Armandi prosequi odium in Austriacos, & Hispanos, Gallis Principibus, cum lacte, propinatum: Extant illius confœderationes cum Sveco: palam sunt subsidia Belli Hæreticis ad Austriacos Imperio privandos data. Lotharingia, quia Austriacis fidelis, expilata, & suo legitimo Principi sublata: Hispania Galliæ armis finè causâ infestata: Briaccum occupatum, Imperij fœuda in Italia in dubium tracta, & centum ejusmodi, quæ referre piget. Sufficit, quod Mundus sciat, ex Cardinalis Richelij aphorismo, Galliam hoc inter Arcana habere: Etsi Galliæ necessarium nihil pace magis, æquè tamen invigilandum, ne Austriaci per Germaniam crescant.

Coronidē æmulationis hæreditariæ imponit Ludovicus XIV. quem à suscepto diademate Regio Mazarinus artibus suis obliquis, edimpulit, ut Bellum in Austriacos à Patre susceptum prosequeretur amplius, ac præter opinionem Freiburgo, Philippsburgo, Brisacco, totaque Suntgoviâ armis hostilibus occupatâ, proximus Alfatix immineret. Ab hinc irrupit in Belgium hostiliter, & tamen per Pacis instrumentum extorsit Mommedium, Dunchercham, Gravelingam. Quid amplius? quia pace hæc nihil fuit Fragilius; arma repetit, & denuð Belgium invadit, & munitissimis locis vel vi, vel ære obtentis, habuit in prædam Charloroy, Lisbe, Tuornay, Cuortrai, Odenard. Item Francham Conteam, Burgundiam, Valencienam, Cameracū, Ypras. S. Omer, Aire, Luxenburgum, Argentinam &c. Erant tunc Austriaci varijs sollicitudinibus impliciti: Etenim Rex Hispaniæ sine hærede fuit: corrupti Grandes, & Primores Regni: Regina Gallizans: omnia cedebant Regi Ludovico ex voto: Leopoldus vix sufficiebat tantis Bellis obfessiones Hungariæ, Transylvaniæ tumultus, & jam jam iminentem in viscera statuum Austriacorum, atque ipsius Imperij, Turcarum impetum.

tum. Idèd ultro concessa Gallis omnia ex spe constantis Pacis, quâ autem delusi Germani, Gallum à tergo habuêre omnia vastantem, & incendijs, rapinis, sacrilegijs, & mille crudelitibus, supra Neronem, & Attilam, nobilissimam Europæ partem depopulantem nulla habita ratione sexûs, ætatis, conditionis, vel Religionis. Hi sunt Gallicæ Pacis fructus amarissimi, de quibus etiamnum dolet Moguntia, Trevisis, Spira, Wormatia, Heidelberga, Urbes ingentes in suis quasi ruderibus sepultæ. Atque similia omnia, vel sub inducijs patravit Gallus, vel ex instrumentis variarum pacificationum, quibus ille tamen nunquam paruit. Sicque Pacis tempore Bella gessit Ludovicus, & Belli tempore oblatis inducijs circumvenit omnes. Satis, vel obiter de his (Nuptiarum occasione) dicta.



## CAPUT XI.

*Num Principes, sceminas in partem Imperij rectè assumunt.*

I. **T**urpe exordium est, quo Justiniani Imperium auspiciantur Annales. Justiniano Rempublicam capeffente, non ad Unius

Im-



Imperium rediisse, sed in duplicem quasi potestatem divisa esse rerum summa videbatur. Neque enim minus Imperatore, quin imò nescio, an non plus etiam poterat Uxor ejus Theodora? postea enumeratis muliebris avaritiæ cupiditatibus addunt: *Geminata calamitatum origine, duplici quasi onere pressos genuisse subditos.* Intolerandus etenim muliebris dominationis factus, quo plerumque majora audent, quàm possint, licentiâ præsertim fortunæ Principalis, & indulgentiâ maritorum ablandiente. Quo nomine graviter perstringit præfatã Theodoram Procopius in arcana historia, quòd illa non tantùm ab illustribus Viris osculum pedum passã, sed etiam Persarum, aliorumque Barbarorum Legatos, quod ab hominum memoria in illo Imperio non acciderat, admiserit, eisque lautia præbuerit, tanquam penes ipsam Romani esset Imperij summa.

2. Sanè licentia muliebris, comitata Maritali cõniventia multoties impellit Regales scæminas, ut negotijs se imisceant Statûs, deteriora plerumque, vel sequantur consilia, vel plane suggerant, & suggesta, auctoritate quâ pollent, in effectus sæpè perniciosos præcipitent: Unde

velut præcario Imperantibus Maritis dedecus in Aula, exile nomen apud exteros, & contemptum pariunt apud subditos.

Augustus quidem magnas habuit causas sagacem Livix animum non excludendi à curis publicis; attamen pessimè audiit propterea: non vulgè modò censuris laceffitus, sed & prudentiorum omnium reprehensionem meritus, qui Livix dominandi libidinem sugillabant, imò metuebant. Idèd gravis Reipublicæ Mater passim populi sermonibus ferebatur. Quod ipsum de Mamaæ Alexandri Severi matre testatur Lampridius, quæ licèt ad initium bonis consilij assistebat Filio; tandem verò volubilitate sexûs mutata, & arrogatâ sibi licentiâ non tam dominabatur, quàm turbabat Imperium usque ad infamiam Filij: ut hoc tantùm in Alexandro reprehendi possit, quidd mansuetius, reverentiûsque, quàm oportuit, & sæpe contra animi sui sententiam Matri obsequeretur. Reges, & Principes, mox extra cunas, sui sunt. Maternum Gynæceum amare possunt, sequi non debent. Reverentiam Reges dabunt Parentibus, non obsequium.

3. Infamiam quasi contrahunt Principes, qui

palam foeminas in Imperij societatem admittunt: facto siquidem ipso se impotentes fatentur ad clavum Reipublicæ.

Dion testis est, reprehensam fuisse olim à Romano senatu Agrippinam secundam Cæsaris Uxorem, quod Claudio publicè de Republica respondenti, aut Legatos audienti, veluti æmula, vel Imperij focia adfuerit iisdem sedilibus locata. Quis enim non dicat? Imperat muliebris Levitas, dum ratio Virilis feriat. Servitus seipfa indecora quidem, sed illa ubi servendum Imperanti foeminæ, planè degeneris notæ, & gravius aliquid ipsâ servitute est.

4. Ideo pessimè Sillius Rupifortij Comes laudavit quondam consilium Caroli IX. Regis Franciæ, quod Catharinam Medicæam Matrem, rerum Summæ præfecisset, ut Agrippinam Nero, Alexander Mammæam, vel recentius apud Gallos Carolus octavus Annam sororem. Aliter longè sensit Parlamenti Præses Thuanus. Magnas dissensiones, inquit ille, ac motus in Gallia exarsisse, quando foeminæ rerum clavo admotæ sunt. Siquidem post Ludovici XI. mortem, qui Regni hæredem Carolum VIII. pene Infantem reliquerat, cum de tu-

tela ejus & Regni administratione disceptaretur, eamque Anna soror, grandior natu, inde ad se traheret, hinc Ludovicus Aureliani Dux tanquam proximus agnatus sibi arrogaret; Regni Ordinum Cæsaroduni in Turonibus congregatorum decreto constitutum esse: ut Rex apud Annam sororem educaretur, cæterum ipsa à Regni procuratione removeretur. Aurelianensi verd, qui nondum XXIII. annum excessisset, Regentis munus, quod ambiebat, denegatum, ac decretum, ut ex Regionum, Principum, & Procerum comuni Sententia Respublica administraretur.

Proinde neminem mirari debere, si Catharinæ Matris, si denique Guisianorum potentia omnibus bonis adeo intoleranda videatur. Abhorrent populi à Regnante muliere, & indecorum quasi est inter Regum fastos foeminam recensere. Ita Thuanus. Et sanè Catharina, ut alios prævaricantis foeminæ errores taceam, illa suo Franciæ Imperio hæreticæ præ Catholica factioni multum tribuit; imò utriusque alendæ, quo illa securius promoveretur in apicem, primum institutum tenuit. Muliebris ambitio nullam veretur Synderesim, nullum æstimat honoris

honoris periculum, nullum fortunæ lapsum pertimescit, dummodo Imperet.

5. IDED DEO invisa, ut Virgineus vates indignari videatur: *Populum meum exactores sui Spoliaverunt, & mulieres sunt dominatæ eis.* Quasi innueret: ex consilio fœminarum dominantium Viris suis, tanta irrogari mala, & injurias Populo suo. Mulieres, quibus temerè confortium Imperij conceditur, plerumque in devia seducunt Viros. Primus Monarcha Adam à muliere effœminatus, totius Mundi non solùm Imperium sed etiam primam Naturæ innocentiam amisit. Quam prava Agrippinæ consilia Tiberio! quibus ardore retinendæ potentiaæ eò usque pro vecta, ut filio omnium scelerum licentiâ, & copiam sui faceret? Propter Cleopatram declaratus hostis Patriæ Antonius: & Octavius contra eum exhortans milites, dicebat: Antonium non amplius esse illum Antonium, sed mutatum per Amasiam à priore robore, & virtute. Adeo tibi similes reddunt, vel effœminant potius, cordatissimos Viros Imperantes fœminæ.

*Adam, Samsonem, Petrum, David, Salamonem Decepit mulier; quis modò tutus erit?*

6. At non solum Reipublicæ, sed vobis ipsis  
 O Principes! maximum inde periculum. Vel  
 enim indulgentiâ imperant, vel propriâ usur-  
 patione? ex utroque capiti vestro imminet exi-  
 tium. Extemplò, cum uxores vestræ vobis pa-  
 res esse ceperint, superiores erunt. Et si semel  
 liberi dominatûs voluptatem degustaverint,  
 nunquam amplius, nisi vel proprio, vel vestro  
 exitio reddent habenas. Imò si usurpaverint;  
 præoccupabunt, & extrema movebunt, ut so-  
 læ Imperent. Ex oraculo scriptum: *Mulier, si*  
*Primatum habeat, contraria est Viro suo.*

Lavius.  
 Eccl. c. 3. v. 29.

Ita Ninus Uxor<sup>is</sup> infidijs, quam incautè in  
 thronum, licèt aliquarum tantùm horarum  
 collocaverat, periit, ejusque sanguine Tyran-  
 na subscripsit *Semiramis Regina*. Sic Vicaria  
 potestas transfivit in absolutam, & temporanea  
 in perpetuam. Mulier sui semper Impotens, &  
 semel correpta dominandi libidine, si adest li-  
 centia, si occasio, nihil tanti est, quod domi-  
 nationis ergò intentatum sinat. Sit ante ocu-  
 los Athalia Judæorum Regina; Eurydices  
 Amyntæ Macedonum Regis Conjux, Tullia  
 Regis Servij filia; Joanna Regina Neapolitana,  
 quæ suos Maritos, suos Genitores, suos libe-

ros, ut regnarent solæ, crudelitate plusquam barbarâ interemerunt.

Non habet quidem Christianus orbis amplius ejusmodi furias; Ufu tamen discite Imperantes: omnia tutò dividi posse cum Amica, cum conjuge; solatia, opes, honores: solum imperium Sacro-Sanctum est, quod nec in partes trahi, nec communicari tutò potest, nisi subverso naturæ ordine. Nam præter Aristotelis, omnium Philosophorum damnantium præ aut cum Masculo, Muliebri Imperium, etiam

Aristoteles, r. Polit. c. 8.

DEUS ipse execratur. *Quia audisti vocem uxoris tue, maledicta terra in opere tuo.* Verbum igitur Domini (ait quidam ex Patribus) blasphematur, dum contemnitur DEI prima sententia: vel Christi infamatur Evangelium cum contra Legem, fidemque naturæ Mulier, ex Lege DEI subdita viro, Imperare desiderat. Veritati igitur O mei Principes credite: nec sperate uxores vestras modum licentiæ facturâs, nisi vos faciatis.

Genesis.

Cato. Porcig.

CAPUT XII.

*De Principibus Sanguinis.*

Principes sanguinis excellentissima Pars est Reipublicæ, ex cujus nimirum ger-

mine

mine progerminant ipsi Reges. Multas illi post se trahunt dependentias: adorantur ut majora sidera à cæteris astris, id est magnatibus, & Proceribus Regni, quibus prima cura semper est, eos sibi arctissimè confæderandi, ne unquã disiungi valeant sive Regis auctoritate, sive Regiorum Ministrorum astu, habeantque illi inibi fulcrum suum, & etiam in persecutione asylum.

2. Ac propterea prudentes Principes ex Arcano Statûs nihil attentant foris, nisi Domi concordiam habeant cum suis sanguine junctis. Hoc quippe semper, ubique, & omni ævo inter Arcana Regni habitum, concordem Regiam Familiam habere, quæ vita quædam Statûs est. Morbus quisquis sit? non superabit artem, dummodò vitalia; sive fontes vitæ vegeti persistant: actum est, si isti invicem contrariantur. Domesticum malum omnem profectum in externo impedit. Vires distractæ nullibi sufficiunt. Discordantes inter se Principes sanguinis, trahunt Rempublicam in diversas factiones, hæc unum, alia alium sequitur: quibus si obstitat Rex fortius, illicdò ad externa recurrunt subsidia, ac in necem propriam (quodd  
miseran-



miserandum) armant externos, & sua cedunt alienæ prædæ. Anglia, & Gallia posterioribus, Hispania, Sicilia, Neapolis prioribus sæculis ejusmodi haud rarè exhibuit funestas vicissitudines. In turbido piscari, & exturbis Regiæ Familiæ, propria compendia venari; perquam facilis, ut piscatio, ita Venatio est. Rara exempla sunt Eumenis, & Attali; frequentiora Hircani, & Aristoboli. Illi invincibiles ex Fraterna concordia; hi ex discordia uterque factus mancipium Romanæ Potentiæ.

3. Multum proinde confert, & fermè necesse ad unionem est, ut Principes sanguinis non se videant negligi, non contemni, non præteriri: illi autem præcipuè, qui succedere in Jus Regni possunt. Sæpè utiliter negotijs Publicis præficiuntur, sæpius etiam temerè, & cum damno. Temperamento hic opus & arcanis cautelis: ne illi, videlicet, inde vires conquirere valeant, vel ad audendum aliquid, vel perturbandam quietem Publicam.

4. Absint tamen Barbarorum exempla; quibus nisi per funera propinquorum stabilire Solium consuetum est. Absint etiam Tyrannorum in Christianitate molimina, qui sæpè occul-

tis artibus è medio tollunt, quos vel Imperij æmulos, aut Successores verentur.

Non hæc admittit Christiana mansuetudo, nisi fortassis in legitimam defensionem, quæ naturæ est: vel in præventionem ex manifesto periculo, quæ species defensionis habetur.

5. Cæterùm mitioribus artibus componi, & in officio contineri poterunt Principes (eventuales nimirum illi Hæredes) sic Ludovicus XIII. Fratri Aurelianensi Imperium in Exercitum Campaniæ contulit cum præfectura Parisiorum (maximæ Gallicarum, & fermè Mundi, Urbis) eo nimirum fine, ut arctius sibi Principem tam propè conjunctum devinceret, & abstraheret à quibusdam magnatibus, qui aucupando Principis gratiam suggerebant varia contra Regem. Sic iste fallebat fallentes ultrò in Beneficium Fratris collata auctoritate, cujus usurpationem illi pessimo svasu suggerebant. Benevolentia per diffidentiam negligentiam crescit.

6. Quantum Princeps Imperans in comunicanda auctoritate sua pareus erit, tantum indulgentis oblectamentis, & cumulandis in illos honoribus amplior. Præficiet illos Provinciis,

sed cum moderata potestate, & adjuncto Legato, Viro Regi sincero, qui specie tenus assistat (reverâ moderator & Inspector sit agendorum) ne exorbitent, vel abutantur communicatâ potentia. Idèd ejusmodi Præfecturæ breviores sint, quàm longiores. Est enim in Regio sanguine (nisi speciali virtutis certamine vincantur) naturalis aliquis fomes Imperandi, cui si pabulum addas, plus æquo amplius vel longius, comunicatâ nimirum auctoritate, flagrabit in incendium. Omne quasi ævum vidit supremos Imperantes (præter ultimò fermè sæculò Austriacos) maximè insidiosos fuisse à suis, adèd, ut illorum securitas vix consistere valeat cum suorum propinquorum nimia auctoritate, vel potentia. Quantò major est sanguinis necessitudo, tantò major æmulatio, & ad Imperandum stimulus vehementior. Tiberij temperamentum placet, qui Germanico, toti Syriæ, & adjacentibus Provincijs imperaturo, Creticum Syllanum ibi Legatum, & Germanico devinctum sustulit; suffecto Cneo Pisone, Viro plus genij ferocis, quàm in obsequiũ Germanici prompti.

7. Amove, tolle, qui Zizaniam seminant inter Regium sanguinem: Suggestunt iniqua,

qui dividunt inter Regem, & suos propinquos. Sic tempore Henrici III. Alenconius, Regius Princeps, suafu Buffei & Simerij aulâ secessit. Sic sæpè deinceps Condæus, & alij Principes Sanguinis. Obviabit hifce prudenter Princeps; & primitus ejusmodi suggestores, & Intimos fuorum propinquorum sibi arctiffimè obligabit beneficijs, muneribus, exaltatione &c. Arcanum hoc magnum est nôffe sibi adversariorum devincire Amicos & confiliarios. Ejusmodi dominantur animis fuorum Principum; & in his per illos, quidquid voles, imprimes, tutò cavebis, omnia cognofces. Exple illorum animos, & horum occupabis. Satia avaritiam, & tutò dominaberis. At si hæc non proficiunt? muta: & tibi addictos substitue.

8. Præ omnibus autem benevolentia magnes ille est, quo trahuntur corda, & nullâ re fortiùs extinguitur diffidentia incendium, quàm beneficiorum, & gratiarum liberalitate tam in sibi necessarios, quàm illorum Intimos, & Ministros. Concedere gratias, non est communicare Imperium. Fovere, & evehere posse Regios Juvènes, pars quædam est Majestatis Supremæ. Respicient illi Authorem, qui dedit, &

data tollere possit. Erat Regina Mater infensa Filio Ludovico, ejusque Ministro Cardinali Richelio. Præfecit attamen illam Rex Urbi Parisiorum, & adiacentibus Provincijs, cum is in Rupellæ pergeret expeditionem: Sicque demulsiit foeminam offa præcarij Imperij, quod illa ex sibi debito deperibat. Nulla quippe fortior persuasio foeminas convincit, quam si videant desideriorum se compotes fieri.

9. In hoc magna Prudentia Principis refulget, si ita regimen suum instituat, ut non exacerbet personas qualificatas, negando, quod citra præjudicium auctoritatis suæ largiri valet. Largitiones attamen, uti & alia omnia grata, & accepta, non statim, & uno impetu omnia concedat, sed sensim, ut majorum semper remaneat spes. Qui omnia dedit, nihil dedit, cum sibi deinceps auferat dandi facultatem, & quibus dedit, subitanæ oblivionis occasionem præbeat. In dandis præcipuè Appanagij, Status ratio exigit, ne ejusmodi Provinciæ illis in Appanagium constituentur, unde vel nimium augere possent vires, vel moliri nova, vel ipsæ Provinciæ ita sint constitutæ, ut exoptent privatam Principem, tædio quasi affectæ sui Regis.

10. Appanagia non sunt instituta in alimentum rebellionis, vel detrimentum Statûs, aut Regis injuriam, sed in competens beneficium Principum sanguinis, qui ex gratia Regis totum id habent, quod habent. Alii debent in splendorem natalium, non in perniciem Reipublicæ. Gallia seipsam quasi pessumdedit, ubi Bitturiges, & Burgundos in Appanagium concessit: inde enim velut ex equo Trojano seditiones, & bella civilia per totum latè regnum erupère. Tandem Angli ipsi in Galliam concitati, quam aliunde deperibant. Felix in hoc utraq; Austria Germana, & Hispana, quæ hæcenus ex Appanagijs parû doluit! fortè quia hæc pauciores Principes sanguinis, vel planè rari, & hi plerumque sacris destinati, licèt non initiati, eâ nimirum cautelâ, ut semper in regna succedere valeant. Sic priori Sæculo Archi-Dux Guilielmus, Carolus, & ipse Augustissimus Leopoldus ante obitum Ferdinandi IV.

11. Matrimonia quoque Principum sanguinis, non quæcunq; illi in votis habent, approbat Rex, sed quæ Statûs sui Ratio confert. Ex privato unius Principis amore periclitari non debent Regna.

Matrimonia sunt tunc Sacramentum, cum formam accipiunt, extraditionem nimirum mutua corporum: ne autem eoque perveniant, cum periculo Statûs, maturè & omni modo abviabit Rex; cum enim in Sacramentum venêre præmissa Ecclesiæ benedictione, fas non erit rescindere, quod DEUS conjunxit.

12. Non diffitemur quidem libera esse matrimonia, verùm quia etiam involvunt contractû Civilem, ad amissim illam universalem, quæ est salus regni, & Populi, expendi debent. Principes sanguinis in contrahendis matrimonijs non magis sunt sui juris, quàm liberi sub Patria potestate. Sanè plus quàm maturo consilio Imperantibus hîc opus! ne vel Mares de Domo Regia, præpotentes nimium, & regno extimescendas Nuptias, nevè Puellæ indignas cum valde privatis contrahant. Utrobique ad Interesse Statûs, ad successionis Jura, ad Publicæ pacis discrimen, ad Provinciarum abalienationes, & ejusmodi prætensiones, quæ sæpè non primâ fronte, sed sensim se ostentant, reflectendum. Multos in ejusmodi casibus decepit præcocia. Arduæ sunt matrimoniorum causæ: masticari, digeri, & diù deliberari debent. Beatæ illæ Nuptiæ!

ptiæ ! Unde Regno resultat Gloria, novæ accessiones, externorum fœdera, comērcia, & talia, quæ sublevant statum, non deprimunt. Exemplum Austria est tot Regnorum, totuè Provinciarum Domina, non tam inter Martis, & Bellonæ fragorem, quàm Hymenei & Thallasij festivas voces. Inter Galliam, & Hispaniam jam sæpè Nuptialis Hymen extinxit Martis tædam, & pacis Olivam induxit, ut nuper sub Ludovico XIV. & antè sub Ludovico XIII. interventu magnorum Virorum Richelij, & Mazarini, sed vix diuturno pacis gaudio,

13. At verò, si Regiæ, de qua supra dictum, benevolentia magnæ, si beneficiorum liberalitas, si gratiarum profusio non reducit in reciprocum affectum, vel saltem debitum in Regem obsequium conjunctorum proterviam; tunc nihilominus ad majus evitandum malum dissimulatione, & tolerantia se obfirmet Princeps, nec sinat se Regiæ licentiæ, aut potestatis abripi ventis: Dissimulet delicta, ferat excessus. Regium est propriarum injuriarum oblivisci, sicut nec recordari meritorum. Humanum est compati, maximè autem suo sanguini; eâ tamen duntaxat ratione, donec sine Reipublicæ periculo fieri possit.



14. Armatas preces, & prætensiones sive libertati publicæ, sive Regiæ Auctoritati adversantes suorum Conjunctorum, Justus, prudensque Princeps, cujus stateram sola Salus publica principaliter dirigit, nullatenus exaudiat: Auctoritas sanguinis non excedit parietes familiæ; at ratio Boni publici omnem Regiam familiam & super ipsum Regem est, quia illa & iste propter bonum publicum est, quod est. Hæc Lex Boni publici nullam patitur exceptionem. Huic subijciuntur victimæ etiam de Regio sanguine. Unius desiderium expleri non debet in præjudicium omnium. Secedere debent, si præsentibus officiunt: arctari, si libertate abutuntur: tolli, si vivunt in exitium publicum.

15. Ab Auctoribus magis, quàm ab ijs, qui vel honoris, vel obsequij causâ in partes abjere, pæna sumenda est, & quidem in tempore, ne ex intervallo flamma in incendium crescat. Extrema nunquam expectari debent, licet Principia dissimulari possint. Rebus desperatis vix est remedium. Frustra est punire complices, si author vivat impunè. In Instrumenta sævire parum conducit, si artifex supersit, cui semper fas erit, nova reperire, & sæpe acerbiora.


16. Philippus secundus Rex non Barbarus, sed Catholicus, & totius Mundi calculo sapientissimus, & Justissimus Princeps etiam unico non pepercit filio Carolo, ut se remque publicam indemnem haberet. Alenconius Princeps Galliae Regius mortem tulit sub Carolo septimo: omitto alios Regum propinquos, quibus merita sanguinis vix profuere ad tutelam adversus carceres, relegationes, multas, & ipsum mortis supplicium. Europa etiam nostra Theatrum est, quod Gallia, Anglia, Hispania, Sicilia, Neapolis, Mediolanum replevit ejusmodi tragicis casibus: an semper Justè, aut Injustè? vix certum est.

17. Ideoque ne crudelitatis notam subeant Imperantes, in delicto duntaxat publico læsæ non solum Majestatis, sed etiam publicæ quietis cum ingenti vel damno, vel aperte metuendo discrimine Regni, non tam odij, vel vindictæ, quam maturè deliberatæ, & purissimæ Justitiæ expleant officia. Quæ cautela primitus observanda circa Regalem sanguinem, contra quem nunquam temerè procedendum, nec omnes audiendi susurri, mitiora in Principio, & medio delicti tentanda remedia: indulgendum potius

si resipiscentiæ spes, si erroris confessio intervenit, & Statûs discrimen cessaverit. Ingens enim facti ratio esse debet, in proprium sanguinem, & quasi suæ ipsius naturæ partem animadvertere extremo rigore. Parce, Parce mi Princeps, sed parcè deinceps fide.

18. At reliqui Magnates, qui perperam adhæserunt errabundo, qui orientem forsan solem adorârunt potiùs, quàm occasui proximum; qui suggesserunt, ut communiter fit, maligna, & ad præmaturos apices excitârunt Regios Juvenes, vix merentur veniam. Vel enim hi tales obstricti delictis asylum quæsière suæ iniquitati? vel alieno ære gravati ac inopes in hisce diffidijs restaurare satagebant publico ære privatam inopiam? vel malè contenti, & à Principe offensi vindictæ occasionem arripuère? omnes hi tales velut Regiæ domûs Incentores, & publicæ quietis Insidiatores tollendi potiùs, quàm tolerandi; puniendi, quàm liberandi. Nemo prudens ejusmodi homines à reatu excusabit. Enim verò si fuerint Domestici, & similibus Principum Ministri, cavere debebant cum Achitophele laqueum: desistere, & non insistere proterviæ; redire in tempore ad fontem relicto

rivulo, & Naturalis sui domini mereri gratiam potius, quàm lædere Majestatem omni Jure divino, & humano inviolabilem. Irrefragabile est, magis paratam, imò sæpius promptam, ac ultro oblatam Necessitudini sanguinis esse veniam, rejecta interim in Ministros universâ culpâ, cujus pœnam vix unquam innocenter luunt.



## CAPUT XIII.

### *De Magnatibus Regni.*

1. **A**ristoteles in libro tertio Politicorum meliores ex melioribus nasci dixit. Id de Nobilibus intelligunt Politici: aded, ut melior, si non optima, pars Republicæ sit Nobilitas. Illa, inquam, vetus, clarisque factis conspicua, nomine Magnatum, ac procerum Regni celebris.

2. Hanc conservari, & ab interitu vindicari, Republicæ ac Majestatis Regiæ decori omnino interest: tum ut præsent, ait Cicero, cum dignitate; tum quia valere apud gratos Cives debet clarorum hominum & benè de republica merito-

meritorum memoria. Ipsa natura, quod præstantius est, maximè tuetur. Cor primum, & ultimum vitæ est. Primum, quia excellentius: Ultimum, quia natura hoc ita tuetur, ut non nisi ultimè emoriatur.

3. Credant Principes, claros Natales plerumque tribuere majores ad virtutem impetus, & in familijs Heroicis vim naturæ præstantiorem esse, quàm in reliqua multitudine. Habet enim Nobilitas sanguinis & generis, tam claritatem à genere, quàm à sanguine fomitem gloriæ, virtutis, ac decoris. Indignus planè Regio Nominis est, qui, quod præstantissimum in Republica est, odio habet. Maximinus ille osor Nobilitatis à Plebeis deinde trucidatus est. Antonium Scalam, dominio Veronæ, ejecit in Nobiles odium. Quem Nobilitas deserit, apud Populum vix securus est. Firmissimum Imperij latus, ajo, à latere habere semper promptam Nobilitatem. In hac & vires, & opes, & consilium, triplex illud Regnorum fulcrum, consistit.

4. Hanc conservabit Princeps subveniundo, promovendo, remunerando.

Primd, subveniendo egenis, & fortunâ pro-

lapsis: vel per opima matrimonia, vel per pensiones annuas, usque dum emergant, & inopiam restaurent. Sic Augustus M. Hortensium Hortensij oratorum Principis Nepotem in paupertate manifesta viventem, liberalitate decies Sestertium ducere uxorem, & suscipere liberos allexit, ne scilicet clarissima familia extingueretur.

Tacit<sup>9</sup>.  
2. Añal.

Sucfo-  
nis in  
Nerone

Nero inter pessima hoc fermè optimum exemplum dedit, quod Senatoribus in re tenui constitutis, annua salaria constituerit. Valerij Messalæ, Nobili familiæ, peculiarem honorem habuit Collegæ suo in tertio Consulatu, oblati in singulos annos quingentis sestertijs; quibus paupertatem innoxiam sustentaret. Idem Aurelio Cottæ, & Hatrejo Antonino annuam pecuniam statuit, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. Verè Domus Austriaca in hoc subveniendi modo profusissima præripit alijs Principibus lauream immortalis Nominis sui encomio.

5. Alter modus est, promovendo ad opima five Aulæ, five Provinciarum Munia, si nimirum exclusis popularibus, solis illa Nobilibus, conferantur, non empto, sed ex merito. Sæpe enim

enim ex turpi lucro, ubi subhaſtantur officia, vidiffimi homines locupletes facti, Nobiliffimis Viris, aucto in tantum, ut iſti aſſequi nequeant, pretio, præripiunt primos Aulæ honores, Primas Eccleſiæ cathedras, quod planè indignum & inconueniens eſt.

6. Vitelio improperat Svetonius, quodd partem Imperij aurigis, & Hiſtrionibus commiſſet. Quanta ſubivit discrimina Ludovicus XI. Gallus, ut refert Cominæus, eò quodd tonſorem, & ſutorem, utrumque in Legatos; & Medicum, in Regni Concellarium deſtinâſſet. Oraculum illud apud Platonem (*Interibit Res-<sup>in</sup>publica, ubi æs & ferrum, custodia fuerit*) ferme Timæo  
 œdipo indiget. Nam æs & ferrum Reipublicæ ſuñè profunt. Illud enim eſt nervus, & hoc firmamentum Reipublicæ. At diuinus Plato reſolvit diuinè, ubi infirmitate horum metallorum intelligit Ignobiles, & imperitos, qui ad gubernacula Reipublicæ ſedent, ſed malè eam cuſtodiant.

7. Tertius modus eſt, honorando remunerandovè. Virtus præmium meretur; ſi adſit Nobilitas, Virtuti Corona debetur. Illa gemma, hæc aurum eſt. Ab invicem ſeparatæ, licèt in ſe pretioſæ

pretiosæ, non tamen emicant. Romani olim emeritam Nobilitatem eximebant à Processibus criminalibus, à supplicijs infamibus, ut furca &c. nisi in criminibus exceptis vergentibus in damnatum Reipublicæ. Hæc exemptio profuit sub Diocletiano multis Christianis. Antiqui, & præcipuè Occidentis Imperatores, honorabant suos titulis Ducum, Marchionum, Comitum, quæ olim præfecturæ, & honorata tantùm officia fuerunt, nunc verd in Hæreditates abiêre. An focordiâ, an indulgentiâ Cæsarum, an temptd an per vim, vix constat. Quæ tamen res, sicut multùm ad speciem exornâsse videtur Imperatoriam dignitatem, quæ tantis fulta est Principibus; ita non parùm ejus debilitâsse potestatem, consideranti plusquam luculentum est. Ideo olim Romani magnas Præfecturas cum potestate nimirum Imperij vix perpetuas, vix diurnas esse sinebant. Imperandi enim parendique vicissitudo reprimit mentes fastuosas & & gloriæ cupidas, nec permittit eas inebriari nimiâ potentiâ. Munera in publicam utilitatem inventa in quæstum privatû verti non debent; sicut nec in odium conferentis. Longiores Magistratus non tam exercentur, quàm usu capiuntur,



tur, & vix sine discrimine tolluntur. Magnates ad magna promoti non demoveantur, si mutantur ad familia, vel majora, vel illis alij substituantur, qui usu discant Reipublicæ Statum & negotia. Atque si arcanum hoc in legem abit, nullius querimoniæ Magnatibus causam dabit.

8. Ad honorandos, conservandósque in flore suo Magnates, & viros emeritos, præter præfecturas & titulos, sunt etiam exemptiones à Gabelis, portorijs, ac alia ejusmodi privilegia, quæ reipsâ, non tantùm nominatenus, Nobilitatem distinguunt à Communitate, quod ferme in Italiæ ( præter Respublicas ) plerisque Principum Statibus non obtingit; quibus nobilitas Nomen, prætereaque nihil.

9. Theodosius secundus, & Valentinianus Cæsares, olim verè in suos generosi, collatis in emeritos non solum publicis honoribus, sed divisis etiam, quas conquisiêrant, in partes Provincijs, distribuebant Nobilibus territoria, Castella, oppida, Civitates vel in feuda perpetua, vel in temporanea. Hodie profecto non alia, Europæ totius, possessionibus ac libertate, privilegiorumque amplitudine excellentior Nobilitas est, quàm Germana, præsertim sub Aquila

Auftriaca. Possident quippè Germani Nobiles privati, nec Marchionum, nec Comitum titulo insigniti, insignia tamen territoria libertate quasi Regiâ, cum Jure territoriali, meri, & mixti Imperij, & quibusdam Juribus Majestatis. In multis locis dominantur in subditos velut in mancipia. Ubique fermè habent Jus Instantiæ, carcerum, gladij, Magni, & parvi Venatus. Contributiones non nisi rogati præstant. Præterea cætera Personæ privilegia, quæ tanta sunt, ut Germani Nobiles, etiam simplices, & in paupertate constituti majori gaudeant auctoritate, quàm quarundam Nationû Principes, comites, Marchiones, Barones, quorum nec domus immunes, nec personæ à carceribus.

10. Attamen Prudens Princeps ejusmodi prærogativas non concedet temerè, vel sine cautela, quæ nimix potentix ponere modum potens sit. Examinabit, observabit Nobilitatem, qualis illa? an sua Principis gratiæ attribuat? an factionibus se immisceat, vel invicem collidat? an Principis Jura asserat, non disputet, prætextâ illâ imaginariâ libertate, quæ adversus Principem mera usurpatio est.

11. Quæ olim concessere gratuito Bonis subditis

ditis Principes, non eò extendenda, ut revocari non possint, ubi vel merita concessionis ruere, vel præsentis Statûs circumstantiæ, subditorum præcipuè culpâ contractæ, aliud exigunt. Gratiæ in pactum non abeunt, nec quod precarium, juris possessione prætendi potest. Reges non evellunt Regni fundamenta, ubi subditorum vel puniunt insolentiam, vel usurpatæ licentiæ fræna imponunt. Nemo in necem suam confert beneficia, nec dici possunt privilegia, quæ prætexuntur in fraudem Statûs, vel Regiæ Autoritati insultant, vel Legem illam universalem, quæ est, salus Regni, & Populi, privant effectu suo.

12. Verissimum quidem est, nobilitatis animos esse delicatos: offendi nolunt: altiùs injurias, quàm Principis gratias retinent; gratiam oneri, ultionem in quæstu habent. Id maxima Mundi pars in suis ipsi ditionibus cum luctu spectavit, & experta est ultrices flammæ, clades, & sæpè ultimum exterminium. Non solùm enim pleraque Regna à suis metipsis Civibus vel desolata, vel ab illis alienæ prædæ ultrò data, sed etiam exitus ipsos Regum si expenderimus, plures à suis, quàm ab hostibus interemptos aut pessumdatos

datos reperiemus. Cujus mali causa sunt vel ipsi incauti Principes, vel insolentes Proceres. Illi in se armant istos per supra, per insupportabilia onera, per Præfectorum insolentias, per denegatam Justitiam. Gallis libido eripuit Siciliam: Hispani per Gabellas perdididerunt Lusitaniam: Præfectorum insolentia armavit Helvetios in Austriacos: Philippus Macedo, ferro stipatoris sui Pausaniæ, ob negatam ipsi contra Attalum Justitiam periijt.

13. Insolentiam verò Procerum causant Vires magnæ, Opes, Clientelæ, factiones, externorum subsidia, clandestina consilia, Arces munitæ, Præfecturæ longæ. Quæ omnia cautissimè moderanda, impedienda, minuenda, tollenda: & in id vigilantia Principi satagendum, ut Primates Regni in quiete contineantur, nihilque novi contra Rempublicam moliri vel audeant, vel valeant.

14. Vires, & opes sumptuosis munijs & missionibus attenuantur: Clientelæ, & factiones immisâ diffidentiâ solvuntur: Externa subsidia diversionibus externis præoccupantur: clandestina consilia Benevolentia, speciosis promissis, vel separatione, & divisione dif-

dissipantur: Arces munitæ sub custodia Regiæ, non privatæ militiæ tutius conservantur: Auctoritas nimia contracta in Præfecturis, avocatione, mutatione, vacatione imminuitur. Tiberius per speciem honoris amoliri juvenem Germanicum statuit, struxitque causas, aut fortè oblatas arripuit, alterum Consulatum ipsi offerendo, quod munus ipse in persona obiret. Nero suspectum sibi Othonem, suo titulo ut Provinciam regeret, in Portugaliam ablegavit. Nondum defecisset hoc ipsum Regnum Portugaliæ, si Hispanus Ducem Brigantinum, inter magnates Regni præcipuum, amovisset in tempore, specie novi cujusdam honoris, quod fieri poterat, si futura melius magnus Minister Olivarez prævidisset: prævidit quidem tandem, sed serò nimis: exæstuante nimirum jam in apertam Rebellionem Portugalia.

Tacit9.  
Ro-  
muel.

Sanè consultius est mitioribus remedijs obviare principijs mutandi Statûs, quàm apertè in capita magnatum ferrum stringere, unde nova semper repululant vindictæ germina. Supplicium Hornij, & Egmontij Comitum non extinxit Belgij incendium, sed auxit: Extinxisset, si illi aucti novis præfecturis, novisque

tegrata. Hinc (monitum est Politicum Richelij) debet Rex advigilare, ne quemvis Magnatum ad Aulam revocet, qui ex Justitia, quam incurrerat, offensus, occasiones vindictæ in negotio cum concursu posset quærere, aut spontè inire. Occasiones attrahunt animum potentissimè in ultionem. A longè habendi, à quibus periculum.

16. Hæc dicta sunt de Justè offensis, non de ijs, qui innocenter aulâ ejecti, proscripti, amoti, puniti, vel injuriâ æmulorum, vel suasu perfidorum, vel sententiæ Injustitiâ. Læsa innocentia in Cælum clamat, Ultorem habet DEUM, nisi reparetur à Principe. Igitur Princeps, omnibus modis possibilibus injustè læsos demulceat, novis beneficijs redintegret, & non minùs offensam innocentiam condigna satisfactione restaurandam, quàm cavendam, si insolens, si periculosa sit, existimet. Possunt caveri, & tamen restitui, compensatione nimirum æquivalenti, quæ planè indemnes reddit offensos. Summatim: constare debet publicè de offensi innocentia: deinde reparanda damna offenso. Exaudire oportet preces innocentes, nisi tamen sint insolentes, quia ipsa innocentia  
per

tegrata. Hinc (monitum est Politicum Richelij) debet Rex advigilare, ne quemvis Magnatum ad Aulam revocet, qui ex Justitia, quam incurerat, offensus, occasiones vindictæ in negotio cum concursu posset quærere, aut spontè inire. Occasiones attrahunt animum potentissimè in ultionem. A longè habendi, à quibus periculum.

16. Hæc dicta sunt de Justè offensis, non de ijs, qui innocenter aulâ ejecti, proscripti, amoti, puniti, vel injuriâ æmulorum, vel suafu perfidorum, vel sententiæ Injustitiâ. Læsa innocentia in Cælum clamat, Ultorem habet DEUM, nisi reparetur à Principe. Igitur Princeps, omnibus modis possibilibus injustè læsos demulceat, novis beneficijs redintegret, & non minùs offensam innocentiam condigna satisfactione restaurandam, quàm cavendam, si insolens, si periculosa sit, existimet. Possunt caveri, & tamen restitui, compensatione nimirum æquivalenti, quæ planè indemnes reddit offensos. Summatim: constare debet publicè de offensi innocentia: deinde reparanda damna offenso. Exaudire oportet preces innocentes, nisi tamen sint insolentes, quia ipsa innocentia  
per

per insolentiam vitium contrahit, & definit esse innocentia, quæ metui vult, vel insultat Potestati supremæ.

17. Residuum nunc est, ut ante finem hujus capituli aliquid commemorem: cur nempe Regnorum Magnates tam sæpe offensi, & alieni redantur à suis Principibus quæsito apud Belgas exemplo, non minùs notorio, quàm funesto? Ne verò dicam de Religione per vim introducta, aut avita libertate oppressa, aut sublatis imunitatibus Nobilitati, aut immodicis extorsionibus (quæ omnia sæpe numero non tam offenculosi sunt Magnatibus, quàm prætextui ad molienda quæque adversus Principem) sunt quoque aliæ causæ, non quidem tam cogentes in seditionem, quàm fortes ad causandam animi aversionem. Et reverâ si ab alienationem illam à Philippo II. Hispaniarum Rege, quæ in animis Belgij procerum gliscebatur, intimiùs expendo, quinque potissimùm illius causas comperio, quas dispersim hinc inde commemorat ipsa historia Belgij,

18. Cæterarum Antesignana, & prima, est æmulatio Aulica: ubi Magnates, virique nationales se excludi, præteritque videbant à suo

Prin-



Principe, inductis ad prima muniorum subsellia externis hominibus. Hoc Nobilitati patriæ vulnus est immedicabile: hic querelarum campus & centrum. Hæ igitur in seditione Belgij fuerunt Magnatum voces: Hispanos apud Regem esse omnia: Belgas Hispanorum umbras videri, quæ illos comitentur, & ad eorum nutum moveantur. Quippe gravissima quæque Regem transigere cum Ferdinando Toletano, cum Roderico Gomesio, cum Comite Feriano, unicâ illa cohorte interioris admissionis. An se domi suæ loco moveri ab externis, tamque infra Hispanos reponi, spreta Belgarum dignitate laturos? ita illi. Nec injustè quidem id questi fuissent; nisi pejora animo coxissent sub prætextu hoc.

Lib. 2.  
de Bel-  
lo Bel-  
gico.

19. Alteram causam refundo in occultationem secretorum Regni. Magnates enim sibi deberi partem Reipublicæ existimant; se columna, se firmamenta Regni esse; se fraudari occultatione publicorum consiliorum, quæ cum maximè Magnates tangant, ea à se sciri oportere: se quidem ad ejusmodi quandoque magnificè adhiberi; verùm ut acta jam agerent, & rerum exuvijs interea caperentur. Hujus teno-

ris primas ad Regem Philippum Orangius & Egmontius irarum plenas exaravêre literas. Videlicet se ad Senatum rard acciri, quæque ad Præfecturas suas pertineant, secum non communicari, sed clam definitis, in speciem advocari, deinde se aliorum ejectamenta discursuros. Vetus hæc, & nunc usitata apud Magnates malecontentos querimonia passim auditur; quæ, si non à Principe, sed potius ab ejus Ministris causetur, justam animi indignationem concipit, emendandam certè ab eo, qui, cùm quibusdam plus æquo tribuit, cæteros contemptim haberi vix justè finit. Hinc


20. Tertia offensionum causa eruitur: Unius nimirum major (externi maximè) quàm par est, exaltatio, aut particularis respectus. Istud profectò Margarithæ Parmensis res graviter afflixit, eâ Cardinali Granvellano, aut suâ sponte, aut Regis jussu nimium tribuente. Nihil quippe ad Senatum antè referebat illa, quàm secretis aut colloquijs, aut codicillis cum Granvellano discuteret, vel planè concluderet. Et vel ex hoc magnarum apud Magnates Belgarum indignationum, irarumque causa, ipsique Granvellano lapis extitit offendiculi. Nam non mul-

tò pòst dandum rebatur Rex quidpiam specietenus Magnatum petitioni, licèt Provinciarum securitati dabat, evocato scilicet è Belgarum finibus Granvellano, ita consulente ipsa Gubernatrice Margaritha, quæ, ut scribit Belgij historicus, sperabat, publici odij illâ victimâ, se multorum gratiæ Magnatum litaturam.

21. Quarta averfionis causa, quæ Magnates in suum Principem commovet, est frustratio spei. Indignantur quippe Principi suo Proceres, si minus ab eo accipiunt, quàm speraverint, licèt quandoque plus sperent, quàm debeant. Nolunt repulsam pati, neque modicum, aut non satis sibi dari, quod se meruisse prætendunt. Sanè post Caroli V. abdicationem, & finitum bellum Gallicum, indéque Nobilitatem Belgarum reducem, parum sibi rebantur satisfactum Proceres, præsertim Orangius, & Egmontius, qui totius Præfecturam Belgij (ut vastioris, quàm alij erant, animi) sibi ex debito sponderant. Reliqui autem aut præteriti, aut Provinciarum gubernijs à Rege præfecti: illi ringebantur, & jam animo coquebant vindictam; hi, quia infra votum acceperant, ipsum beneficium convertebant in injuriam.

22. Quintam causam rursus ex Belgarum factis conijcio. Ea fuit abdicatio Caroli V. & Philippi secundi ad Principatum aditus; ex quo totum Belgarum sistema mutatum, & ferme, eorum opinione, in deterius. Alius Princeps, alius à prædecessore genius, alij mores; alius exinde in Belgij Optimatum animis affectus: amor nimirum, cum mutato Principe, conversus in odium. Totum hoc in Epitome complector ex historia Belgica. Enimverò longè alio loco fuerant Magnates Belgij apud Carolum; quàm apud Philippum. Apud illum in arctiori consilio, in armis, in Provinciarum Præfecturis primi erant Belgæ, ac Cæsaris partialem animum, in séque propensum sciebant. Philippus verò totus pro Hispanis, cum Hispanis, per Hispanos regebat omnia, aulam, arma; & ferme Provincias, vel per illos, vel per externos. Accessit dissimilitudo morum inter Carolum & Philippum. Cæsar, sive aditu, sive alloquio facilis: ubique popularis, cum Germanis Germanus, Italus cum Italis, Hispanus cum Hispanis; denique non nisi subditorum amorem quærebat. Longè ab hoc differebat Philippus: accessu, habitu, genio, moribus tantùm hispanus,

nus, parùmque se communicabat amcenissimo Belgarum genio. Publico magis abstinebat, reverentiam sibi à longè intendens: cunctabundus potius, quàm versatilis. Magnus quidem undique, sed Belgis nimius: ideo amorem hi, quo flagrabant in Patrem, sensim convertebant in odium filij, usque dum gliscentes similtates Magnatum, se apertius multitudini populari, quæ jam pridem averfabatur hispanum nomen, conjunxissent, ac planè abjuratâ DEO & Regi fide, tragædiæ, quam non facile vidit orbis, theatrum aperuissent. Sanè ejusmodi subditorum averfiones, & iræ, omnibus Principibus metuendæ sunt, quia plerumque externis tam suggestoribus quàm impulsoribus (quales à Gallia & Anglia Belgis non deerant) contumaces: nec quiescunt facile, nisi cum excidio Principis & statûs.

  
CAPUT XIV.*Quid Principi Circa subditos?*

**P**Luralitas specierum infert varietatem substantiarum, & accidentium. Non tantam hæc multiformis in hoc sublunari Orbe di-

versitas florum, herbarum, lapidum, Arborum admirationem meretur, quantam una sola Species hominum, videlicet natura humana in tot gentes, & populos divisa, multiformis, & varia quoad mores, ingenia, inclinationes. Aded, inquit Polybius, natura hominibus non corpora solum, sed animos dedit dissimiles variantésque: ut revera Princeps in tanto rerum disordine etiam variare, suúmque sceptrum attemperare debeat subjecto sibi populo, jam laxando, jam retrahendo Imperij habenas. Ta-

4. Añal. citus testatur antiquos Romanos in id incubuisse primitus, animámque totius Politicæ in hoc uno arcano constituisse: *Nôsse variare vices Imperij in tanta varietate populorum, quibus illi dominabantur.*

Infinuabimus igitur in Epitome, quid Principi circa subditos sibi populos.

2. Primò, sicut Agricola, & Vinitor explorat prius naturam terræ, & deinceps ad varietatem illius, varia femina plantat, projicit hinc illinc: vel Palinurus aliquis, disquirit maria, metitur flumina, explorat portus, indagat scopulos, quibus perspectis aptat, dirigit, & profectitur navigationem suam. Ita Bonus Prin-

ceps distinguit sibi subjectos populos, & Imperij habenas conformat illis, moderatione Regiâ, eatenus, ut administrationem adaptet, & accomodet universonum genijs, & humoribus. Et iste est primus circa subditos Canon, videlicet præsentibus moribus leges, & Politiam adaptare. Nec obest mutare vetera, si in rem præsentem conducunt. Nocet enim interdum priscus rigor, & nimia severitas, cui jam pares non sumus. Sicut à contrario non minus nocet antiqua conniventia, quæ præsentem mores laxat in luxum, vel in Civium insolentiam. Hinc

Tacit9

3. Alter Canon est, ut mutationes, Correctiones, reformationes Circa subditorum mores non repente, sed per gradus, & sensim fiant. Augustus sub initio Imperij non omnia statim, ut decretum erat, exsecutus est: Veritus, ne parum succederet, si simul homines transferre, & invertere vellet, sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus.

Dion.  
lib. 52.

4. Tertius Canon primis duobus ferme contrariatur,

trariatur, re ipsa tamen sæpe Reipublicæ expedit, ut nimirum ratio, & circumstantiæ exigunt Statûs. Consistit autem in hoc, quod Seneca olim Amico suo rescripsit. Non conturbabit sapiens Princeps publicos mores, nec populum in se vitæ novitate convertet. Periculosum namque est mutare ea, quibus insenuit Populus: periculosius, si vis fiat, & impetu: periculosissimum, si sine Viribus, vel nondum stabilitâ auctoritate. Vim hujus dogmatis olim Augustus Senatui Romano proposuit apud Dionem inquit: Quæ enim in suo statu, eadèmq; manent, tamen utiliora sunt Reipublicæ, etsi deteriora his, quæ per innovationem meliora inducuntur. In minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda sunt. Ingentes illæ, & quidem fermè omnes Mundi, quas vidimus, vel legimus revolutiones, seditiones, Rebelliones &c. ex præmatura morum novatione, vel antiquarum consuetudinum abrogatione, veluti ex equo Trojano erupère. Aded tutius est stare antiquis sine metu periculi; quàm turbare præsentia cum spe lucri. Plus obfuit, quàm profuit universalis illa in Regno Galliæ sub Ludovico XI. Magistratum omnium



nium mutatio, Veterum degudatio, novorumque inductio. Nutabat tunc Regia auctoritas, nec unquam deinceps fingerâ quiete, dum Rex iste viveret, usa est Gallia. Omitto studiosè recentia.

5. Quartus Canon circa subditos est, ut moderetur Princeps onera publica, vel saltem ea dulciter introducat, non solum monstrando rei necessitatem, publica, & quasi inevitabilia Regni pericula; sed etiam promittendo impositiones ejusmodi non fore perpetuas, sed cum fine periculi finiendas. Hoc pacto cognoscent subditi Principem non solum præesse, sed etiam prodesse Reipublicæ, aliàs pecunijs acerbè conquirendis plus invidiæ sibi, quàm virium addet. Nimia Regum colligendi auri aviditas, & subinde novis indictionibus tributorum, exagitata populorum patientia in furorem, in odium, in gravissimas ultiones desijt. Sic turbata Aquitania sub Henrico secundo ob nimiam falis impositionem: sic Mediolanum sub Ludovico Sfortia: sic non ita pridem Neapolis ob nimium herbarum tributum. Sic sub Rege Carolo Angliæ, qui ex voluntarijs, & extraordinarijs collectis necessitatem induxit añuorum

tributorum. Et quæ exinde catastrophe infecta? etiamnum luget Anglia impietatem suam in sanguinem Regium.

hist. 4.

6. Vero verius est, ut testatur Tacitus, quietem gentium sine armis, arma sine stipendijs, stipendia sine tributis non haberi. Hæc intermitteri non possunt sine periculo, sed neque nimium intendi sine excidio. Tondere fas erit pecus, non excorticare. Non amplius dabit lanam excoriatum pecus. Dissolutio quædam Imperij est, si privatorum opes in luxum dissolvantur Principis. Non ærarium Regis, sed spoliarium Civium, dixit Plinius, cruentarumque prædarum receptaculum, ubi sudore, & sanguine comparatæ Civium gazæ concreduntur pessimis illis aulæ Harpijs, Ministris, inquam ejusmodi, qui publicam pecuniam non in publica beneficia convertunt, sed in privatos fines pervertunt. Sanè Bonus Princeps publicarum pecuniarum custos, & dispensator ut communium Bonorum, non ut suorum esse debet.

Ranc9.

Arles.  
5. Polit.  
c 11.

7. Quintus Canon est: Paterna cura in subditos, ut videlicet hi videant se curari, amari, paternèque regi à Principe. Existimatio, & opinio

opinio hæc subditorum maximum Principi momentum est præ opibus, præ armis, præ Regnis 1. lib. I. de Cl. 310 ab  
 ipsis; nam & Regna & arma, & opes comparabunt isti ultroneâ alacritate, veluti mercedem Paternæ curæ. Prodigent substantias pro amato Principe, pugnabunt pro hoc, velut pro aris, & focus: ruent in obsequiû cæcâ quasi obedientiâ.

Abhinc securitas maxima Principi: Amor quippe Civium optimus Satelles. Ibat de more Rex Arragonum Alphonfus nullo stipatus milite, & admirantibus aliis insolitum, & nimis solitarium incessum, respondit: se quidem <sup>Ponor. mitan.</sup> minimè solum, ut illi credunt; sed innocentiam fultum gradi; neque esse, quod benevolentiam Civium fretus quidpiam extimescat. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum est, munimento non egere. At non eget, qui amat subditos, & amari potius ab illis, quam metui, vel saltem metum amore miscere, & ex utroque sibi venerationem comparare satagit. Metus, & Timor infirma vincula Charitatis sunt, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Itaque bonus Princeps (concludo cum Panegyrico) cum civibus suis, <sup>Tacit. in Agio</sup> quasi parens cum liberis, vivit. <sup>Plinius c. 21,</sup>

Lib. 1.  
de Clé.

8. Seneca quærenti, quid sit officium Principis? sapientissimè reposuit: quod bonorum parentum, qui obiurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus. Numquid aliquis sanus filium ad primam offensam exhæredat? nisi magnæ atque multæ injuriæ patientiam evicerint, nisi plus est, quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium styllum; multa antè tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam positam revocet: simul deplorata est, ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit; hoc, quod Parenti, etiam Principi faciendum est, quem appellavimus Patrem Patriæ, non adulatione vana adducti: Cætera enim cognomenta honori data sunt. Magnos & felices Augustos diximus, & ambitiosæ Majestati quidquid potuimus titulorum concessimus; illis hoc & illud tribuentes. Patrem autem Patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem Patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens; suâque post illos ponens. Ita verè Seneca, cui hoc subjungimus: subditi, qui sciunt Paternè se haberi à suo Principe; non magis Principem, quàm pro eo metuunt. 9. Sex-

9. Sextus Canon est, ut Princeps subditis non omnia neget, nec quævis indulgeat. Nec Catonem agat, nec Epicurum. Nec supercilium semper inducat, nec Luxum ferat. Romanam potius, quàm Platoniam sequatur Politiam. Hæc plus stoicam exigit disciplinam, illa moderatum inter extrema vitij, & virtutis sustinet Imperium, magis discreta, quàm morosa; genialis potius, quàm abstracta. Medius ibit Princeps, si populo oblectamenta & ludicra, quæ sumptus magnos, ac rei familiaris profusionem non requirunt; interim animos erigunt, spiritus vitales augent, Communicationem mutuam fovent & civilitatem inducunt, largiter concesserit, vel ipse etiam, ut multi Principes utiliter fecêre, instituerit.

10. E contra autem si contagium illud reipublicæ pestilens, immodicum nimirum luxum, tam in convictibus, quàm omni externo apparatu (qui ferme thesauros absument) moderatione tali, quæ medium inter duo extrema locum, turpis videlicet vilitatis, & lascivientis planè fastus obtineat, temperaverit. Augustus certè, Suetonio teste, civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Et tumultuante aliquando Popu-

lo Pylades Comicus svasit ipsi : Expedi tibi O Cæsar Populum circa nos distineri. Ludiera enim emolliunt bilem atram, à qua rabies, & tumultus. Feroces animi, non nisi per voluptates, quieti & otio affuescunt.

II. Ea autem, quæ luxus, non nisi in publicam perniciem excogitat, neque aliud, quàm ostentationis uanæ, æmulationis, & ambitionis, quæ aliud non, quàm Reipublicæ exitiosæ fomenta subministrat, proferbat penitus Princeps ex suis ditionibus, modum ponat argenteæ, aureæque suppellectili, numerosæ familiæ, Cœnis genialibus, mensisque sumptuosis. Non potest, dicebat olim Cato, salva esse illa Urbs, in qua piscis plus, quàm Bos venit. Conviviorum luxuria, & vestium fastus immodicus agræ civitatis indicia sunt. Mutationes in Republica fieri, asserit Aristoteles, cùm homines sua consumunt prodigè viventes. Hi enim tales res novas querunt, & aut ipsi Tyrannidi imminet, aut ad eam alios provocant, atque eam contendunt, ut privata sua Vulnera Reipublicæ malis operiant. Exemplum recentissimum est summi Gallie quæstoris Fouchet (In alia metuit sibi calamus se extendere; & aliqua non

non ita vetera apud nos sunt) Quæ spes deinde Principi opum publicarum esse poterit, si privatae opes perierint? Unde ærarium publicum instaurabitur? an ex vestibus detrahetur pretium? an ex auribus aurum? an ex lateribus palatiorum thesauri? privata res prolapsa nunquam implebit ærarij publici loculos. Erat olim tempore Tiberij ingens luxus Romæ, de quo Florus dixit: *Opes, atque divitiæ afflixere seculi mores, mersamque suis vitijs, quasi sentinâ, Rempublicam Romanam pessumdedere.*

Lib. 3.  
c. 12.

Contra hunc tamen Reipublicæ luxum Tiberius ad Senatum conquerens gravissimis Verbis exposulavit inquiring: quid primum prohibere, & priscum ad mores reducere aggredior? villarumnè infinita spatia, familiarium numerum, & quasi nationes? argenti, & auri pondus? æris tabularumque miracula? atque illa sceminarum propria, quæis lapidum causâ pecuniæ nostræ ad externas, aut hostiles gentes transferuntur? nec ignoro in convivijs, & circulis incusari ista & modum posci, sed si quis legem fanciat, pœnas indicat, ijdem illi Civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem expertem criminis clamabunt.

Tacit9  
13. An-  
nal.

Hæ tunc fuere Tiberij querelæ, & etiamnum hoc, quo scribo ævo, prosequendæ, ubi in tantum evasit in omni genere Vanitatis, sive luxûs, sive fastûs; tam in magnificentia Palatiorum & curruum, numero equorum & servorum, quàm in vestiario apparatu, ac palati lenoconcinijs, ut in incerto sit, an Provincias Austriacas magis tam diuturni Belli incommoda, quàm immodici, ac sine ordine ullo hinc illinc; sine omni personarum distinctione, profusi in luxum, & fastum immensi planè sumptus attriverint. Ordo Politicæ, decus est Reipublicæ, ubi sicut nobilitatis gradus differunt, ita externus apparatus differre deberet. Magna insolentia est, quod à Plebeis non dignoscantur amplius Nobiles, nec à Magnatibus discernantur Viri populares. Omnibus idem argentum, idem aurum, idem byffus, eadem purpura inservit. Pessimi hi mores in calamitosis temporibus! Fræno legum sumptuariarum hæc opus est; at vigent istæ plus in Rebus publicis Aristocraticis, vel Democraticis, quàm in Regijs Imperijs. Extat quidem Bragmatica Ferdinandi tertij; sed quàm usus jam pridem destituit. Sub Leopoldo facta, rursusque quidem iterata etiam me ad laborante, sed aurâ citius evanuit.



12. Sanè Leges sumptuariæ, imprimis Bel-  
lorum tempore, plurimum conducunt Princi-  
pi. Particularium opes thesaurum præstantæra-  
rio publico, quo uti potest in necessitate. Quem-  
admodum verò opulentia absque parsimonia  
non subsistit, ita rerum superfluarum abusus  
absque pauperie: hanc si times in Republica,  
tolle prius non necessaria, & superflua Edictis  
rigorosissimis. Nunquam Bella sustinebit Prin-  
ceps, nisi privati impendant suas opes: sed quas  
dabit inopia ex longo luxu contracta?

13. Corona legum est ipsum exemplum Prin-  
cipis, & aulæ. Præibit ille, sequetur hæc, hanc  
cæteri omnes. Vespasianus præcipuus adstricti  
moris Auctor fuit, ait Tacitus: antiquo ipse  
cultu, victuque, obsequium inde oriri in Prin-  
cipem putans, & æmulandi amorem. Tales  
plerique fuere Imperatores Austriaci, sed quo-  
rum egregia exempla rard æmulabatur aula.  
Valcant autem pænæ, & fiscus, si nihil possunt  
exempla & mores. Felicior in hoc Ludovicus  
XIII. qui promulgato Edicto sumptuario adver-  
sus immodicas in luxum expensas normam se se  
Gallis præstitit, & eam curam, ut historia te-  
statur, applicavit, ut accuratiùs servaretur,

quàm ullum aliud istiusmodi Edictum per tempora superiora. Valebunt exempla conjuncta ultioni in contumaces.

14. Est & aliud arcanum circa subditos verè Politicum, paucis syllabis expressum quidem, sed tanto majori sensu refertum, videlicet: **Divide & Impera.** Hoc arcanum primâ fronte nefarium credit aliquis Asceta, sed reipsâ in nostro sensu saluberrimum est Reipublicæ, & Imperantibus; neque meretur animi remorsum.

15. Consistit igitur in nostro sensu **Divide, & Impera** in eo: Ne Princeps unquam admittat suorum subditorum animos ita conjungi, ut officere possent suo Imperio. Quod, ut clariùs pateat, ostendo artem, modumque: ac præprimis quidem Impediet Princeps circumspectus qualescunque conventus, & congressus Civium frequentes. Quid enim subditi in privata communicatione consiliorum aliud agunt, quàm quoddam Reipublicæ negotia disquirant; Ministros fugillent, de impositionibus doleant, futura contingentia divinent, sæpe etiam Regis auctoritatem in vectivis pulsent, & centum talia, quæ animos commovent in suspiria libe-

libertatis deperditæ, vel vindicandæ; vel afferendæ. Unde Tacitus nihil adversus subditos pro Principe utilius esse dixit, quàm si illi in com-<sup>In Vitâ</sup> mune non consultant. Intelligit autem de con-<sup>Agric.</sup> venticulis privatis, vel conciliabulis potius, unde factiones prodeunt, & ubi seditiosa consilia agitantur. Utile quoque erit speculatores, & emissarios ( ut supra diximus ) habere, qui explorent multitudinis consilia, captent sermones, & genuinè referant explorata. Sicut, & negotia Statûs occulta maneant multitudini, ne occasionem habeant temerè Judicandi res supra captum. Denique repagula sint Principi in promptu, ne unquam possit multitudo eò devenire, ut Virium suarum magnitudinem cognoscat.


16. In hunc finem sagax Princeps fovebit aliqua diffidentia semina, in animis suorum Civium, quæ tamen nec vergere debent in perniciem illorum privatam, nec officiant Reipublicæ, nec Principi, ad eò, ut talis diffidentia potius illos contineat in officio, neque inducat in tentationem quidpiam moliendi adversus Auctoritatem Regiam, vel publicam tranquillitatem. Nam si unio animorum inter Cives turbulen-

tos fuerit perfecta, periculum est, ne illi insolescant, & majora sibi imaginentur, quàm par sit modestiæ subditorum.

17, Et hanc modicam, modestamque diffidentiam facilè fovebit Princeps, quia in magnis Imperijs, & Rebuspublicis plerumque per se sunt inter cives competentia, æmulationes, respectus, prætensiones &c. ut planè opus non erit diffidentiam illam vitiosam ex proposito seminare (quæ aliunde hæreditaria est, & ubique in Regnis, aulis, asceterijs, Dicasterijs, & ipsis Nosocomijs invenitur) sed fovere tantum tam in distributione munerum, quàm collatione gratiarum, sicque in usum suum convertere aliorum vicia. Plutarchus ipse testatur Lycurgum, in suam, quam instaurabat Rempublicam, quasi fomitem virtutis immisisse studium contendendi. Ubi subditi sibi invicem diffidunt, vix insurgent in damnum Imperantis.

Lib. 6. Cujus Iconem exhibet Polybius, non quidem in Regio, sed poliarchico Statu Lacedæmoniorum inquiens: Reges ne superbè, ac impotenter agerent, metus populi impediabat: Populus verò, ne Reges contemneret, metu Seniorum cohibebatur, qui semper Justiori parti se

adjungebant. Et sic Senioribus veterem disciplinam retinentibus, quoties pars aliqua facta erat infirmior, inclinatione ac metu Senatûs ad illam, major erat semper evasura. Et hoc pacto constitutâ Republicâ Lycurgus Lacedæmonijs libertatē diutiùs conservavit, quàm sit ab ullo populo nobis cognito factum. Ita Polybius: nos quidem de hoc æquilibrio Politico alibi. Interim certum manet: subditis inter se mediocriter alienis, sibique invicem diffidentibus uti posse Principem in rem suam utiliter, & tutò.



## CAPUT XV.

### *Arcana Circa Vicinos.*

**L** Una præcipuè movet inferiora, non quia

efficacior, sed quia propior: ita multum habet momenti in statu Politico ad res tentandas, observandas, & conficiendas ipsa vicinitas. Nihil verò periculosius, quàm medijs Principes inter potentes vicinos. Potentes Principes inferiora premunt. Expertus nunc sæpe Sabaudus, & olim Reges Navarræ Gallo, & Arragonio medijs, & utrique Impares. Alphon-

Minist.  
Richel

fus Rex comparabat illos intermedijs habitatoribus, qui à fumo inferiorum exercentur molestè, & à superiorum strepitu turbantur.

2. Ejusmodi Principes medij, si suis rebus consultum volunt, hoc pro arcana cautela habeant: ut primò non credant magnis promissis Potentiarum, à quibus in partes trahuntur. Qui multum promittunt, parum exsolvere cogitant. Talia promissa in escam potius, quàm in debitum cadunt. Secundò, ut dispiciant sollicitè, cui se se dent, cui se negent. Et si se dant, ita se se dent, ut sui copiam semper retineant: neque ita acerbè bellum faciant, ut cui se se negârunt, ad amicitiam non pateat regressus. Præ omnibus autem caveant, ne perfidi, sed cauti, & discreti inveniantur. Perfidia enim omnem amicitiam intercludit, cautæ & discretæ verò actiones existimationem pariunt.

3. Utrobique palmari errore notatur modernus Bavarix Dux, qui, Anno hoc, quo scribo, à Ludovico XIV. ingentibus promissis persuasus, se se Gallix ita addixit, ut contra Investituræ Ducalis Sacramentum, Imperium hostilibus armis invaserit, & ex improvise, liberam S. Imperij urbem Ulmam, Augustam,

ac fermè Ratisbonam occupaverit, plura aufurus, nisi bina ad Donawertham & Höchstettam accepta clades stitisset temeritatem. Inde publicus Imperij hostis declaratus, tandem Bannitus, & omnium S. Imperij Ordinum odio expositus, extam conspicuo Electore Principe, privatum apud Gallias agit. Misera profecto Sors tanti Heröis, Gallorum illecebris corrupti! Exitum tempus dabit: Cœlites dent propitium!

4. Sapientiùs Cardinalis Lotharingus egit, & pro Duce fratre respondit Ludovico XIII. Nancæum obfirmatè in depositum petenti. Labet Cardinalis sensum exprimere. Conditionem istam, dicebat ille, aded esse sævam, ut fratri Duci eam nunquam audeat svadere, cùm ipsa fors belli nequeat ipsum severiùs compingere, quàm metropolim sibi adimere, & alienæ voluntati subjicere. Se non dubitare, de Regis proposito servandæ fidei, vicissitudines tamen rerum fieri, ubi malevoli possent Regi, nescio quam offensam, & pactorum transgressionem suggerere, & causã non reddendi deinceps Nancæi excogitare. Quantã deinde ignominiã notandus veniret frater Dux, si sub oculis universæ Europæ, sine lucta, & necessitate traderet

deret locum per univcrsum orbem terrarum munitiffimum. Tum subjungit rationem : fate-ri fratrem Ducem se se inter Duos Principes me- dium , adeoque altiore minervâ instituenda consilia. Ne videlicet tradito Nancæo satisfaciat Regi , & malevolentiam Imperatoris mereatur , cui Ducatum Lotharingæ acceptum ferre debet nomine feudi Imperij , constetque ip- sum confectis rebus Germaniæ invadendum. Ita ferme Cardinalis.

5. At verò si medijs Principibus inter poten- tes Vicinos subsistere periculofum , periculofius erit se rectè continere , si Vicini planè diffideant , & invicem Bella moveant.

Statistæ quidem autumant tali casu aggre- diendos à tertio , utpote mutuis cladibus jam afflictos & debiles : vel unum Juvandum con- tra alterum , & Successivè ambos debilitandos ac tandem opprimendos , ut cum Græcis Re- gulis quondam fecerunt Turcarum Sultani ; quod inter Christianos Principes minimè licebit , nisi ex necessitate defendendi sui , suorúmque , vel recuperandi occasione. Omne enim Bel- lum non necessarium , est injustum ; omnéque injustum , manet illicitum.



6. Neque periculo vacat dissidentes aggredi, ne videlicet arma jungant in tertium, ut sæpe factum. Id Catus Dux Daciæ hoc symbolo repræsentavit. Ubi in Comitijs Nobilium duos feroces molossos detractis catenis invicem comisit, & ad utriusque mutuo sibi inflictos graves & cruentos morsus, caninam hanc Monomachiam diu aspexit; tandem lupum intramitti iussit. Tunc ex abrupto compositi canes, quasi inducias pepigissent, irruunt in lupum unitis viribus communem hostem persequentes. Ita sæpe ex hostium conjunctione oppressi Principes, qui alieni mali opportunitate, sua commoda intendebant. Utiliter quidem aliquando, sed non semper tuto piscamur in turbido. Astus supra astum est. Etiam Potentes vicini caveant à Medijs Principibus. Non verba, sed actiones illorum observent. Astu sunt hi pleni, & continuo velut ex specula ad progressus vicinorum attendunt, atque insidias meditantur; cavillandi opportunitates quarunt: submissiones non tam sinceri cordis, quam suæ cognitæ imbecillitatis præferunt. Ideo aliam necesse est institui fiduciæ ratioem, quando medius Princeps vel verborum fidem elusit,

vel palàm fefellit. A tali Principe citra Justitiæ læsionem affecuratio, sive depositum exigi, & si renuat, velut hostis tractari debet. Fœderati Belgæ in Imperij limitaneo, dum cum Hispanis bellum haberent, arces extruebant, & invadebant Cliviensis & Colonienfis Principis Status, vi, damnisque plurimis illatis. Mirum id multis, & iniquum videbatur: at si privata licet interdum componere publicis, verissimum est, Legis Aquiliæ actionem cessare, dum quis propter imminens incendium, Vicini decussit tectum, parietem, & similia; ob justum nimirum metum, ne permisso pabulo ulro serpat ignis in vicini ædes: ita multò majori Jure in Publica Statûs causa, ubi ab hoste ex vicini territorio Impressio fit, licebit inibi obviare, & etiam invito Vicino præsidia militaria imponere, agros occupare, non quidem in vicini noxam, sed in defensionem sui, & offensionem inimici. Fœderati Ordines ita discurrebant: vel licebat Hispanis armatis Cliviensem, & Coloniensem agrum ingredi, vel id per vim invitis Colonienfibus & Cliviensibus fecerê? si primum: liceat & illis. Si secundum: expedit, ut inde Hispani expellantur, quòd per vim arma intulerunt. Frustra

præ-

prætenduntur iniqua esse, si ea egere scederati, quæ prius Hispani.

7. Aliena, & nostra pariter sunt, quæ necessitatem ex Jure Gentium arguunt. Defensio, necessitas quædam naturæ est, & Gentium; inde hostem petere, unde petor ab illo. Iniquum est alteri negare, quod inimico ipsius admiffi, & tibi nocere non valet. Sub hoc tamen prætextu dominia non debent quæri, sed deposita: Integra illa maneant Dominis suis, quoad omnia: solum defensionis necessitas, quæ Juris gentium est, excipi debet.

8. Rectè distinguit quidam Juris publici Interpres: Dominium nimirum rei, quod quisque sibi cum vicino communicandum non habet: & Dominium, quod quisque de Jure gentium, & naturæ in vicini dominio, ut suum meritò prætendit. Salvo illo dominio, hoc negari Jure non potest. Unde nemini inhiberi potest in alieno dominio defensionem illius loci fuscipere, per quem damnum sibi inferi intelligit, nisi ipse loci dominus valeat illud defendere pro vicinorum securitate. Arcanum etiam Statûs est, ut, si cum duobus Vicinis Bello implicetur Princeps, cum alterutro transigat, ut

uni par sit. Quod sæpe feliciter practicavit Ludovicus XI. & Franciscus Galliarum Reges. At quæres incidenter: Cujus Principis, inter vicinos, patrocinio se subijcere oportebit, cum hosti pares non sumus? breviter dicam. Nec potentiori, nec proximiori; sed illi, qui in defendendis nobis pariter agit causam suam.

9. Ex Arcano Statu incumbant Principes artibus legitimis, & Justis (non Bello offensivo, atque tali casu injusto) ne Vicini Regnantes potentiam, & alienis exuvijs, ac usurpatione sint nimij, auctique tam malis artibus. Si sint? omni Studio diminuunt. Magna in hoc Prudentia Laurentij Medices, qui Principes Italiae in ea continuit æqualitate, ut nullus fere præponderaret alteri: adhærendo debiliori contra potentiorum, donec ad priorem æqualitatem redierit. Id ipsum rara arte Ordines Imperij cum Imperatore ipso agunt. Is enim cum maximus sit in Europa, & conjunctus Imperio potentissimus, ne magnitudo, & potentia isthæc in necem ipsius Imperij vertatur, procurant hanc tantam Imperatoriam Auctoritatem hinc inde mutilare, per capitulationem, in quam Jurat ille in sua inauguratione, & ex inde fit

lex fundamentalis Imperij, quam specialiter ante Bellum Gallicum, liga Rhenana propugnabat. Idem Consilium fovet de familia tota Auftriaca, quæ est domus Cæsarum. Hanc Magnam volunt, sed non maximam. Nunquam finunt illam opprimi, sed maturè præcavent, ne illa opprimat Imperium. Metuunt antiquæ libertati, quam vix alia Domus tollere Imperio valet, quantumvis ista nunquam illi infidiata fuerit, licèt forsan potuisset tempore Fridlandiæ Ducis, qui Cæsareo exercitui ex centum millibus composito præerat, & gestiebat avidè Imperij Principes subijcere Imperatori, ut ultimi duo Reges Galliæ sibi mancipârunt Principes, & Principatus fiduciariorum Regni, non minus olim liberos, ac nunc sunt S. Romani Imperij Principes absoluti.

10. Ad hujus arcani vim singulariter etiamnum attendunt Veneti circa vicinas maximè potētias Europæ. Et priori ævo omnibus incumbēbant viribus, ut Francisco Sfortiæ Ducatus Mediolanensis restitueretur, obque hanc rationem varia inibant fœdera, ne præstantissimus ille Italiæ Ducatus accederet alicui Potentiæ externæ, sive Hispaniarum, sive Galliarum, unde metus foret Italiæ reliquæ occupandæ.

11. Exinde oritur quæstio, an metus ob augmentum Potentiæ sufficiat ad movendum Bellum vicino? Ante decisionem distinguo, duplicem esse metum: affectatum, & fundatum. Ille fucatus, hic solidus: species, & prætextus, vel anilis formido est ille: hic innititur ve evidentia, vel certitudini morali. Item metus est Virtus in Viris fortissimis, & vitium in debilibus. Viri fortes metuunt cum ratione, & raro: debiles semper, & cum pusillanimitate.

12. Affectatus metus, Belli nulla causa est: Futurum etenim, ait Thuajdides, adhuc in incerto positum est, & neminem oportet eò commotum inimicitias suscipere, non jam futuras, sed certas. Sæpe calumnia adducti, aut inani suspicione eos metuunt, qui nihil tale facturi fuerant, nec fortè cogitaverant.

13. Metus, fundatus ad minus, si non evidens, involuit moralem certitudinem, quæ vel ab hostili apparatu, confœderationibus nimis, suggestionibus seditionum in alienis Regnis sufficienter concludi potest, ut nec dubitare liceat, quin vicinus aut aperto Marte, aut ex

Gellig. lib. 7. cap. 3. insidijs invasurus sit vicinum. Tunc ex Status arcano *Injurias imminentes præcavisse, ju-*

*stum est magis, quàm expectavisse.* Non tu-  
tò recipitur anguis in sinum, in herba potiùs  
occidi debet. Natura non negavit præven-  
tioni locum. Tempus hosti deferre, est sibi aufer-  
re Victoriàm.

14. Hoc Arcano, ut jam alibi insinuavi-  
mus, parcè utendum Christiano Principi adver-  
sùs Christianos Vicinos, quia sæpiùs ambitio,  
& æmulatio, rancor, livor & Invidia inde  
quærit prætextus, & fundamenta dominandi,  
licèt tota arcani vis in se honesta, & rationa-  
bilis, ac Jure Naturæ & gentium fulciatur.  
Nam si etiàm Jure civili licet obviam ire sce-  
leribus cogitatis, nec operiri ea, sed ante-  
quam admissa, & perpetrata fuerint, avertere,  
corrigere, & punire aliquando: quantò ma-  
gis Imperanti, ubi non unius sceleris admit-  
tendi causa agitur, sed ipsa Respublica pericli-  
tatur.

15. Interea Magni Augustini Sententia: mul-  
tò major felicitas est Vicinum habere concor-  
dem, quàm Vicinum subjugare bellantem. Lib. 4.  
de civit  
DEI  
cap. 15.  
Optandum profectò hoc est, procurandùm-  
que pro Viribus Bono Principi! verùm Arca-  
ni locò credat ille: nisi diligenter turbidorum  
homi-

hominum suggestiones, suspensiones, & ejusmodi causas æmulationis, & successivæ diffensionis inter Vicinos Principes præcaveat, avertat, & moderetur, se comperturum, non Poëtæ fabulam, sed veritatem illam irrefragabilem :


*Inter finitimos Vetus, atque antiqua Simultas,  
Immortale odium, & nunquam Sanabile  
vulnus.*

16. Ubi major locorum Vicinitas, ibi major animorum distantia. Vix unquam sine Jurgiis vicini: nisi dexteritate ipsorum vicinorum in tempore sopiantur. Corruptio optimi pessima. Vicinorum amicitia, fraternæ non absimilis, optima, & cordialissima est: at si hæc mutuis simulatibus corrumpatur, erit, ut fratrum solet, odium implacabile. Inter primos Mundi fratres Cainum, & Abel: Inter primos maximi Orbis Imperij Conditores, & uterinos fratres Romulum, & Remum maddere debuit fraterno sanguine ferrum. Ex optimo Vino acerbissimum conficitur acetum, ex magna amicitia vehementissima exacerbatio.



17. Denique etiam illud arcani locò, habendum Principibus Vicinis, ne alios potentiores Principes vel vocent, vel inducant, vel induci sinant in viciniam. Leones illi sunt, ac esse volunt aliarum ferarum sine distinctione Domini. Hoc Græcorum Rempublicam bis perdidit; insidiante Philippo primùm Macedone, & deinceps Ottomanis Principibus plus æquo se Græcorum causis ingerentibus. Hoc Europæ delictum, Italiam, sæpe numero ingentibus cladibus affecit: hoc jam aliquoties olim sub Friderico, Henrico, aliisque Imperatoribus Romam vastavit, Pontifices carceribus inclusit, susque deque sacra profanis commiscuit. Præstat vicinis domi concordia, quàm foris quærere auxilia. Concordes illi, evincunt omnia: divisi, nihil. Omne quod est, tam diu est, quamdiu unum est.

Ait Plato.



LIBRI II.  
PARTIS I.  
INDEX.

- A.
- Abusus potestatis non exsolvit obsequium cap. 3. num. 30. de hoc temperamentum S. Augustini ibidem.
- Acta Prædecessoris, non tenetur Successor Princeps servare, nisi id exigat Reipublicæ dignitas cap. 3. num. 24. 25.
- Aditus ad Regnum cap. 4. num. 1. & seqq. Aditus Regni duplex est. ibidem.
- Adulatores pessima laudant, vitia excusant &c. cap. 6. n. 6.
- Affectatus metus, Belli nulla causa cap. 15. num. 12. 13. metus iustus raro intercedit in suscipiendõ Bello, sed æmulatio. c. cod. num. 14.
- Alienos subditos. non licet in Clientelam suscipere, præsertim Rebelles c. 1. num. 14.
- Amicitia reconciliata utrinq; periculosa c. 13. num. 14.
- Æmulatio Aulica exemplo Belgarum num. 17.
- Anarchia libero folio quandoque succedit. cap. 4. num. 5.
- Animus humanus Respublica quædam est. cap. 2. num. 1.
- Annæ Reginae Angliæ encomium cap. 5. num. 10. ad fin.
- Anonymi cujusdam iudicium, quod Reges tantum Galliæ absolutam habeant potestatem à DEO. cap. 1. num. 5. illius rationes, num. 6. reseruntur, num. 7.
- An Jurisdictio in alium, sit in hoc subjectionis indicium. cap. 3. num. 22. resolvitur affirmativè num. seq.
- An liceat alienum solum armato ingredi, ut suum inde hostem pellat. cap. 15. num. 6. ad fin. num. 7. in princ.
- An ob augmentum potentia liceat Bellum vicino inferre, cap. 15. num. 11.
- Appanagia qualiter danda, cap. 12. num. 9. 10.
- Arcanum pro Domo Austriaca cap. 4. num. 9.
- Arcanum in noviter adepto Principatu est, non statim immutare omnia. cap. 7. n. 13.
- Argumenta Luynæi ad privandum tutelâ Reginam Franciæ. cap. 7. num. 6.

- Armatae preces subditorum vix exaudiendae.** cap. 12. n. 14.
- Austriaci (& omnes prudentes Principes) successorem quaerunt in Domo sua.** cap. 4. num. 6. & 7.
- Austriacorum encomium apud Galliae Historicum.** cap. 4. num. 8.
- Authoritas in principio Regni nemini communicanda.** cap. 7. num. 5.
- Authores potius puniendi, quam ex respectu, vel obsequio complices.** cap. 12. num. 15.
- Auxilia potentia plus saepe noxia sunt, quam utilia.** cap. 15. num. ult.
- B.
- Batavorum seditio in suum Principem.** cap. 3. num. 37. convenisse videntur cum Hispanis, ibidem.
- Beneficia Principis multum conducunt in novo Regno.** cap. 7. num. 11. qualis in hoc Tiberius. cap. eod. num. 11. 12.
- Benevolentia per diffidentiam contemptum crescit.** cap. 12. num. 5. ad fin.
- Benevolentia extinguit diffidentiam.** cap. eod. num. 8.
- C.
- Catharina Regina Franciae exul.** cap. 5. n. 11.
- Caesaris Augusti felicitas.** cap. 3. num. 26.
- Cedere debet amor sanguinis bono Publico.** cap. 12. num. 14. exemplo Philippi II. Hispaniarum, & Caroli VII. Galliae Regum. num. 16. animadversio tamen in suos esto moderata. num. 17.
- Compatendum suo sanguini.** cap. 12. num. 13.
- Certus successor Arcanum est Regni.** cap. 4. num. 6.
- Concors Familia est Arcanum Regni.** cap. 12. num. 1.
- Consilia in principio Regni sunt obiecta.** cap. 7. num. 7.
- Conringij scandalosum Arcanum.** cap. 3. num. 37.
- Cupiditates Principum.** c. 6. n. 7.
- Cupiditas immodica dominandi in Henrico IV.** cap. 6. n. 4.
- D.
- DEUS causa est immediata omnis potestatis: Electores autem sunt modi acquirendi.** cap. 1. num. 10.
- Differentia inter bona Regni, & privata Regnantis.** cap. 3. num. 26.
- Difficultas recuperandi, non est signum abdicationis.** cap. 3. num. 37. recensentur alia abdicationis signa. num. 38.
- Diffidentia modesta Lycurgi exemplo.** cap. 14. num. 17.
- Diffidentiae semina modica.** ibidem. num. 16.

- Digressio Authoris. cap. 10. num. 18.
- Divide & Impera. cap. 14. n. 14. in quo consistit Arcanū hoc num. 15. magna hic sagacitas requiritur. ibidem.
- Divisio Regni ex Aristotele. c. 2. num. 3.
- Dominiorum distinctio. cap. 15. num. 8.
- E.
- Educatio Regiæ Sobolis mala, displicet Populo, cap. 6. n. ult.
- Electio libera nihil obstat Regiæ potestati. cap. 1. num. 47. cap. 3. num. 4.
- Electio quid? cap. 4. num. 3.
- Electio, quibusdam, potior successione. cap. 4. num. 4.
- Error Bavariæ Ducis cap. 15. num. 3.
- Error eorum, qui Majestatem reponunt radicaliter in populo vel Electoribus. cap. 1. num. 11.
- Exemplum Principis. cap. 24. num. 13.
- Excusatio Lanienæ Parisiensis à Thuano Parlamenti Præside cap. 3. num. 35. per totum.
- F.
- Fama prima, semper magna cap. 7. num. 3.
- Fœminarum ineptitudo ad Regnandum describitur. cap. 5. num. 9. in Regnis successivis tolerantur. cap. 5. num. 10.
- Fœminæ in utramque partem exploratrices. cap. 9. num. 9. multum possunt. cap. 10. num. 7.
- Fœminæ in Imperium non assumuntur. cap. 11. num. 3. præsertim in Francia num. 4. quia plus perniciosæ, quam utiles. num. 5. ut exempla docent. num. 6.
- Fœcunditas spectanda in conubio Regio cap. 10. num. 3.
- Religio. num. 4.
- Feudalem subjectionem vix comitatur Majestas. cap. 3. n. 18.
- Feudi gratiâ citati magni Principes in Jus. ibidem.
- Finis Imperantium cap. 6. per totum. ejusdem eminentia. num. 3. ad hunc duo conferunt. num. 4.
- Firmissimum Imperij latus Nobilitas. cap. 13. num. 3.
- G.
- Galliæ Reges, Vasalli titulum nolunt. cap. 3. num. 22.
- Gens Morevinga. cap. 2. num. 10.
- H.
- Henricus Regnum Poloniæ deseruit, factus postea Rex Franciæ. cap. 5. num. 7.

- Henricus Rex Angliæ, quantus in cognoscendis externis Aulis. cap. 9. num. 1.
- Henricus IV. Rex Franciæ, qualis in amore Fœminarum? c. 10. num. 2.
- Hominis Natura mirabilis & difficilis. cap. 9. num. 1.
- Hostes uniuntur aliquando contra tertium, & væ huic. cap. 15. num. 6. Ducis Daciæ egregius ibi Apologus. ibid.
- Hungariæ prætextus & seditiones. cap. 3. num. 33. Regis captivitas machinata ab Hungaris. num. 34.
- I.
- Icones Animorum unde? cap. 9. num. 10. describuntur Principes sanguinis. ibidem. Regni Magnates. num. 11. Aulici. num. 12. Clerus. num. 13. Nobilitas. num. 14. mediæ fortis Homines. num. 15. Plebei. num. 16. Cives populares & Consulares. num. 17. Milites. num. 18. Belli-Duces. num. 19. quibus temperatè concedenda potestas. num. 20.
- Imperium quid? cap. 2. num. 7.
- Indigni ne promoveantur. cap. 13. num. 6.
- Inolentia subditi in Principem, semper puniendâ. cap. eod. num. 14.
- Injustè offensâ Principe, restitui debent n. ult.
- Insultatio Procerum derogat Regiæ potestati. cap. 7. n. 9.
- Juramentum Officij nihil officit Majestati. cap. 3. num. 30.
- K.
- L.
- Largiendum, quod citra præjudicium fieri potest. cap. 12. num. 9.
- Leges sumptuariæ Reipublicæ utiles. cap. 14. num. 12.
- Lex fundamentalis Statûs Monarchici. cap. 7. num. 8.
- Lex fundamentalis Regni Galliæ. cap. 1. num. 5.
- Libertatis custodia, sunt Imperia non diuturna. cap. 5. num. 3. sed fallit quandoque. cap. eod. num. 4.
- Limneo duplex est Majestas. cap. 3. num. 10.
- Lipsij monitum. cap. 1. num. 12.
- Ludovicus XIV. cap. 8. num. 7.
- Luna quomodo moveat inferiora. cap. 15. num. 1.
- Lotharingi Cardinalis ad Regem Franciæ sensata verba. cap. 15. num. 4.
- Luxus, Romæ. cap. 14. num. 11.
- Luxus, Reipublicæ contagium. ibidem num. 10.
- M.
- Majestas comprehendit in se

- Dominium & Imperium. cap. 1. num. 10.  
 Majestas à quibusdam malè accipitur. cap. 3. num. 1.  
 Majestatis definitio. cap. eod. num. 2. immanet temper Principi, etiamsi ejus exercitio privatus sit. ibidem.  
 Majestas superiorem non agnoscit cap. eod. num. 3. exemplo Davidis. ibidem.  
 Majestas est indivisibilis. cap. 3. num. 6. nec dantur plures Majestates. cap. 3. num. 8. & 9.  
 Majestas mortuo Principe non redit ad populum cap. eod. num. 13.  
 Majestas an cum clientela subsistat. cap. eod. num. 16. an per capitulationes tolli possit cum effectu. cap. eodem num. 17.  
 Majestas interdum declinat propter Interesse Statûs. cap. eod. num. 19. Citra Majestatis injuriam potest superior ab inferiore suo feudum accipere. cap. eod. num. 21.  
 Majestas in qualicumque homine est semper Sancta & inviolabilis. cap. eod. num. 31.  
 Majestas quæ derelicta censetur. cap. eod. num. 36. per totum.  
 Magnates offenduntur cum per-  
 nicie Reipublicæ. cap. 13. n. 11. ex quinque præcipuè causis. cap. eod. num. 16.  
 Magnatum insolentiam quid causat. cap. 13. num. 12. remedia desuper. num. 13.  
 Magnates Belgij invisi Philippo Regi. cap. 13. num. 20. præsertim Orangius & Egmontius à Præfecturâ Belgij repulsi. ibidem.  
 Matrimonia Principum Arcanæ Statûs. cap. 10. num. 1. & per totum.  
 Matrimonia peregrina an præstent Principibus præ Domesticis. cap. eod. num. 2. quid de ignobili sentiendum? ibidem. quid in Religione disparsi? num. 4.  
 Matrimoniales Articuli inter Henriettam Gallia Virginem, & Walia Principem. cap. eod. num. 5.  
 Maritusne, an uxor majus periculum subeat ob diversitatem Religionis? problema. cap. 10. num. 6.  
 Matitalis coñventia turpis. cap. 11. num. 2.  
 Matrimonia Principum sanguinis, cautè permittenda. cap. 12. num. 11. 12.  
 Mediæ causæ determinantur à primâ. cap. 1. num. 4.  
 Medij principes malè subsistunt. cap.

- cap. 15. num. 7. quid illis ob-  
servandum. ibid. num. 2. & 8.  
Moderatum imperium. cap. 7.  
num. 10.  
Monitorium Regi Galliæ da-  
tum, à Vasallis. cap. 1. num. 9.  
Monarcha quid? cap. 2. num. 6.  
Motiva ad probitatem. cap. 6.  
num. 8.  
Muliebri imperium Justiniani  
Cæsaris cap. 11. num. 1.  
N.  
Natura Regnum docet cap. n.  
1. quod in animantibus pa-  
tet. ibidem.  
Naturæ affectus pronior in suos.  
cap. 5. num. 7.  
Nobilitatis conservandæ osten-  
ditur modus triplex. cap. 13.  
num. 4. subveniendo illi. ibi-  
dem. promovendo ibi. num.  
5. honorando num. 7.  
Nobilitatis Germanæ libertas  
& prærogativæ. cap. 13. num.  
7. 8.  
Novi Principes communiter  
applausum habent. cap. 7.  
num. 2.  
Novitas turbationi proxima.  
ibi. num. 14.  
Nôsse suos Arcanum maximum.  
cap. 9. num. 2. secus incurrit  
periculum. cap. eod. num. 3.  
Nihil tentandum foris, nisi Do-  
mi compositis rebus, cap. 12.  
num. 2.  
Nunquam se opponere licet po-  
testati Publicæ, quantumvis  
discolæ & vitiosæ. cap. 3. n.  
28. probatur. ibidem. num.  
29.  
Nuptiæ, sæpe pacis causa cap.  
10. num. 8. aliorumque com-  
modorum. Ibidem. num. 9.  
etiam magnarum hæredita-  
tum num. 13. ut apud Austria-  
cos, aliósque. Ibidem.  
Nuptias cur Principes contra-  
hant. cap. 10. num. 19. fallun-  
tur sæpe in illis num. 15.  
O  
Obediendum discolis, infide-  
libus, Tyrannis cap. 1. num.  
13. 14. cap. 3. n. 28. 29. & c.  
Occidentalis Imperij potior  
felicitas est à domo Austria-  
ca cap. 4. num. 7. c. 5. n. 5.  
Officium Principis. cap. 14. n. 9.  
Ordo in Politica conservat Sta-  
tus, sicut confusio evertit.  
cap. 16. num. 11.  
Ordines Imperij quomodo sa-  
tagunt Imperatoriam pote-  
statem minuere c. 15. n. 9.  
Osores Nobilitatis c. 13. n. 3  
P  
Pacisci cum Repub. non minuit  
Majestatem c. 3. n. 11.  
Pharamundus. cap. 1. num. 7.  
Persarum opinio de suis Princi-  
pibus. c. 9. num. 5.  
Periculum à vicini nimia poten-  
tia.

- tia cap. 10. num. 16. præfer-  
 tim, qualis modo Gallia est.  
 num. 17.  
 Plato duo exigit à Principibus.  
 cap. 6. num. 2.  
 Platonis oraculum. c. 13. n. 6.  
 Potentes vicini caveant à medijs  
 Principibus.  
 Potestas publica Unde cap. 1.  
 num. 1. 2. est à DEO num. 2.  
 id constat ex Scriptura. n. 3.  
 Potestatis nomine quid intel-  
 ligatur c. eod. num. 10.  
 Potestatem à DEO supremam  
 accipit Princeps cum pri-  
 mum eligitur, vel succedit.  
 cap. 1. num. 8.  
 Potestate non sunt, sed dig-  
 nitate Principes, qui vasalli  
 sunt. cap. 2. num. 9.  
 Princeps quis. cap. 2. num. 10.  
 Principis paterna cura multum  
 prodest. cap. 14. num. 7.  
 Principem oportet cum distin-  
 ctione imperare cap. eodem.  
 num. 2.  
 Princeps dominatur in omnia  
 bona subditorum ob salutem  
 publicam. cap. 3. num. 5.  
 Principes non subjacent huma-  
 no iudicio. cap. 3. num. 14.  
 nec legibus humanis, licet  
 d. vinis & naturæ. cap. eod.  
 num. 15. Ratio diversitatis  
 ibidem.  
 Principes quomodo censean-  
 tur promittere, aut promissa  
 servare. cap. 3. num. 17.  
 Principes, à subditis non ten-  
 tandi sunt armis, sed preci-  
 bus. cap. 3. num. 35.  
 Princeps à teneris assuescat  
 probitati. cap. 6. num. 9.  
 Præcavendum revolutionibus  
 Status in principio Regni c.  
 7. num. 4.  
 Præsenti statui se aptare. cap.  
 eod. num. 15.  
 Principibus sanguinis non licet  
 Matrimonia inire sine con-  
 sensu Regis. cap. 10. num. 10.  
 similiter procerum filia. n.  
 11. quod de consuetudine  
 est in Francia. num. 12.  
 Principes sanguinis nobilitatis  
 tutelares. cap. 12. num. 1.  
 non contemnendi à Rege.  
 num. 3. non tollendi Barba-  
 rorum more num. 4. mitius  
 tractandi. num. 5. exemplo  
 Ludovici XIII. ibidem Præ-  
 fecturis quomodo præficien-  
 di. num. 6.  
 Privilegia cautè, & moderatè  
 concedenda. cap. 13. num. 9.  
 interdum minuenda, tollen-  
 da. num. 10.  
 Puniendi, amovendi, qui in  
 Regia Familia suggerunt di-  
 scordias. cap. 12. num. 7.



- Q**  
 Quæstio, an Majestas sua Jura communicare valeat suis inferioribus? cap. 3. num. 7.  
 Quæ Fœminarum persuasio? c. 12. num. 8. ad fin.  
 Quando licebat interficere Julium Cæsarem. cap. 5. num. 28.  
 Qui ad Regnum admittendi vel arcendi. cap. 5. num. 3. per totum. peregrini. cap. eod. num. 6. Fœminæ. num. 8.  
 Quid sentiendum Christianis, de Principibus malis, discolis, infidelibus. &c. cap. 1. num. 14. 15.  
 Quid sub salute Publica intelligatur? cap. 6. num. 3.  
 Quomodo capit communio Civilis. cap. 2. num. 2.  
 Quomodo Principes jurent Pontifici? cap. 3. num. 20.  
**R**  
 Reformationes populorū fiunt per Gradus & sensim. cap. 14. num. 3.  
 Removere obices in novo Regno. cap. 7. num. 13. per totum. quâ ratione? ibidem.  
 Regem oportet nōsse omnia Regni commoda & incommoda. cap. 8. num. 1. & seq. non tam per alios, quàm per se. num. 2. exemplo Augusti Cæsaris. num. 3. cujus notitiæ fructus duplex. num. 4. præsertim in initio Regni. num. 5. quod magnū Arcanum est, & facile practicandum. num. 6. exemplo multorum Principum. num. 8.  
 Regibus Galliæ contradicium tam à Principibus sanguinis, quàm ipso Parlamento. cap. 1. num. 8.  
 Rex quid? cap. 2. num. 5.  
 Rex Galliæ suppressit auctoritatem Parlamenti. cap. 7. num. 9.  
 Regni Regūque Origo. cap. 2. num. 4.  
 Regnum quid? ibid. num. 5.  
 Regnum quod duplex, & quomodo differat? cap. 2. num. 4.  
 Regnum bene inchoandum. c. 7. num. 1.  
 Regni magnus labor. cap. 5. num. 1.  
 Regni pars melior, Nobilitas. cap. 13. num. 1. conservanda & fovenda. cap. eod. n. 2.  
**S**  
 Sceptrum in Gallia non habetur jure hæreditario, sed Regiâ lege. cap. 3. num. 27. examinatur ista lex. ibidem.  
 Secundis rebus modus ponendus. cap. 6. num. 6.  
 Sollicitudo Principis in noscen-

- dis suis subditis, capite. 9. Tributa minuenda. cap. 14.  
 num. 4. multum hæc boni num. 5. 6.  
 advehit. num. 6. 8.
- Sixti V. exemplo. num. 7.
- Secretorum Regni apud Mag-  
 nates occultatio cap. 13. n. 15.
- Statistarum periculosa consilia  
 circa medios Principes. cap.  
 15. num. 5.
- Successio quid? cap. 4. num. 2.  
 potior hæc electione, quæ  
 majoribus periculis subjacet.  
 cap. eod. num. 4.
- T
- Theodosius & Valentinianus  
 fovebant nobilitatem magnis  
 concessionibus. cap. 13. n. 8.
- Testamentum Caroli II. Hispani-  
 arum Regis disputatur cap.  
 10. num. 15.
- Tria impediunt probitatem cap.  
 6. num. 5.
- V
- Valentinianus noluit habere  
 consortem Imperij cap. 3.  
 num. 6.
- Varij naturâ populi varium exi-  
 gunt Regimen. cap. 14. n. 1.
- Veneti. cap. 15. num. 10.
- Vetera tollere, nova invehere  
 periculosum est. cap. 14. n. 4.
- Vicini potentia quomodo atte-  
 renda? cap. 15. num. 9.
- Vicinatorum jurgijs præcaven-  
 dum. cap. 15. num. 15.
- Vnica est Majestas cap. 3. num.  
 12.
- Vnius, plus quam par est, apud  
 Principem existimatio. cap.  
 13. num. 19.
- Vxor Regia, dignitatis magis  
 nomen est, quam Voluptatis.  
 cap. 10. num. 2.



OBSERVATIONES REGIÆ

# ARCANORUM

S T A T U S

*LIBRI II.*

P A R S II.

DE

OBSERVATIONIBUS REGIIS

EX

*ARCANIS STATUS*

Circa res magis particulares  
Principum.

OBSERVATIONES REGIÆ  
 Ex  
 ARCANIS STATUS.

OBSERVATIO I.  
 Circa Famam, & existimationem  
 Principis.

1.



Æteris mortalibus in eo  
 stant Consilia, quod sibi  
 conducere putant: Prin-  
 cipum diversa est fors, qui-  
 bus præcipua rerum ad  
 Famam dirigenda. Hanc famam sibi  
 comparant Imperantes triplici virtute. Ma-  
 gnificentiâ nimirum, Magnanimitate, &  
 Providentiâ. Magnificentiâ: De Ve-  
 spasiano testatur Tacitus, quod omnium, quæ  
 diceret aut ageret, fuerit Ostentator Magnificus.  
 Nam externis trahitur Populus, decorem suspi-

cit & æstimat, atque in humanis omnibus multum opinio operatur. Despectui sunt Principes, qui supra vulgum non se erigunt. Magnificèntia & ostentatio Scipionem inaudito apud Romanos exemplo, vix viginti emmensis annis ad armorum imperium in Hispanias promovit. Fuit ille (scribit Livius) non tantùm veris artibus, animique dotibus mirabilis, sed arte quoque quâdam adinventâ, & in ostentationem compositâ omnibus charus.

2. Magnificentiâ excipit Magnanimitas. Hæc ratione vincit pericula, & generositate dissipat obstacula. Prudentiâ conjuncta, omniũ in se trahit animos. Magna fortuna est esse Regem. Magnam autem fortunam magnus animus decet, qui nisi ad illam se extulerit, & altior steterit, illum quoque infrâ terram deducet. Sixtus V. ante Papatum ex Monacho Cardinalis, cum de Henrico III. Franciæ Rege audiret: illum infrâ Regiam Majestatem plus cum monachis, quàm cum Regni Proceribus: & sæpius in claustris, quàm in Curiâ degere: memorandum hoc edixit: quantùm connititur bo-

nus Rex, ut esset Monachus, tantùm ego olim procuravi, ut non fuisset.

Epiphanes, & Ramirus aded abjecti fuère animi, ut pro fabulâ haberentur â proprijs Ministris, & domesticis. Miser Rex inermis, inferior egenus, miserrimus spretus, & contēptus. Satiùs est Regnum abdicare, quàm infra Regem vivere. Reges uti dominio, ita spiritu antecellant omnes. Sic in sua vota fortunam trahent, quæ apud desides diù non persistit. Talis autem spiritus nec emitur, nec facilè comparatur: beatus, qui eum cum primo aère hausit!

Alexander nec auro, nec milite validus, sed magnus spiritu Persiam intravit, subjugavit, & ad Indos & Gramantas penetravit. Cæsar ille primus, Rempublicam invictissimæ Potentiæ, libertatem que omnium Romanorum, unus ipse Romanus Civis oppressit. Romulus & Tamerlanes, uterque pecorum custos, duo fundarunt Imperia Romanum, & Indostanum. Hujus hæredes, & successores etiamnum magni Magol sunt. Machomet ex mercatore Prophetâ Dominus, tertiam Mundi patem occupavit, aded Fortuna audaces, vel

potiùs magnanimos singulariter juvat, & mens supra communem sortem elevata tantùm potest, quantum audet.

3. Magnanimum in omnia pericula sequitur Populus, certus de Victoriâ sub Leone Duce. Omnia magnanimo cedunt in obsequium ultionem, quia omnibus utitur ad magna quæque exantlanda : unde Civibus semper saltem spes est alicujus futuri emolumenti. Inter Gynecæa autem, & meretriculas desidem Principē, vel cum Parasitis, morionibus, & adulatorum fæce colludentem, & otiantem spernunt Regni proceres, & detestantur subditi, ob eorum sudorem, & sanguinem, quem contribuunt, distractum in ludicra, & obscœna. Quanti in otio magis graves sunt subditi, quàm alij in continuo bellorum motu.

Magnanimitate se in imensum provehunt Imperantes, præsertim sub initium Regiminis, vel in susceptâ aliquâ expeditione contra hostes. Ibi spem pollicentur de se maximam : hinc Regium ostentant animum : ut, quemadmodum illi quidpiam supra homines sunt, ita eorum co-

conatus excedant spæram privatæ Virtutis. Nec enim arma Scipionis, quantumcunq; â famâ celebrarentur, eum ita extulissent; nisi post susceptam in Hispanias expeditionem, præter omnium mentem, confestim ipsam Carthaginem (caput nimirum totius expeditionis) aggressus fuisset; vicissetq; cum immortalis sui nominis famâ. Bene ille: scire vis qualis sit magnanimitas? ardua illa petit; discrimina non fugit; nutritur periculis, Fortunam ipsam quandoq; calcat. Bourbonius Princeps Caroli V. Armorum Dux ab Alphonso Ferrariæ Principe monitus, ut præteritâ, quam jam tormentis quatiebat, Placentiâ, caput potiùs Italiæ universæ peteret, ac Romam arma converteret. Quod aded ex voto Bourbonij cessit, ut subactâ hâc, mox in totam Italiam arbitraretur Carolus. Magnanimi Principes non se facilè obvijs occupant; difficilia potiùs moliuntur, & discrimine majorem aucupantur gloriam.

4. Tertia Virtus obtinendæ, augendæ, & conservandæ Principū famæ, & existimationis est Providentia illa, quâ Imperantes cum maximâ eorū gloriâ prospiciunt incolumnitati omnium domi, forisque. **Domi:** procurando quie-



tem & pacem omnium, conservando justitiam, firmando legibus Rempublicam, invehendo abundantiam omnium per commercia, manufacturas, & omnigenas artium inventiones, montes pios, & magnarum usurarum omnem possibilem imminutionem &c.

*Foris*: prospiciendo incolumitati vicinorum Principum, fœdera cum externis contrahendo, opem ferendo &c. Respublica certè Romana maximam gloriæ suæ partem in eo collocavit, quod exteris quoque gentibus pacem dedit. Magnitudo Romana non minùs famâ, quàm virtute; non minùs gloriâ, quàm armis stetit. Magnum & terribile Romanorum nomen tam ad metum hostium, quàm ad munimentum amicorum valuit.

5. Leopoldus noster cum primum ab excessu Ferdinandi III. avita Regna adijisset, submisso in vicinam Poloniam à Sveco & Transilvano fermè devastatam, Daniâ etiam undequaque prædæ expositâ, Dantisco oblesso, Mari Balthico à Svecicâ classe occupato, illinc sub auspicijs Austriacis exercitu, rem supra omnem opinionem tantam confecit, ut in primordijs statim sui Imperij duos Reges Polonum, & Danum  
 utrum-

utrumque titubantem, ac jam prope labentem in Solium rursus erexerit. Gloriosum fuit ab omni ævo, eritque semper in feros usque annos Principibus id, si interventu suo vicinorum bella dissipaverint: si Reges exules reduxerint, vel eos petentibus dederint: si iniquè oppressis opem tulerint: si externorum intestinos motus composuerint, ac membra cum legitimo suo capite junxerint: si avitam libertatem revindicaverint: si in justo æquilibrio externas Potentias continerint: si pacis mediatorem ubique egerint: si diffidentium Principum causas, ut Arbitri, audiverint: si arma adversus inimicos fidei moverint, & Christianorum olim terras recuperaverint: si denique Tyrannos ex usurpatis dominijs, si Saracenos ex Christianorum terris, si Turcas ex Europâ profligaverint. Ejusmodi sunt, quæ famam, existimationem, & veram claritudinem Regij nominis undequaque Principi conciliabunt, ejusque remotissimæ etiam Gentes adorabunt arbitrium. Hoc olim Romana Respublica, & Alexander magnus in univèrsam prope orbem affectabat. Uterque ferè obtinuit, hoc solo discrimine, quòd iste præmortuus vix primis labris degu-

staverit ambrosiam Monarchiæ universalis : Roma verò nunquam emoriens multis sæculis Dominium, & arbitrium totius orbis habuit. Hoc Artaxerxes in Græcorum prætendebat inter se dissidentes Regulos, ac Respublicas. Hoc posterioribus temporibus Henricus IV. Borbonius in omnes Principes Christianos meditabatur. Hoc Carolus V. Austriacus : hoc Philippus II. Hispanus Rex : hoc etiamnum in totam Europam affectant Galli.

6. Gloriosa isthæc esse nemo diffitebitur, si limites Justi ac recti non excedant : si inde Principes non amittant fidem boni Viri. Ast ferme moribus Potentium receptū est, ut causam publicam agant ex causâ privatâ, & vicini causam suscipiant non vicini causâ. Præposteræ beneficentiæ est juvando opprimere. Frustra bona fama per fraudes & dolos quæritur. Frustra utilitas pro Jure habetur. Frustra speciem, prætextum, technas, & ejusmodi inania pro titulo & fundamento dominij usurpamus. Fama & infamia Regum & Regnorum non opinionis & nominis, sed actûs & efficaciam justis momentis æsti-

æstimari debet. Aliena spolia indignum præmium sunt, ob quod Justitia deseritur, & amicitia violatur. Num major potest Rex dici, nisi & Justior? aiebat Agefilaus. Num firmiores Status, quia injustè acquisiti? num auxilia dicenda auxilia, quæ magis necem procurant? Nulla illustrior fama, quàm ob bonæ causæ triumphum, ob cives servatos, ob pacem datam, ob hostes in amicitiam allectos. Auctoritatem non in se circumfert Princeps, sed in fuorum, externorumque affectus firmâ possessione. Apex supremæ existimationis est mite Imperium, liberalis manus, immaculata fides, invictus animus, arma opes, & jurata in omnes eventus Fortuna.

apud  
Plat.

## OBSERVATIO II.

*Quâ ratione interdum Sorti  
cedendum?*

I. **I**Nter regendi Arcana est nosse temporibus cedere, necessitati obsequi, sententiam cum re mutare. Hoc arcana

num est universale, & comprehendit in se quasi omnia regendi arcana. Quis enim unquam providus fuit (certè nec ex veteribus Aristoteles, nec Dion Cassius, nec Thucidides, nec Cornelius Tacitus, nec Mæcenas vel Agrippa: nec ex recentioribus Machiavellus, nec Cardanus, nec Boterus, nec Naudæus, nec ipse Cardinalis Richelius, & Mazarinus, alijque Scriptores Politici, & Statistæ) qui omnes temporum vicissitudines cognovisset, & præceptorum angustia conclusisset, vel tam universalia monita & arcana Imperantibus dictasset, ut ea omni tempore, omni Statui, omnibus circumstantijs aptari possent? Nullus mihi talis Apollo: alia alijs congruunt: alia tempora, aliæ leges: alij Status, alia præcepta: alij mores, alij Censores: aliæ Gentes, aliud Imperium. Aded hoc unicum arcanum Regnantibus præ alijs notatu dignissimum est, quo alia particularia arcana & præcepta noverint præsentibus, & è re natâ circumstantijs dextrè accommodare, seque tempore aptare, necessitati cedere, occasionem sequi, & cum re mutare sententiam.

2. Constantia mali nulla est, nisi boni inconstantia. In sententiâ quidem permanendum

dum Principi, nisi alia suam vicerit. Mutare consilium in melius quis erubescet? inexorabilis fit Cato, & quisque vir proprii sensûs : at Principem non animi sui sensa, non affectus, non conjugem, non liberos, sed boni publici securitatem sequi æquum est. Aliud privati circa se, aliud Principes circa alios agunt. Quis levitatem dixerit â cognito, & damnato errore discedere? quis dementiam, fidem non præstare errori? Consilia rebus aptari debent, non res consilijs. Igitur rectè mutari potest cum re consilium. Si necessitas derogat legi positivæ; si jura gentium temporis cedunt; si ipsa lex divina ad mutationem objecti & circumstantiarum, ut Theologi tenent, mutatur non quidem subjectivè sed objectivè : Quid igitur? an sola Principum consilia, sensus, & sententiæ, inter tot rerum vicissitudines, discrimina, & contrarietates, quibus subjacet materia Statûs, manebunt inconcussa, irrefragabilia, & nunquam mutanda? Protervia hæc esset, non Prudentia.

3. Rigor ille Stoicorum, ut refert Seneca, esse videtur : *Sapientem nunquam moveri* : non opinari, delicto nulli parcere, nunquam placari, nec exaudiri, famam & divitias inter delicta re-

putari, nullâ in re falli, nullius pœnitere, sententiam nunquam mutare. Non hæc Principis norma, non hæc regula Regni est. Princeps omnibus, sibi minimè, nisi propter omnes, vivit. Superi exorantur, flectuntur ad preces, suspendunt flagella, aurum depluunt, Empyreum quasi deferunt, & inter delicias reponunt, esse cum filiis hominum. An autem solus Princeps humanitatem exuet, & naturæ suæ impetus magis sectari, quàm consilia ad rectitudinis bilancem examinare audebit? non vult Stoicos, non Catones ratio Statûs, sed Principes ad humanitatem natos, ad omnem rationis legem flexibiles, ad omnem eventum providos, perspicaces, ad omne discrimen paratos. Rectè regent, si eos ratio rexerit; fallentur nunquam, si rerum eventus, & occasiones ex usu distinxerint. Feliciter agent, si tempora in rem suam observabunt, ita tamen, ut omnia subijciant rationi; cedant quædam quandoque tempestati; rebus præsentibus se accommodent; &, quantò majores sint, credant tantò majoribus, & pluribus casibus se esse obnoxios: ut vela sæpe mutare, jam in adversam sortē ire, jã cedere, jam lubricam arripere, jam propitiam conserva-


re; ut nimirum necessitatis & discriminis exigat ratio, conveniat. Ineluctabilia hæc Regnantibus sunt.

4. Non est sapientis Palinuri nunquam mutare velificationem, & eundem semper cursum sequi. In fluctibus, æstuque maris obsecundandum vento: non semper littus respiciendum, sæpè magis cavendum. Quanti in portu naufragi! Anchora salus, & perditio esse potest, ut videlicet tempus se flectit. Princeps offensus à majore, & potentiore Principe, quantumvis causas mille justas habeat; suppressere tamen debet vindictam, alia tempora præstolari, consilia aptare præsentis statui; cedere potius sine viribus, quàm cum bona causa planè perire. Princeps imparatus in quiete potius, & latibulo se contineat, quàm in apertum campum tempestuoso Cælo se discrimini exponat. Ferendum, quod vix emendandum. Non solo motu & agitatione corporis, sed etiam quiete curantur morbi. Alijs bellis illigatus Princeps dissimulet multa cum dolore, nec ultum eat, unde distrahi vires possint. In Curiâ, ubi certatur suffragijs, honestiorem: ubi manibus conscribitur & armis, firmiorem sequi partem oporteat.



In discrimine publico semper id statuitur melius, quod tutius. Nemo solâ audaciâ sibi bene prospicit: nemo rectè Rempublicam alex exponit. Actum agit, qui potentiam in præsens firmat, & futuro parùm prospicit. Si tempestas incumbit, si necessitas ineluctabilis imminet; tunc etiam littus infidum arripiendum, & quò animus non velit, eundum, sortique obsequendum. Optimum est â longè scopulos, & syrtes prospicere, ac in tempore se subducere discrimini. Si in uno latere inclinantis navigij non tutum invenis locum, ad alterum latus inclinabis. Non semper idem loquendum, non agendum; sed spectandum idem semper, videlicet salutem Publicam. De Julio Cæsare testatur Dion Cassius, quòd amicitias & inimicitias non odio, aut affectu; sed tempore, & rerum suarum proventu dimetiebatur. Et tu, mi Princeps! sepone affectum, æmulationem, interdum etiam optimam causam: distingue amicos, hostes, fœdera, bella, clientellas solâ ratione & decempedâ boni, & incrementi publici. Quæ in rem præsentem conducunt, sæpè futuro officiant. Attemperandum utrumque, ne huic & illi desint partes officij nostri. Quid prodest

præfens utilitas, unde exfurgit futuri mali formido, & difcrimen.



### OBSERVATIO III.

*Circa veritatem dignoscendam,  
audiendam.*

I. **M**AGNUM arcanum est Artes nosse veritatis dignoscendæ. Non est in aulis, & rarò inter Mundi Politicos veritas, nisi manus de Cælo illam scribat, ut Balthafari tripudianti, & inter pocula ovanti scripsit in pariete veritatem; sed sui fati ineluctabilis. Querebatur Ludovicus XI. se, cùm omnibus abundaret, solâ veritate destitui. Omnium rerum in aulis abundans est mercatus, præterquam veritatis. Hanc Regnantes per rarò audiunt, sæpè suo, sæpè Ministrorum vitio: sæpiùs incidit apud utrosque defectus, & in Principe nolente vera, sed sibi grata audire: & in Ministris ad genium Principis inclinatis, vel institutis, vel coactis. Distracti affectibus animi nunquam verum penetrant. Ubi majus in

orbe odium, livor, æmulatio? quàm in aulis: & ided nullibi minus veri comperitur, quàm apud Aulicos.

2. Exhibuêre id âb ipso Mundi nascentis exordio quique cætus hominum, caulæ, & Aulæ omnes. Ipsa prima Paradisi Aula serpentem habuit, qui primis Principibus Adamo, & Evæ insufflavit spiritum mendacij cum jacturâ totius posteritatis. Exhibent etiamnum id Christianorum Principum Aulæ, & Dicafteria, Sacraria ipsa Antistitum. Sed odiosa sinamus, & revertamur potiùs ad Claudij, & Neronis tempora, imò ad sapientissimam illam Patrum Romanorum Rempublicam, ubi summum nefas veritatis purpurisso comebatur in perpetuum dedecus antiquæ virtutis. Tacitus expressè refert, quòd Patres illi Romani incæstuosas nuptias Claudij cum Agrippinâ è Republicâ fieri palàm statuissent. Matricidium Neronis in Agrippinam publicâ animaduersione dignum, cum plausu exceptum, publicis supplicationibus sacratum. Poppæâ Ottoni raptâ, Octaviâ innocenter profligatâ Dijs gratiæ actæ. Cruelitatis mille exempla, & immania quæque scelerum portenta, quæ tam â Nerone, quàm alijs post eum Principibus patrata, festivâ gratulatio-

latione, quasi de triumphatis Regibus & provincijs celebrata, quia id voluere ipsi Principes, & oppressâ libertate, Patrum suffragia ibant in ultronea obsequia partim metu, partim assentatione.

3. Quod Alchymia nunquam fermè potuit, invenit assentatio, lapidem nimirum Philosophicum: quo, sicut illa tingit in aurum metalla, ita hæc vitia Principum obtegit, & falso veritatis fucò expolit iniquitatem. Qui toti mundo sceleratissimus est Princeps, sibi est probissimus ex adulatorum sententiâ. Actum de veritate in Aulis, quam nec Imperans gratanter audit, nec subditus illam suggerere audet. Misera Principum conditio, coram quibus aut vera metu reticentur, aut assentatione improbissima quæque probantur. Ubi verò aut dissimulatione gravia tolerantur, aut arcanâ prudentiâ iniqua temperantur in melius, tunc planè est arcanum artis non minus rarum, quàm maximum. Dixi proinde *arcanâ prudentiâ*: sunt etenim, sed rari, qui inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium medio itinere pergunt; & nec assentantur Principibus, nec importunè hærent in auribus: sed variè ali-

quando, si non in melius, certè non in deterius, flectunt, & moderantur Principum senſa, emolliendo, avertendo, temperando, ne planè omnia in peſſum eant.

4. Talis olim erat M. Lepidus ſub Tiberio : nam pleraque, ait Tacitus, à ſævis adulatoribus acta in melius deflexit, & tamen æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium vigit. Id ipſum teſtatur de Lucio Piſone, qui nullius ſervilis ſententiæ ſpontè Author, quoties neceſſitas imponeret, ſapienter moderabatur conſilia. Iſtud eſt ſapere, qui, ubicunq; opus ſit, animum poſſis flectere ajebat Terentius, at raræ aves iſtæ illo, & hoc ævo. Non ita Thraſea, non Pallas, non Narciffus, non Califfus ſub Claudio & Nerone : nec ita alij ſub alijs Principibus adultores, Palatini illi ex Cypro caniculi, in omnem partem verſatiles homines. Supprimunt iſti veritatem, fallunt omnes, mentiuntur, reſtringunt, & vultum à voluntate, ab animo verbum, ab intellectu loquellam ſejungunt. Magis attendunt ad utile, quàm ad honeſtum : ſicque hi tales omnimodè veritatem à Palatijs, à Dicasterijs, ab intimis reſſibus Principum eliminant. Et tamen ejusmodi  
for-

fortis homines admittunt præ cæteris Regnantes, quia ejusmodi, ut Asceta quidam ait, palpant blanditijs, & aures famæ bibulas calice Babilonis inebriant.

5. Melius ageretur cum Principibus, si scirent inter adulationem, & veram gloriam distingueret. Sed fastus, & cæca gloriæ ambitio plus credit alijs de se ipso, quàm sibi: utrumque tamen recipit indistinctè, & suum propij sensûs & Adulatoris falsum æstimium. Quanti ampliant eos beneficijs, quorum dulces astus, & mellitum adulationis toxicum terrere deberent supplicijs. Quanti ex his referunt veritatis præmia, qui nunquam veritatem dixerunt, sed in perpetuâ medaciorum caligine hinc inde, & in transversum traxerunt animum Regnantis. Idèd bonus Princeps, si veritatem audire, & dignoscendæ illius artes nosse gestit; inde priùs abigat Adulatores. Nulla cum adulatione veritati societas, nullum commercium, nulla constans subsistentia. Semper illa intermedium quoddam caliginosum interponet huic; ut vel non planè Princeps videat, nec cognoscat nævos suos, ac Reipublicæ pericula, ut in se sunt; vel si videat cognoscatque, ita repræsentabit Pa-

parasiticum illud vitrum, acsi minutia essent, vel  
 planè excusabit excusationes in peccatis, ad-  
 struendo vel necessitatis alicujus fictæ telum,  
 vel imprimendo Regium illud privilegium  
**Principibus plura licere, quàm privatis**  
 (quod arcanum quidem est statûs, si ab adula-  
 tione non provenit) bona autem, quæ in Princi-  
 pe sunt, vel decantabit nimium, vel si nulla  
 sint, ipsi attribuet, acsi essent, quæ non sunt.  
 Pari encomio celebrabit honesta & inhonesta.  
 Rard astu decipiet, & animum sibi obligabit de-  
 cepti. Hæ sunt adulationis insidiæ: hæc blan-  
 dientis mendacij lenocinia: hoc lethæum Circe  
 poculum, quo adultores optimum quemque  
 Principem in abstrusas, & ferinas formas qua-  
 rumcunque cupiditatum transformare valent.  
 Ah si recluderentur quorundam mentes, quan-  
 ta intûs possent aspici monstra livoris, ambitio-  
 nis, crudelitatis, avaritiæ, libidinis, malorûque  
 consultorum, quibus continuè agitantur in  
 effrenes & sylvestres planè motus. Abeat hoc  
 adulationis melle inviperatum poculum! Ab-  
 eat Parasitica illa meretrix adulatio! Inquinari  
 non vis mi Princeps? picem remove: Assenta-  
 rorum

torum commercium fuge : & ad sequentes artes audiendæ, cognoscendæque veritatis adverte.

6. Primum igitur semimoto Adulantium numero excitet in se ipso affectum, & desiderium veritatis audiendæ, penetrandæque : hocque externis expressionibus ita remonstret suis, ut tutò ausint vera referre : ac sine reprehensione vel periculo demeriti bona, & salutaria pro publicâ & privatâ Principis salute svadere. Nemo enim facile cum Clistene negabit Alexandro prætensam adorationem, quæ solis Dijs debetur, si inde expectet supplicium. Nemo reprehendet vitia Nicocreontis, si ad extremum tantis subijciatur tormentis, ut Anaxarchus illius reprehensor. Nemo loquetur veritatem, si tantum cum Solone pati debeat odium Cræsi. Nequaquam rectè aliquando dolent de suis Ministris Principes ; sed sibi imputent, quòd ab illis vera non audiant, quia ipsi audire nolunt, & veritatis luce nimium perstringuntur. Etiam in viros cordatos cadit metus eqvulei, exilij, degradationis, odij, aliorumque veritatis tormentorum.

7. Alterum veritatis dignoscendæ adminiculum est cognoscere errores pravæ suæ voluntatis



tatis, & vanitatē apprehensionum suarum. Veritati, rectoque consilio nullum planè contubernium est cum animo passionibus dilacerato, & in varios affectus distracto. Liber solùm animus, & nequaquam passionibus mancipatus perfectè res cognoscit, ut in se sunt. Considera Imperiorum præcipitia, Statuum vicissitudines, mortes violentas, aliosue casus Principum; & comperies omnes fermè derivasse ex intemperie illâ animi, sui impotentis, & inordinatis affectibus commoti. Bonum publicum majores Tyrannos non habet, quàm passiones Principum. Non tamen ille meus sensus est, ut affectus animi omnind tollantur, quia illi multùm addunt ad magnas, generosafque actiones momenti, neque natura frustra indidit affectus irascibiles, & concupiscibiles, qui licet ipsa virtus non sunt, sunt attamen auxilia virtutis, & igniculi quidam ad excitandos spiritus in operationes excelsas, generosas, securas, & bene regulatas.

8. Totum discrimen consistit in abusu & confusione eorum. Illum corrigat Princeps, & actiones suas non ad amissim affectuum dimetiatur, sed ex ratione dijudicet: sic veritatem

tem assequetur. Non debet Princeps operari ex inclinatione, non ex genio; sed ex arte, & arcano Statûs. Illius mores sunt magis Politici, quàm naturales. Unâ eadêmque hora & severitatem induet, & benignitatem; justitiam, & clementiam; liberalitatem, & parsimoniam; ut fert hora, ut casus, ut necessitas. Actum erit, cùm primum ministri dispexerint Principis inclinationem, genium, affectum: quamprimum sequentur ejus passiones; & consilia aptabunt genio, non veritati; affectibus, & non rationi Statûs. Sectatores veritatis se debent deserere, nudique comparere: Quemadmodum rectores hominum sibi dominari, & Populo Servire.

9. Tertio veritas regulariter est communis vox Populi: hanc nunquam spernat Princeps, sed in usum suum convertat. Vox enim Populi vox DEI est. Fama communis raro fallax arbitra. Dixi communis: non aliquorum, nec etiam multorum. Utrinque aliquando veritas hallucinatur. Unde non cuicumque linguæ, vel voci concedat aures; sed neque con-

temnat: suspendat potius, sæpè etiam iudicium vel oculo, vel ulteriori inquisitioni committat.

10. Quartò veritatem audiet Princeps ab illa sorte hominum, qui nullâ necessitate, aut dependentiâ tenentur Aulæ, Aulicorúmque; sed fermè privatim ex suis sibi vivunt, qui nec curant odia, nec quærunt commoda, nec affectant munia. His cordi veritas est recta, & simplex. Ministri etiam illi, quos Aulici horrent, & planè persequantur (aliàs vitâ integri, ac boni odoris famâ undique præditi) plerúmque veraces sunt; ex quibus discet Princeps utilia quæque sibi, & bono publico. Loquentur isti ex stimulo conscientiæ veritatem, quàm in his improbi alij oderunt: & fortassis, ne loquerentur, impedierunt. Spiritu DEI afflati quoque viri, quales sunt Episcopi, Viri Religiosi suggerent Principi, ut olim Prophetæ Regibus, multifaria; ex quibus cognoscet præsentia mala, futura remedia, & voluntatem Numinis. Ipsi inimici sæpiùs præ amicis dixêre veritatem Principibus: quantumvis apud illos iræ violentia, & amaritudo animi plura cuomet, tamen multa vera; si synderesim Principes in consilium vocaverint. Cordatè profecto

fectò aperuit, ut Tacitus recenset, Flavius Tribunus Neroni sensum animi sui: Amaveram, inquit ille, te, nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida Matris & Uxoris, auriga, histrio, & incendiarius Patriæ extitisti.

11. Quintò Ignotus ipse, apud notos sibi, ut plurimum veritatem absque fuce percipiet. Respectus personæ multum veritati dicendæ officit. Nemo prudens palàm, nemo in faciem obtrudet malum Regimen, prazos Principis Ministrorumque mores. Clam & in obscuro, ignotis quoque confidentiùs loquimur. Idè immiscebant se olim plebeis hominibus mentito habitu induti Principes, sicque ignoti apud notos movebant sermonem de Principe Regnante, de Ministris, de milite, de collectis, & tributis, ut inde vera addiscerent, & Populi in privatis contubernijs satù effusi opinionè, & momina rescirent. Quod sæpiùs Henrico IV. nondum Gallix Regi utiliter successit, & desiderium ac spem Coronæ (tunc ambigux) valde acuit.

12. Sextò famosi libelli, satyræ, & ejusmodi ludicra, in urbibus dominantibus consveta,


partus sunt magnorum ingeniorum, sæpè attingunt apicem veritatis, atque intima quæque multis dissimulationum involucris tecta detegunt, & candidè revelant. Plurima hinc dignoscet Princeps sagax propria & aliena, publica & privata, domestica & externa.

Frustra laborant Principes, qui satyras extirpare satagunt. Præscribunt proscriptæ: desiderantur prohibitæ: augentur punitæ: fulgent crematæ. Tres boni Imperantes, Theodosius, Arcadius, Honorius, Pater, Filius, & Ne-  
pos sanxerunt legem Codicis in libro octavo. Si quis in tantum præsumpserit, ut authoritatem nostram aculeatâ sermonis, aut scripti insolentiâ pulsaret, aut rationem Regiminis nostri temerario ausu impeteret, nolimus hisce declarantes, ut idèd talis ulli subiaceat pœnæ, aut in Jus vocetur, Quia si levitate commisit, dissimulandum: si per furorem, compatiendû: si per injuriam, remittendum. Alexander ridebat satyras, Augustus recompensabat, Tiberius dissimulabat, Titus contemnebat. Nil Regnantibus celebrius, quàm bene agere, & malè audire; nil facilius, quàm ex joco veritatem penetrare.

13. Tandem à moribundis, & demortuis veritatem exactè audiet Princeps. Qui enim moriendi certus est, vix reticebit; sed ingrata etiam & aduersa Principi eâ libertate enarrabit, ac necessitate emoritur. Solebant aliquando Principes (ut Ferdinandus Cæsar Eggenbergium Principem) Ministros suos morti proximos invifere, ut ultimam ab illis, eamq; verè sinceram ediscerent veritatem. Si uspiam alius à moribundo veritatem, certè Ludovicus XIV. unus fuit, qui ab intimo suo Principe Luxemburgico, cùm è vivis raperetur, eam satis tragicam, ut fama (an vera, vel falsa incertum) ferebat, audiit. An perculerit mentem Regis, nostrum non est dispicere, sed compati magis viro, qui plus gratiam sui Principis fecit, quàm animæ suæ jacturam. Reticeo nomen magni illius Hispaniæ Ministri, qui in extremo vitæ suæ halitu id unum dolebat: se tot animi martyria, dum Regi serviret, gratanter tulisse, cùm pro Creatoris sui gloriâ, nec unum momentum rectè impendisset. Ultimus ille, & mortualis cereus serè nimis veritatem, detegit.

At quomodo, ut paulo ante dixi, licebit Principi à jam demortuis audire veritatem? ma-

xime. Libros scriptorum peruolve, expende, in rem tuam applica. Hic veritatem quære: & (polliceor) incorruptam, ac libero magis calamo, quam olim ore pronuntiatam inuenies. Audi divinam Sapientiam in proverbijis: *Ego amantes mei amo, & studiosè quærentes me, inuenient me.* Proverb. c. 8.



## OBSERVATIO IV.

### *De Suspicionè, & diffidentia.*

1. **S**ENeca lib. 2. de irâ cap. 23. tollendam existimat ex animo Principes suspicionem, & conjecturæ fallacissima irritamenta. Ethicè id quidem dictum, sed politicè minimè, nisi salutaria quæquæ in abusum defflectant. Cum enim in statu Politico ( ut Romanus ille Orator perhibuit libro de petitione Consulatus ) fraudis, atque infidiarum, & perfidiæ plena sint omnia, necesse est hominibus parum credere, & multa ab hominibus cavere, quod sine suspitione & diffidentiâ haud contingit. Temperanter scire utrâque uti, magnum Politices arcanû est.

Diffidentia dici non debet, ubi confidere liberum est.

Omnia credendo omnibus, nunquam assequemur verum.

Aliud in privatâ, aliud in Personâ publicâ suspicio operatur. Quod ibi peccatum aliquando est, hic cautella & sollicitudo habetur.

Tectum esse animo, fronteque apertum sine damno proximi, pars quædam est naturalis libertatis.

Negligere rerum compendia, ad ignavos: omni auræ flatu moveri, ad imbecilles: inquire, cavere, prævenire, quæ obstare possunt, ad Regios animos spectat. Extrema rerum, vitia sunt; media virtutis elogium merentur. Extrema ejusmodi vidit vetus Roma in Tiberio, & Galba. Tiberius Principis animum nemini cognitum esse debere censebat, ipse non tam tectus, quàm planè involutus, ut omnes circumveniret. Fovebat, quos odio habebat; & aversabatur, quos amabat. Suspiciabatur ex minutijs quibusque magna & atrociam. Sine  
delectu



delectû damnabat fontes cum infontibus. Nulli credebat, sed latebras quærebat suis criminibus, sponte ad Capras exsul, qui Romæ Cæsar erat. Suus sibi tortor, qui tot illustrium familiarum carnifex fuit. Galba, idemque Romanus Cæsar, ab adverso omnia omnibus credidit, confidit, malorum demum artibus circumventus perijt post octimestre Imperium violentâ nece. Neutrum sequatur Princeps noster, sed medijs gradiatur vestigijs, nec abripi se sinat à credulitate in transversum, nec à suspicionibus in obliquum. Nemini velle fidere, Tyrannorum est meticulositas: omnibus credere est imbecillitas Regnantium. Principes confidentes & creduli exponunt se periculis, diffidentes se præservant ab illis. Suspicionem quoque indagamus veritatem, & si passionones non perverterint iudicium, adsequemur illam, diffidentia circumspecta pars est prudentiæ. Suspicio sine temeritate est cautella, & iusta sollicitudo.

2. Meminerit semper Princeps se expositum esse mille fraudibus & circumventionibus amicorum inimicorûmque, subditorum & conjunctorum, Populi & procerum, domesticorum

rum & externorum, hostium & vicinorum. Amici petaces sunt, & quærunt prætexu amicitiae magis sua, quàm Principis commoda: Inimici autem continuò ab insidijs sunt. Coniuncti inhiant folio; vel saltem participes esse volunt Potestatis. Subditi si egeni, inutiles sunt; si divites, inolescunt. Proceres ægrè ferunt jugum. Domestici inimici maximi, si læsi. Venales item, ingrati, avari, nunquam gratiâ Principis fatij. Externi explorant consilia, molitiones, statûs imbecillitatem, & similia: deferunt omnia, & vix in alieno solo sinceri & boni sunt cives. Hostes autem quid non? rapinas, cædes, depopulationes, incendia minantur: invadunt status, occupant omnia, quæ valent. Vicini invident, insidiantur, usurpant. Aded tota Principum vita in lubrico est. Qui omnia hæc expenderit, diffidet magis, quàm fidet: suspicabitur potiùs, quàm credet: pectus non facile deteget, sed cuncta diffimulabit.

3. Sua & aliena pericula docebunt Principem, quibus, quando, & quantum credere debeat. Neutralibus verò, scædistragis nunquam fidat. Exploratores quidem foveat in sua commoda, non tamen illis arcana detegat cordis,

dis; quia venales sunt, & plus offerenti tua non occultabunt. Abhorreat rebelles, traditores, & machinatores, præsertim in naturalem suum Principem: profint licet tibi tales, quantumcunque velint. Qui enim in materiâ violatæ fidei malus est, semper caveatur, & præsumatur talis. Regicidas etiam sui hostis, angue pejùs fugiat, imò persequatur. David occidit occisorem Saul. Vitellius in supplicium traxit omnes interfectores Galbæ. Non (ut Tacitus observat) honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentū in præsens, imposterū ultionem. Ultor enim est, quisquis succedit. Multi se offerebant Philippo II. sicarij, qui ad illius nutum Henrico IV. mortem pararent, abhorruit Rex istos, & diffidit ejusmodi infamitatum mercenarijs; sed adhuc gloriosius egisset, si vel eos ad suppliciū traxisset, vel reos ad Henricum mississet.

4. Sagaciter deindè omnes illi observandi: imò velut ad lidium lapidem probandi sunt, à quibus pendet publica statûs felicitas. Suspecti autem sint omnes, qui se nesciunt continere in fortunâ suâ. Satiùs enim est non admovere officijs peccaturos, quàm ubi peccaverint, amo-

vere. Caveat ab assentatoribus, qui ex more mentiuntur, calumniantur, invident, & Principum crumenas emungunt. Suspecti hi sunt, ne, si ex assentatione nihil profecerint; res, dicta, facta, consilia, sensa Principis vulgent, prodant, vendant, traducant: ut in monitis suis prævidit Elector Bavarix Maximilianus, & cautellæ loco Ferdinando successori moriens permisit.

5. Nihil ex vulgi suspicionibus certum constituat. Imò aliquando studiosè fingat se non credere, ut suspecti se non suspectos intelligant. Tunc suspecti aut ex tædio, aut metu (quia se sciri non existimant) vel planè desistent, vel idè apertius moliri audebunt, seque ipsos prodent. Interim campum habebit Princeps consulendi suæ securitati.

6. Quinque verò potissimum sortes hominum sunt, de quibus plerumque Principes suspicantur. Primò Legati externorum. Istos aliunde rectè dixeris honestos exploratores: & vel exinde suspectos Imperantibus. Sublegationum specie multa sæpè periculosa tractantur. Missi ab æmulis, aut parùm amicis

tantò magis suspecti, quantò certius est illos nunquam eorum, ad quos mittuntur, emolumenta quærere. Valde expediet, ut quidquid agant illi, & quibuscum loquantur, & quos habeant sibi familiares, cognoscatur. In omnibus namque Principum familijs, ait Cominæus, semper aliqui existunt, qui mutationem aliquam, & res novas cupiunt: tales se faciliè adjungunt Legatis externis, produnt arcana statûs, machinantur, & sæpè conjurant in necem Patriæ, & Regnantis. Consuetudo & familiaritas Sabaudi, ejusque Legati cum Duce Bironio, Martem prostravit Gallix (talis enim habebatur priùs Bironius) indè Regi Henrico suspectus, postea contumax, tandem Regis iram expertus sub manu carnificis.

7. Secundò: Principes depositarij, & arbitri. Sic priore ævo suspectus erat Clemens VIII. tam Gallo, quàm Sabaudo propter Marchionatum Saluzensem, qui ex pacto deponi debebat ad manus Pontificis, & desuper expectari ejus Judicium. Magis tamen Sabaudus diffidebat Pontifici, non solum quòd ex suâ possessione in illius potestatem comittere debebat opulentissimam Provinciam; sed etiam quòd suspi-  
care-

caretur Pontificem traditurum illam nepoti suo cum investiturâ, & alto dominio Regis Galliaë. Quis enim non credat (rebat)ur Sabaudus) ægrè dimitti deposita, quæ in rem præsentem faciunt. Regna; aut Provinciæ ad tertias manus datæ (præsertim ut qui depositarius, sit etiam arbiter controversiæ circa ea) magnarum diffidentiarum justissima causa sunt. Præstat Judicium definitivum, quàm sequestrum; Judex, quàm arbiter, sententia, quàm tertij possessio. Non quivis repræsentat navim Argi, quæ nec aquâ mergi, nec igne consumi valebat. In multis potius exundat partialitas, & mergit Justitiam: in alijs vindicta, & æmulatio succendit animum, & conflamat integritatem boni depositorij. Qui possidet, cunctari audet, arbitriumque protrahere, ut diutiùs possideat; aut expectare tempora, quibus tutò arbitrari poterit, quòd voluerit, & reddere depositum, cui destinaverit. Sive enim cupiditas rei alienæ, sive favor partialis ita agit occultè, ut priùs sentiat illius plaga, quàm infligit; ac videatur ictus, aut manus, quæ ferit.

8. Tertio: Conjuncti. Infirma enim Jura sanguinis, ubi ratio Statûs controversitur. Non

majores æmulationes, non graviore diffensiones sunt, quàm in cognatâ stirpe. Idèd Regum & Reipublicæ interest, ut in acta Principum sanguinis diligentius inquiratur. Beata in hoc domus Austriaca, cujus Principes de Imperio, de Regnis, & Principatibus nunquam concertant, sed ultrò sibi invicem cedunt Coronas, stantque antiquis & Gentilitijs pactis, & idèd tot sæculis felices, ac inter se pacifici subsistunt.

9. Quartò : vasalli præpotentes, qui feuda Regia, magnifica, & fermè absoluta, sicque ad res facilè novas moliendas idonea munitis, milite, & opibus provisa possident. Ita Romano Pontifici suspecti sunt Reges Neapolitani, & Siculi : ita Imperatori Principes Italiæ : ita olim Gallo Burgundus, Britanus, Aquitanus, alijque Principes. Periculosi etenim illi vasalli sunt, qui pro instrumento feudali audent ostendere Principi, & feudi Domino evaginatum ensẽ.

10. Quintò : illi itidem vasalli, quos virtus militaris, pacisque studium auctoritate, amore, & favore populi proximos fecit Principi. Omnium

nium periculosissimi isti : quia virtute præscripserunt. Opprimi vix possunt palam sine concussione ; clam verò vituperosum foret : quia constare oportet de malo, antequam decernatur de supplicio. Expectare, præsens discrimen foret. Age : ut ipsi in decipulam veniant, planèque inde constet omnibus, quòd insidiatores sint Solij, & hostes pacis publicæ. Imitandum Elisabethæ Reginae exemplum. Insimulabantur rebellionis rei Northumberlandiæ, & Westmorlandiæ Comites. Suspicio ingens invaserat Reginae animum : disputatum de super inter Ministros variantibus pro, & contra suffragijs. Conclusum tamen : in materiâ statûs rumorem negligi non posse. Placuit tandem probare fidem suspectorum misso ad eodem decreto, quo vocabantur ad Aulam acturi in rem communem.

Promptitudo comparendi designasset vanitatem famæ de ipsis evulgatæ ; mora autem & subductio, si citati non comparerent, palam suspectos & reos : quod & factum. Etenim non comparentibus ijs, publicè declarati contumaces, & in ipso limine seditionis oppressi fuere. Cùm maximè suspicatur Imperans, minime



nimè talis notari debet, ut inde sui securum reddat suspectum, prouioremq; habeat in laqueum.

II. Princeps suspicax nullis Infidiorum blanditijs fallitur, nullis accusatorum technis flectitur, nec facilè à malevolis circumvenitur. Quia non credit, nisi videat, & cum viderit, tamen aliquando dubitabit, licet se dubitare non monstret; interim providet securitati suæ, & infidiantium ruinæ. Bironij casus palàm est, & in eo admiranda Henrici IV. sagacitas. Si Ministri, si Magistratus, si subditi, si vicini essent, ut deberent esse, necesse foret etiam, ut Princeps non suspicax esset: corpora autem corrupta abhorrent cibos sanos. Divina solum credere oportet firmiter, nec examinare licet: quia infallibili veritati innituntur. Ubi autem omnis homo mendax, omnia undique fallibilia, vana, insidiosa, imò totus mundus Divino testimonio in maligno positus est, quis igitur credat? quis non suspicetur? quis non dubitet? Nulla iniquitas, nullus error est in statu Politico innumeris periculis exposito suspicari; sed suspicionem manifestare debilitas quædam est animi, nondum in materiâ statûs instructi.

12. Ad speciem credere semper : de rei veritate autem dubitare semper : magnum est arcanum Politices. Fide, diffide. Qui nescit fidere, nescit diffidere. Qui hanc artem exactè non novit, tot ferme errores committet per externam incredulitatem, quantos per internam credulitatem. Interna incredulitas cautum reddit Principem, externa credulitas minùs facit suspectum, utraque tamen facere debet non irresolutum. Imò aliquando, ut magnorum negotiorum finem assequamur, necesse est partem aliquam committere fortunæ, vel Divinæ Providentiæ potiùs, cui omnis humana sapientia subjecta est. Tu, o mi Princeps! fortiter age, & ex prudentiæ legibus. Cautè ex alieno consilio. Cætera sine DEO curæ.

\*\*\*  
OBSERVATIO V.

*De nimia indulgentia.*

I. **A**Rcanum Majestatis est, ut nunquam Princeps sit ita facilis in indulgendo quædam, quæ deprimunt

Majestatem suam. Caveat, ne mansuetudo, & misericordia illi in miseriam vertatur. Excentrici sunt aut nimius rigor, aut nimia indulgentia. Medium tenebit Princeps sapiens eâ ratione; ut nec facilitas auctoritatem, neque severitas amorem diminuat.

2. Majori, quàm æquum est, indulgentiâ peccandi maturescit licentia. Non illa vera in Imperante bonitas est, quæ non bonos, sed perversos reddit subditos. Hæc potius est bonitas imaginaria (ait quidam ex Patribus) disciplina phantastica: per hanc transfuntoria præcepta, & secuta sunt delicta. Duos legum Codices sive testamenta Mundo dictavit DEUS. Scriptum videlicet legis, & Evangelicum gratiæ. Vix per Moysen publicavit scriptum, cum illicd præceperit dentem pro dente, oculum pro oculo. Vix secundum sive Evangelicum (quod dicitur etiam testamentum gratiæ) per unigenium suum Mundo annunciavit: cum illicd missionis suæ rationem exposuerit: non veni pacem mittere, sed gladium. Et D. Petrus æterni judicis Vicarius in terris, in primo quasi ingressu sacri sui tribu-

Tertul.

tribunalis morti consignavit Annaniam, & Saphiram propter unum commissum mendacium. Adcò nihil obest legi gratiæ, gratiam negare delictis.

3. Revertor ad prima Regum instituta. Primus erat Saul, quem DEUS Regem constituit per Samuelem Prophetam. Rationem instituendi exprimit ipse sacer textus. Misit me DEUS, ait Samuel, ut ungerem te in Regem, nunc ergo audi vocem Domini: vade & percutite Amalech, & demolire universa ejus. En prima Regum institutio à justitiâ vindicativâ incipit! Ego unxi te: ergo gladium exere, vibra, percutite, occide delinquentes.

Ita mi Princeps prima ratio muneris tui est administrare utramque justitiam criminalẽ, & civilem. Ab ipso Numine tibi defertur sceptrum, & gladius, ut regas, & punias.

4. Verùm non ex munere tantùm obligatio; sed ipsa statûs ratio, ipsa tui ipsius, tuæque Regnatricis Domûs securitas id exigit. Sub Principibus enim justis nunquam, aut rarò: sub indulgentioribus multoties, & sæpissimè exortæ seditiones, Regicidia, & Regnorum everfiones. Majora Clementiæ, & offensarum obli-

visionis exempla comperit historia Romana in Julio Cæsare, quàm in Augusto successore. Ille tamen in Senatu seditiosorum ferro periit : iste & vixit diu, & rexit feliciter, & citra ullam convulsionem statûs vidit, & nominavit successorem. Quis Regum ante, & post clementior Davide fuit ; ut sine rubore DEO suo quasi obijceret : memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Quis hoc, alius Regum, dicere ausus, aut audeat ? & tamen ejus indulgentia in Amasim excitavit rebellionem Semei : ejus conniventia, & dissimulatio actionum Absolonis prostituit Regiam auctoritatem, cum ingenti concussione statûs, sui periculo, & demum filij ruinâ, cujus fata, quæ detestari debuit, innumeris planè deploravit lacrymis. Et quia indulgentior in complices Absolonis fuit, experiri rursus debuit Sibæ, & Adoniæ rebellionem. Impunitas delictorum non solum malefactores, sed sæpè viros etiam probos, conjunctos, conthorales, ipsosque gnatos trahit in abusum Regiæ clementiæ.

Nihil ejusmodi calamitatum tulit Israël sub Imperio Salomonis : qui Rex fuit sapiens & justus. Malo severum, sed justum ; quàm bonum

bonum, sed indulgentem Principem. Severitas non tam exosa est subditis, si justam æquamque omnibus vident; quàm indulgentia nimia Regnantis, quâ abutuntur in suos fines Ministri; in majorem audaciam, & licentiam perverſi, & rebelles; in sua commoda externi, & vicini. Indè communiter sequuntur ærumnæ, calamitates, devaſtationes Provinciarum, improvifa bella &c. quæ omnia hoc, & priore ævo hinc inde in Europa vidimus, ſpectavimus.

5. Indulgentia privilegiorum, immunitatum, exemptionum, ſi ſubditis hæc plus æquo conferantur, valde derogat Majeſtati Imperantis. Decedit Principi, quidquid nimiùm accedit ſubdito. Privilegia ſunt quaſi privationes legum, & confundunt uſitatum cum inuſitato. Unde conſeſſio eorum nec frequens ſit, nec ampla. Authoritas ſublata legibus etiam legiſlatori præjudicat.

Exemptiones ſubditorum sæpè neceſſitas exprimit, ac proindè injuſtæ, quia non liberæ: præſertim verò ubi rebellionem, & perverſitati loco pœnæ cedunt in mercedem, Nec

fervos, nec liberos velit suos subditos Princeps; sed obtemperantes, & fideles. Summum, & maximum eorum privilegium sit, si illis justa, recta, & facilia imperet.

6. Nunquam autem illis ea concedenda, quæ aliquando Majestati Imperantis obijcere audeant. Nihil Numini gratius, quàm Reges regnare in justitiâ, & æquitate: & nihil beatius, quàm obtemperare Principi justa, & æqua Imperanti. Hujus est arbitrari in omnia, non stringi Rebellium legibus. Hujus est nosse tempora, & eventus, ubi eximi, ubi sublevari, & ubi rursus onerari, & cogi possint subditi,

7. Vix autem gravior indulgentiæ error dari potest, quàm si Principes nimis faciles sint in communicanda Ministris suis autoritate. Ludibrio, contemptui, & ipsius planè Regni amittendi aperto discrimini se exponunt. Wenceslaus in Bohemia, Ramirus in Hispania, Andreas Neapoli, Maximilianus Sfortia Mediolani id exemplis comprobârunt. Carolus ille simplex in Galliâ ob incuriam, vel conniventiam suam resistere noluit Præfectis Urbium & Provinciarum, quas deinde sub specie feudi si-

bi appropriabant. Ex hâc indulgentiâ pleræque sacri Imperij ditiones, quæ olim officij nomine administrabant Duces, Marchiones, Comites, transiêre in feuda perpetua, & successiva cum ingenti Imperatoriæ Majestatis jacturâ. Ita nimirum indulgentia nimia, quæ reipsâ gravis est incuria, non solum in præsens nocet, sed futuris maximè temporibus in immensum præjudicat.

8. Hâc facilitate multum peccavit Tiberius, aliàs sui sensûs, minimè credulus, & Imperandi tam bonarum, quàm malarum artium peritissimus. Hunc tantum Principem Seianus ab Urbis, & Reipublicæ curis ad Campaniæ ruralem vitam consilio suo pertraxit. Prævidebat enim Seianus, Cæsare absente, summam rerum omnium, Imperijque curam suo arbitrio permitti, indeque dari posse ansam invadendi Imperij. Cessit benè quidem illi principium, successit etiam negotium, sed de exitu & fine triumphavit Tiberius, suo tamen damno, & gravi discrimine. Per suam namque injuriam absente Tiberio Seianus varia molitus: urbanam militiam mutavit: animos militum sibi devinxit: supra privati hominis fortunam honores publicos



cos prætendit : nihil ex comiffione Principis , fed proprio gessit jure. Infuper ingentem numerum clientũ in Curiâ, in Urbe, in provincijs fui juris habuit. Quæ omnia Tiberius ultrò diffimulavit tantâ facilitate, & propudiosâ indulgentiâ, ut illum nihilominus confortem Imperij (quod Seianus aliàs plenè affectabat) dixerit. Cuncta hæc tentanti deinde potiffimum visum Seiano ad uxorem Drusi (qui Imperij successor designabatur) Liviam nimirum (quæ nurus erat Tiberij , & aliquot Principum ex Druso mater) se convertere. Hanc adulterio in sua verba pellexit, & postquam primum flagitij positum fuerit, neque fœmina ammiffâ pudicitîâ alia abnuerit ; eam ad conjugij spem repudiatâ uxore Apicatâ, consortium Regni, & necem mariti, propinato per Eudemum toxico impulit. Cætera referre longum effæt : hoc unum expende mi Princeps, nimirum tantos malorum montes, quibus occasionem dedit una, & sola in Ministrum suum Sejanum Tyberij nimia facilitas, credulitas, & indulgentia. Sic magni Principes suarummet miseriarum ipsi fabri sunt. Quanta etiam probra, & dedecora invehat in domos Regnatrices indulgentia Regnantis

nantis geminum Messalinæ, & Agrippinæ exemplum exhibebit.


9. Messalina clandestinis congressibus, mox palàm, & urbe conscia se & domum Regnatricem adulterijs impudenter scævavit omnia cõnvente Claudio Cæsare, & marito. Hujus indulgentiâ audacior facta ( horrendum dictu! omne sæculum obstupescet, nec fermè Tacitum vera narrasse credet posteritas ) conjunx summi orbis Imperatoris, vivente adhuc marito Cæsare, palàm & in urbe omnium gnarâ, adhibitis arbitris, qui conventa dotalia obsignarent, sub aruspicum & sacrificulorum cæremonijs, Romano Silio nupsit, inter convivas discubuit, inter oscula ( ut loquitur Tacitus ) inter amplexus, noctem denique totam licentiâ conjugali transegit. Ita nimirum in tam atroci culpa securitatem præbuit supina mariti Cæsaris indulgentia, quàm nisi Narcissus justo honestatis zelo prævenisset illatâ per satellitem Messalinæ morte, impunis forsan ivisset turpis adultera.

10. Nec minùs in Agrippinam secundam conjugem, & ob hanc in privignum Neronem facilis, & plùs æquo benignus fuit Claudius,

quorum opes, & honores auxit cum dispendio Domûs Regnatricis. Nam ad Agrippinæ preces, adulationes, & planè quæstum semper præposuit privignum proprio filio Britannico, stupente imò tacitè indignante desuper Româ, & Consulibus.

Ejus indulgentiâ contra morem Romanum relicto hærede Britannico in puerili habitu, Nero virili togâ indutus triumphantis instar vehebatur. Quam rei indignitatem omnes ferme Romani Cives, præcipuè autem milites Prætorij damnabant in Cæsare Britannicum commiserantes. Nemo, ait Tacitus, aded expers misericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mœror afficeret. Ad instantiam Agrippinæ optimum quemque educatorem Britannici vel exilio, vel morte mulctavit, datósque à novercâ præceptores curæ, & custodiæ filij imposuit. Unum denique ad successionem Imperij restabat Neroni, ut Præfectos Prætoriani militis, & huncper illos lucraretur. Quod plus, quàm puerili facilitate Cæsaris obtinuit sagacissima scemina. Suggestit itaque marito distrahi cohortes ambitu duorum præfectorum (erant enim tunc duo) & si ab uno regerentur,

melioſorem fore diſciplinam. Ad ſuggeſtiones  
ejuſmodi minimè providus, & ad uxorias pre-  
ces nimiùm facilis Claudius exſolvit curâ, &  
miniſterio Præfecturæ Getam, & Ruffum, qui  
partes filij Britannici ſequebantur. Sic impo-  
tens ſui ſœmina Agrippina, potens mariti,  
nimiâ indulgentiâ & facilitate Claudij Cæſaris  
eripuit non multò poſt, bis per Xenophontem  
medicum propinato toxico, vitam ipſi mari-  
to Cæſari, vero hæredi Britannico Imperium,  
& varijs artibus tandem Neronem intruſit in ſo-  
lium. Se ipſos jugulant Principes, qui nimiùm  
faciles ſunt in ſuos.



## OBSERVATIO VI.

*Circa vitanda ſcandala.*

i. **I**Socrates ad Dæmonicum Principibus  
egregium ſuggerit arcanum hiſce verbis:  
Quoties in laudabilibus verſaberis ne-  
gotijs, fac: ut quàm plurimos ſpe-  
ctantes, velut virtutis teſtes habeas.  
Siquâ autem in re inhoneſtâ contige-

rit te delectari? fac ut clam id perpetres; ac semmotis saltem arbitris turpis sis. Hoc arcanum in secundo membro non directè, sed suppositivè per particulam, *si quâ*, præcipit, ut Princeps caveat à dando scandalo, interim non docet vitium. Neque enim Isocrates, Philosophus Sapientiâ morali instructissimus quidpiam præcipiebat suo Principi, quod rationi & virtuti repugnaret, sed solummodò casu, quo Princeps (quod sive fragilitate humanâ, sive ex perverso illo dogmate: Omnia licere Regnantibus, fieri potest) ita statuerit & voluerit scelere aliquo se obnoxium reddere; svadebat ex ipso motivo honestatis & virtutis occultare ea, quæ palàm comissa in pessimam consequentiam irent. Nam (subjungo Sallustij monitû: qui magno Imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorûmque facta cuncti mortales novêre: ita maxima fortuna minima licentia est) extremum impudentiæ est in alijs punire, quod ipse palàm comiseris. Vitiorum nemini quidem mortalium,

talium, sed minimè omnium Imperantibus  
 permissa facultas. Quod in privato probrum,  
 in Principe portentum est. Occulere ad mi-  
 nus oportet, quæ palàm omnibus enormia.  
*Super lapidem unum septem oculi sunt* sub ænig-  
 mate ait Zacharias Propheta capite tertio: Ego  
 citrà mysterium assevero: Principes esse lapi-  
 des fundamentales Regnorum, & super hos  
 versari oculos univerforum. Et (quod mise-  
 randum) *dicunt videntibus* (ut Isaias capite tri-  
 gesimo lugebat) *nolite videre, & aspicientibus*  
*nolite aspicere ea, quæ recta sunt, sed placentia.*  
 Qualia sunt vitia, in quæ ex fomite concupisci-  
 bili trahitur Populus. Vulgus enim nil, nisi  
 vitia videt, quia nil, nisi vitia quærit. Vitia Re-  
 gentis inflectit omnium sensus, sed magis in de-  
 terius. Flexibilem quamcunque in partem  
 duci à Principibus populum, dixit Panegy-  
 rista Plinius: ast subjungit Tacitus: ex more  
 fortuito Principem à Populo in culpam trahi.  
 Ad eò facile exemplo nocent Principes, quia eo-  
 rum scandala, & flagitia magis, quàm virtus  
 trahuntur in exemplum. Plures cùm sint debi-  
 les in mundo, quàm fortes, necesse est plures  
 etiam esse, qui scandalizantur potiùs, quàm

ædificantur. Interim res bonæ neminem scandalizant, nisi mentem malam. Ubicunque fuerit triticum, oportet, ut inveniatur illic & zizania: sic ubicunque fuerit virtus, aut aliquod bonum DEI, illic erit & scandalum inimici. Non tamen ided à virtute recedendum, quia utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm à virtute deflectitur.

2. Hinc non omnium scandala æquâ lance pensant Theologi: Aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, & aliter Pharisæorū: illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitiâ progignitur. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt: isti, quia virtutem oderunt. Interea vero verius est: dominus qualis sit, familiam ostendere: & ad Regis exemplum componi Regnum. Regi malo mali sunt subditi, bono plerumque boni: maximè si accedant in subsidium præmia, & pœnæ. Et hæc una causa sit, sufficiatque: ut Principes in alto, sicque omnium oculis spectandi expositi, omnia dicta & facta sua sic reddant conspicua, quibus non  
modò


modò sibi laudem, & auctoritatem concilient; verùm etiam subditos ipsos, tam intimos & familiares, quàm Aulicos & populares ad virtutem, & egregia facinora excitent.

3. At non solum vitia animi obtegere oportet Principem, ne in exemplum abeant cum scandalo Reipublicæ; sed etiam defectus externos, & naturales (ne contemptum invehant Regiæ auctoritati) imò occasiones vitare, congressus declinare, ubi se fugillationibus, vel irrisui exponeret spectantibus. Maturè etiã fugiant illas artes Principes, quæ Reges dedecent. Nolo aurigas, nolo mimos, aut cytharedos, qui infrà Regiam sortem sunt. Ejusmodi ludicra magis occupant animũ, quàm publica, & per inania hæc contemptæ Majestatis fulgorem obnubilant. Non magis scandalosus, quàm contemptus Princeps diademate indignus est. Eclipses non solum internæ, sed externæ etiam observantur curiosius, & omnium censuræ patent. Defectus morales sæpè minùs nocent Principi, quàm naturales: quia hi contemptibilem reddunt Principem, illi imitabilem. Non abhorrent eos subditi, quos imitantur: at detestantur, quos contempnunt.



Ars igitur suppleat defectus, sed magis virtus. Multos extollit virtus in altum, quibus natura non nisi infima pollicebatur. Emendet naturæ vitia actionibus heroicis : clam potius agat, quæ palam invisa. Abstrahere se discrimini cum securitatis certitudine tutius est, quàm se immergere cum generositatis famâ. Nihil incipiat Princeps improvisus, nil nisi instructus accedat. Nunquam auctoritatem interponat, nisi cum securitate rei obtinendæ. Nullum aggrediatur negotium, quod alicui jacturæ, periculo, vel ignominia expositum est. Pericula auctoritatis Regiæ, nulla remoratur audacia, nec fama diuturnior, neque opes & thesauri, sed omnium maximè præsens emergendi facultas. Id prædè palam agat, unde existimationi pondus accedit. Sicut virtus lucem, ita vitia latebras quærunt. Hæc si obtegit Princeps, nulli nocebit, nisi sibi : illam si detegit, sibi proderit & multis. Nero publicè turpis, quòd plures societate criminis scdasset, non idèdè ammovit dedecus à se, sed auxit communione scelerum. Exaggerat amplius sacer textus peccata Jeroboami, quia ipse peccaverat, & quibus peccare fecerat Israël. Pu-  
blica

blica Regnantium crimina exemplo plus nocent, quam peccato. Vitellius ventre, & gulâ sibi hostis : Otho luxu, sævitiâ, audaciâ Reipublicæ exitiosior ducebatur, ait Tacitus. Privata enim crimina ipsi Principes luunt ; publica universi : non solum imitatione morum, qui universos corrumpunt ; sed etiam pœnarum acerbitate, quibus divina Nemesis publicè, & universim plectit.



## OBSERVATIO VII.

*Causæ speciales mutationum Statûs.*

I. **D**atur ex præteritis futurorû judicium. Etenim nihil fit, quod non factû fuit. Igitur ex similitudine rationis idem formari potest judicium de similibus. Hoc pacto præfagit Navarchus tempestates, agricola imbres, medicus morborum eventus, & bonus Politicus conversiones & casus Reipublicæ. Quid est, quod fuit ? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est ? <sup>Eccles</sup> ipsum quod faciendum est. Quid scit<sup>c 9.</sup>

Hh

præ-

præterita, etiam de futuris æstimat ait Sapiens in libro Sapientiæ capite octavo. Ex arcano igitur statûs expedit Principi exacta notitia eorum, quæ vel apertè, vel occultè præfagiunt mutationem statûs. Natura nihil operatur frustra; nec quidpiam contingit sine causâ aliquâ. Res Politicæ pendent â suis causis: exq; sunt vel internæ, vel externæ.

2. Inter externas primam ajo ipsam Regnorum & Imperiorum periodum: quæ quidem in se certa, & ineluctabilis est, nobis autem minimè cognita. Habet mundus ætates suas, habent & Regna certos temporis limites, qui præteriri non possunt. Hanc verò Regnorum periodum fato adscripsere veteres; nos ipsi DEO, cujus nutu & jussu omnia constant: qui mutat tempora & ætates; transfert Regna & constituit. Hoc totum ex absoluto dominio, quod DEUS in universa creata, ut Creator, pleno jure obtinet. Neque obganniat quis mihi Atheus illud Regij vatis: Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Si autem dedit; ergo providit. DEUS enim  
pro-

providere non negligit, quæ creavit. Si autem omnibus providit : quidni etiam Regnis & Imperijs, quæ inter creata sub Cælo maxima sunt.

3. Præfata verò Regnorum periodus licet humanitùs vix cognosci valeat : attamen illam mira quædam præcedere solent, veluti præfagia futuræ calamitatis. Talia sunt portenta quædam naturæ, insolita astrorum signa, terræ motus, proborum virorum prophetiæ, comminationes, & amicorum DEI monita, quibus Princeps commoveri, & cum Ludovico Pio (cui Aimonius aulicus, cùm ejusmodi signis cælum flagraret, objiciebat : à signis Cœli nolite metueret, quæ pauent gentes) respondere queat : Illum non solum timeamus, qui nos & ista creavit ; sed etiam clementiam ejus imploremus, qui nostram inertiam talibus excitavit indicijs, Unde pius Rex de super preces indixit, elemosynas erogavit, aulamque totam ad pœnitentiam commovit. In Cœlo nunquam impunè spectatum, quod insolitum : & licet ejusmodi phænomena aëris excrementa magis, quàm divinæ Nemesis hortamenta esse videantur ; interim constat comparuisse tunc magis, cùm

fatum aliquod acerbum Reipublicæ immineret ; ut in excidio Hierosolimitano, Constantinopolitano, alijsque quàm plurimis : in illo longævo dissidio inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Austriacum : in excessu Pipini secundi, Henrici tertij, aliorumque Principum, & Pontificum, quibus cometes, velut cereus lustralis præluxit. Roma vix unquam tremuit, quin magnum quid portendisset. Scriptura sacra, ubi contremuit terra, addit : quoniam iratus est Dominus. Ita nimirum optimus DEUS dat significationem timentibus se, ut fugiant â facie arcûs, ait Regius vates. Sic Noë â fluctibus diluvij universalis, Loth ab incendio Sodomæ, divino monitu : sic multi fideles ab excidio Hierosolimitano varijs antea signis ac prodigijs cõmoniti & salvati. Plena sunt ejusmodi portentis historica monumenta, quæ in contemptum abire non debent. Sæpe enim, quod superûm indulgentiâ longo floruit ævo, in una die, aut diei hora ex improvise abstulit. Omnium mortalium opera, mortalitate damnata sunt.

*Sic omnia verti  
Cernimus, atque alias in celsum assurgere gentes:  
Concidere bas.*

Con-

Concidit Persicum, & suffectum est Græcorum : concidit hoc : & exsurrexit Romanum Imperium. Gothi, Vandali, Hunni, Arabes, Turcæ sibi invicem successere. Aliæ ex alijs crescunt & decrescunt gentes, variant usque ad consummationem sæculi.

4. Mutationes verò ejusmodi observant nonnulli ex eventibus præteritis; quæ plerumque evenêre vel circa millesimum, vel quingentesimum, vel circa dimidium quingentesimi, vel planè circa centesimum annum: quasi anni Regnorum essent climacterici. Asiaticum Imperium penes Assyrios stetit 520. annis, postea occupatum est à Medis. Athenarum Imperium à Cecrope usque ad Codrum duravit 500. & deinceps conversum est in Democratiam. Lacedæmoniorum Respublica sub Regibus à Lycurgo usque ad Alexandrum floruit sæculis quinque, deinde desijt. Annis circiter 500. ab ejectis Regibus usque ad Monarchiam Augusti rexerunt Consules. Quinque quoque sæculis ipsi Cæsares summam Imperij Romani obtinêre usque nimirum Valentinianum Romæ cæssum, ubi rursus Imperium occidentis desijt per invasionem Vandalorum, Alanorum, Sve-

vorum. Alia non commemoro, quibus omnibus terminum finemque non numerus annorum, sed fata dedere Numinis cuncta providentis & volentis. Numerus per se nihil operatur, sed ille, qui numerum constituit dierum rebus omnibus perituris.

5. Altera ab externo evertendi Regni causa sunt ipsæ calamitates publicæ, pestis, bellum, fames, terræ motus, exundationes & similia; quæ valde concutiunt Rempublicam, & in egestatem redigunt, privant commercijs, frugibusque ad conservandum statum necessarijs. Nam commotâ publicâ felicitate, status ipse commovetur. Hinc deserta olim Regna, & etiamnum rudera visuntur ingentium urbium. Calamitates enim publicæ, multæ & successivæ irreparabiles sunt, & non tam præfagiunt, quàm inferunt extremum discrimen statûs.

6. Tertia causa concutiendi status est ipsa potentia vicinorum Principum: hæc autem spectatur tripliciter, velut *in se est*: si nimirum Princeps vicinus suis met statibus, armis, & opibus præpotens sit. *Velut comparatur illa*: id est moliendo majora, insolita, per confœderationes, usurpationes, opum, armorumque provisio-

nes &c. vel *ut hæc vicina est*: quæ inferiori sive minùs potenti (maxime si accedant priora) omnino suspecta & metuenda est, ne illa quæpiam prætendat, vel planè vi & armis exigat.

Ejusmodi incrementum vicinæ potentiaæ Principem jure reddit perplexum, cautumque, ne irritet in sua damna vicinum. Magni pisces deglutiunt minores. Nulla vulpeculæ cum leone tuta societas. Difficillimum creditû dixit Euripides : si magna Potentia se contineat. Major enim incumbit præter naturam quidem, sed ex fato statûs, minori. Potentia magna asseclam habet ambitionem & dominandi libidinem, cui nulla spæra satîs ampla, nullum centrum satîs altum est. Semper habet, quod occupet : semperquod prætendat. *Exerit se in immensum, & quâ potest, velut ex-orbitans gurges, quidquid vicinum, abripit.*

7. Vicinorum præpotentium injurias aliquando dissimulare consultiùs ; at oblivisci minimè expedit. Molitiones & progressus tempore pacis expendendi : cùm gliscunt sub cinere, sopiendi : frustra agitur, cùm jam in belli flamas ivère. Sive amicis, sive speculatoribus



ribus opus ; licet hi minùs sinceri, quia empti. Illi sæpè meticulosi, ne utrinque reddantur suspecti. Amborum defectum suppleat sagax iudicium. Quod si isti non præstiterint ; tunc dissimulatione inquisitionem cooperiat, ne notet vicinus, sed sui securus apertius agere non vereatur. Verè magnum periculum est Princeps expositus inter vicinas magnorum potentias : Sabaudus inter Gallum, & Hispanum id sæpè expertus vario sui statûs discrimine. Et Transilvanus priori ævo inter Austriacam, & Ottomanam potentiam.

8. Quartò ex multitudine suorum hostium, ac inuasorum suarum Provinciarum præfagire potest Princeps sui statûs imminentem conversionem, nisi in tempore præveniat, ac appropriata media periculis opponat. Vix enim morbus est, cui remedium ex præventionem non sit : at si ex mora ingravescat, vix ullus Gallenus curabit. Maxima pericula principio parva sunt. Gliscit sensim scintilla in incendium. Semper igitur curet pro viribus Princeps, ne uno eodemque tempore plures hostes habeat. Observat id Porta Ottomana, exemplo antiquæ Reipublicæ Romanæ, quàm fermè illa  
in

in cunctis imitatur, sed in moderatione non assequitur. Galliarum potentia ferme formidanda foret: sed undique cincta hostibus, quibus una in longum non sufficit; nec præstare illa amplius valet contra omnes, quod contra unum alterum potuit. Et nisi hoc esset, in immensum exurgeret, quod prævident alij, & ideo sedulo avertunt. Ex pluribus inimicis, vel invasoribus nunquam longè abest ultimum regni fatum. Igitur illis, qui plures inimicos habent, apprimè expedit, ut cum quibusdam se reconcilient, & hæc ratione destruant reliquos: quod ante postremum hoc bellum feliciter cessit Ludovico XIV. qui magnum illud foedus adversus Franciam contractum in tempore dissolvit ex sola primùm pacificata Battavia.

9. Ultima causa mutationis statûs sunt sæpius & iteratò acceptæ clades, & infelices expeditiones. Atrox illa à Germanis Romano Imperio olim illata clades ita concusserat Augusti animum, ut in vassaniam quasi actus inclamaret continuò: **Quintili Vare, redde legiones.** Nequeunt ita facilè reparari vires, ubi attritæ sunt universim, & victor hostis victo-

riæ insistit. Hoc novo sæculo mirum etiam in modum Ludovici XIV. aliàs invictum concusserunt animum tot graves hinc inde inflictæ, & consequentes clades. Londavia, Alfatix clavis, expugnata: Generalis Melacus Palatinatu exactus: Bavarus bis ad Donawertham & Hohstetam cæsus: transcensæ lineæ: cæsus ad Luzaram Vodemontius: capti primi belli Duces: recuperatum unâ æstate totum ferme Belgium: Gibilterra expugnata: Mediolanum occupatum: prostratus ad Barcelloenam Nepos Andegavensis: Aurelianensis è Pedemontio cum internetione pulsus: Gallus totâ Italiâ profligatus: Hæc erant Ludovico infausta nova, & titubantis Franciæ sinistra phœnomena: ut Jure queri posset cum Augusto: Bavare, Villaregie, Marcine, Vodemonti, reddite legiones. Qui omnium hostis constituitur, par omnibus esse non potest, plagamque refert à cunctis. Multi exinde infausta prælagiebant Franciæ, nisi domesticum fuisset bellum cum Hungaris Cæsari, & à Sveco nimium vicino, terriculum. Interim omnium usurpatorum lubrica, & brevis est possessio. Præmissimus externas, nunc internas causas, quibus maxima

Imperia sæpe ruunt, expendamus. Internas autem omnes vel sibi ipsi Princeps, vel subditis attribuat, ego utrisque.

Causa universalis interna est malum Principis Regimen, vel corrupta Respublica. Sive odium, sive fastidium præsentis regiminis, novi est desiderium. Primum namque gemit, & suspirat populus: post dolet, & publicè conqueritur: tandem execratur, & desperat. Ad ejusmodi voces non sint surdi Imperantes. Præfagire videntur magna: Dolor in furorem vertetur. Lusitanorum acerbæ voces diu monebant Hispanos: Si auditæ? non exauditæ fuere. Tandem Cælum exaudisse videtur. Nam eò ventum erat, ut Sacrorum Mystæ, post celebrata divina commonerent populum ad dicendum duo AVE MARIA pro liberatione Jugi Castellani. A precibus transiêre ad facinora. Seditione enim congregatus Populus, & Primores, ejectis primùm hispanis Ministris, Regem ipsum tandem abjurârunt, translato in Brigantinum Ducem, Lusitanix Imperio. Vox Populi acerba fatalis est Buccina Regibus. Nunquam receptui ferme canit, nisi post excidium Imperantis.

10. Altera causa est contemptus reciprocus five subditorum Principem contemnendum, five Principis subditos indignè tractantis. Abhorrent subditi Principem publicè flagitiosum, scandalosum, crudelem, iniquum, dissipatorem, vel minùs capacem, ineptumque ad Regimen, vel actualem usurpatorem, oppresso vero hærede. Illud clarum testatùmque exemplis esse, ait Polybius, quòd homines felicitatem assequantur benignitate in alios, & bona de se opinione: iidem cùm adepti, quæ voluerant, ad injurias & impotentiam imperandi dilabuntur, exinde meritò contingit, ut unà cum Imperantium mutatione ipsi subditi se, & affectus suos mutant. Quanti in privata fortuna omnium votis expetiti, cùm publicè imperarent, à primævâ virtute degeneres omnium odium incurrerunt! quòd spes major concepta de Principe, tantò ardentius incenditur odium in Principem, cùm subditi suâ spe frustrantur. Artabanus, deficiente quotidie Regis Majestate, Xerxem percussit, Arbaces Sardonapalum, alij alios: indecorum existimantes, obedire abjectæ Majestati.

11. Ubi vero Princeps palam contemnit suos sub-

subditos, vel tractando eos, ut mancipia, vel postponendo exteris in administratione Reipublicæ, vel violando thorum alienum, honorem, statum: nihil certius tunc expectet, quàm seditiones, & convulsiones statûs. Aristotelis mens hæc fuit agentis lib. 5. Politicorum cap. 10.

**Multæ conspirationes & invasionses in Monarchas propter contemptum & contumelias factæ sunt.** Comes Ju-

lianus Affros concitavit contra Theodoricum Hispanum, quia filiâ illius abusus fuit in scortum. Nonne flagellavit Dominus Pharaonẽ

plagit maximis propter Saram uxorem Abraham? alibi rursus dixit Dominus: non recedet gladius de Domo tua usque in sempiternum, eò quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ.

Gen.  
12.

2. Reg.

c. 12.

12. Periculum quoque mutandæ Reipublicæ est, ait Aristoteles lib. 2, polit. c. 5. honorum

inæqualitas, quam graviter ferunt subditi, seque contemni putant. Inde turbatum Regnum Castellæ sub Carolo V., & Belgarum status, sub Philippo II. Nam hominis, ait Stagyreus

lib. 5. Polit. tum quòd ipsi inhonorati fiant, movent seditiones: tum quòd alios videant in ho-

li 3

nore.

nore. Franciæ Magnates, cùm se contemptos viderent â Ludovico XI. seditione moti in Regem, memorandam illam ad Montlerium, pugnam confecerunt, ut Rex Regnùmq; totum ad incitas redactum fuisset, nisi prudentiâ & dissimulatione suâ solitâ, Ludovicus seditiosos Proceres composuisset. Invidia, Livor, æmulationo infida facit omnia.

13. Tertia causa Ministrorum est Tyrannis, & avaritia, exigua cura publici, inertia Magistratum, neglectus Justitiæ, insontium supplicia, nulla denique ratio Juris & æqui, Similiter luxus & nimia licentia subditorum, contemptus Magistratum & legum, insolentia popularis, abusus immunitatum, obduratio denique in malo. Ut Samuel Propheta comminabatur Populo : quodd si perseveraveritis in malitia, & vos & Rex vester peribitis. Tragicus ille etiam vaticinabatur : ubi non est pudor, nec cura juris, instabile Regnum est. Ecclesiasticus quoque : Regnum de gente in gentem transferetur propter injustitias & injurias.

1. Reg.

c. 11.

Seneca

c. 10. v.

8.

Nec minùs Regibus ac Regnis fatalis est privatorum plùs æqua authoritas, opulentia, & fastus. Erigunt hæc etiam viros bonos in per-

ni-

niciem Reipublicæ, maximè si plures, sibi que impedimento mutuò sint. Quantum afflixit Romanam Rempublicam Marius, quantum Sylla, quantum Pompejus, quantum Janetinus, & Fliscus priori ævo Genuam.


14. Præ cæteris verò imminentem, & proximam statibus præfagit ruinam Religionis sive neglectus, sive dissensus. Una Religio quemadmodum unit Rempublicam, ita multiplex eandem dissolvit, ac in alias formas convertit, abrogatis planè primis rectoribus, vel legitimis Dominis. Esaias prædixit: *Germen illorum* (id est Principum, ut septuaginta ex sensu colligunt) *sicut pulvis ascendet*: id est, ut Vatablus intelligit, *redigentur in nihilum*. Cineres enim combustorum Corporum jaciuntur in aëra, ut dispergantur, ne eorum amplius compareat vestigium. Quam ob rem autem ejusmodi annihilatio Principum? subjungit causam Propheta: *quia abjecerunt legem Domini*. Neglectus Religionis fatalis ille est Cometes, qui Principibus nunquam bene ominatur.

Libertas conscientiaë ubicunque  
hacte-



hactenus fuit, quoque venit, nunquam sola fuit, sed mille bellorum furijis, externorū invasionibus, seditionibus, cædibus, depopulationibus comitata comparuit. Belgium, Hungaria, Bohemia, Germania testimonia sunt plūs quàm nota, quantùm noceat publicæ felicitati divisa religio.

Alias adhuc causas mutationū statūs alibi recensuimus, sed fermè eas Salustius generatim exprimit. Ego ita comperi, ait ille, omnia Regna, civitates, nationésque, usque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera Religio, Justitia, æquum Imperium valuerunt. Ubicunque gratia, timor, voluptas eos corrupère, post paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò servitus imposita est.



## OBSERVATIO VIII.

*Circa aliorum exempla.*

1. **C**ompendiarium Statûs Arcanum ab exemplis. Inde Imperans bonarum malarumque artium abundantem segetem habebit ; si nimirum intimûs perpenderit : quid ipse sub alio Principe aut noluerit, vel voluerit. Duo specula è diametro sibi opposita totum hominem repræsentant antrorsum & retrorsum. Sceptrum juxta Sceptrum positum erudit multum : sed magis lacerna juxta purpuram vel erubescere faciet, vel detestari : vel gaudere, vel imitari. Rem clariùs aperio. Induat Princeps personam privati ; expendat, tum quid velit à suo Principe, quidue nolit in ipso : combinet omnia, dijudicet, emendet : fugiat vel amplectatur, ut virtutem invenerit vel vitium, ut rectum consilium, vel insaniam. Collaudat id Plinius in Trajano Cæsare : privato judicio Principem geris : meliorem imò te præstas, quàm tibi alium precabâre. Et tu mi Princeps fac similiter.

Paneg.

4

2. Mecænas ad Augustum, postquàm varia ad tenendum principatum arcana suggestisset Cæsari, unum tandem addidit, quod & dictorum, dicendorumque summam continebat. Si quæ, ait ille, alium Principem erga te facere volueris, ea tu ipse tu dpte ingenio feceris, neq; errabis in ulla re, & præclare omnia geres. Ex quo futurum est, ut non minùs suaviter, quàm securè vivas. Utilissimus deniq; idem, ac brevissimus bonarum malarumque artium delectus est (dixit Tacitus) cogitare: Quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris.

3. Ex hoc arcano geminum resultat commodum. Primum inducit in animum Principis modestiam, ut non minùs se hominem, quàm præesse hominibus credat. Galbam sic perstrinxit ille Orator: neque enim hîc, ut in cæteris gentibus, sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.


Alterum est, quod exemplis bonorum Principum discet, non solùm rectè imperare, sed etiam malorum Principum erroribus non deviare à semita rectæ rationis, quæ anima est totius

tius Politicæ. Mementote mei Principes (cum Heroë illo Mathathiâ vos compello) operum Patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Nam antecessorum, æmulo-  
rum, vicinorum, majorum gesta & acta speculum quoddam sunt, in quo Regnantibus conspiciere liceat, quæ imitari, vel quæ declinare oporteat. Tanquam in speculo, ait Plutarchus, ornâre, & comparâre vitam tuam ad alienas virtutes. Vide an Themistoclis integritas, an Aristidis justitia magis mentem tuam occupet, quàm Ulyssis infidiæ? an Neronem, an Heliogabalum magis moribus exprimas, quàm M. Aurelium, aut Antoninum pium? an Augusti prudentiam minùs secteris, quàm astum fraudesque Tiberij? an Galbæ per tot millenas cædes inermium militum truculenta Imperij initia, quàm Titi Vespasiani auspiciatissima tempora? an Caroli Crassi, an Wenceslai inertiam, quàm Rudolphi primi indefessam vigilantiam? an Philippi Hispani II. prudentiam, quàm Caroli III. Galli stupiditatem? an Henrici IV. Gallix Regis parsimoniam, fortitudinem, fidemque Regiam, quàm prædecessoris Caro-

li IX. vitam prodigam, sibi ariticam, fidemque corruptam? sic tuas, mi Princeps, sive virtutes, sive vitia cum alijs compara. Mel autem inde fuge, non toxicum. Imitare in illis laudanda, non ea, quæ omnis ætas in malis Principibus detestata est. Expende, justitiâ crevisse Regna; fraudibus verò dolisque deperiisse. Ambitione, crudelitate, avaritiâ, libidine ammissa folia: benignitate, modestiâ, liberalitate conservata. Petrus Aragonius dejectus folio, quod frater ejus Henricus II. suâ benignitate deinde meruit. Ottocaro spem rapuit Imperij fastus & superbia, quod Rudolpho Habsburgico dedit modestia & innata popularitas. Adolphus per avaritiam auro corruptus ab Anglis, eorûmque mercenarius miles factus cum opprobrio æterno Imperij, amisit vitam & sceptrum, quod deinde in præmium victoriæ cessum Alberto Austriaco, cognominato Glorioso & Honorifico. Res Italiæ multos perdidere Henricos & Fridericos sive æmulatione Pontificum, sive contumaciâ Cæsarum, quorum periculis cautiores successores facti malunt vulpem imitari, quàm cum alijs belluis in specu leonis perire. Hæc tibi sunt o documento, &

ex alienis vestigijs vel imitandi præclara, vel declinandi erronea argumento.

4. Nil vetus testamentum frustra statuit: Non sine mysterio Pontifices (qui erant etiam populi Principes) pectorale ferebant duodecim distinctum lapidibus, quorum singuli duodecim primorum Patrum virtutes, & gesta representabant, ut sapiens in c. 18. interpretatur: Et parentum magnalia in quatuor Ordinibus lapidum erant sculpta. Hæc animabant successores Principes, ut gloriosâ imitatione conniterentur inhærere prædecessorum Heroicis vestigijs, & quando non totam, saltem partem assequi antiquæ gloriæ. Ne sit grave æmulari ea, quæ ipsi in alijs probamus. Generositatis virtus perfectionem suam tum assequitur, quando livore pio invidemus antiquitati præclara & eximia ejus gesta, quorum occasione nunc destituimur. Regia ingenia plus æmulatione trahuntur, quam præceptis. Sit igitur prioris, posterior dies discipulus. Ex vitio alterius emenda tuum; neque patere, ut ad alienam gloriam erubescas ipse inglorius.



## OBSERVATIO IX.

*Circa errata Antecessorum.*

I. **E**X successione bonorum vel malorū Principum multi periêre, vel exsurrexêre status. Multi præmaturè præcipitati de folio, successorum astu. Multi destinati successores à prædecessoribus, antequam illi his succedere potuissent, extincti deinde sive livore æmulo-  
rum, sive alio fato. Ut verè Tragicus dixerit Regnum esse **Fallax Bonum**. Pleni de his annales omnis ætatis : eò Lectorem remittimus. Interim ex opinione vulgatâ hominum : **Prædecessorum mores transeunt in successores**, ut isti communiter habeantur tales, quales illi fuêre ; aliquando etiam pejores : Ita ut maximum prædecessoris vitium fuerit in successore minimum. Ideo olim senicula illa Sicula Dijs thura litabat pro incolumitate Dionysij Tyranni, non quodd illi bonus esset, sed quodd successorum illius pejorem metueret. Sic Propheta ille intelligebat, secutura esse semper pejora, cum

in ænigmate diceret : Residuum erucae comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Rarè meliora succedunt tempora, rariùs meliores mores, rarissimè meliores Principes. Ætates id mundi aurea, argentea, ferrea, succedaneâ vicissitudine, semperque pejore, comprobant.

2. Quæ tamen opinio mihi infallibilis non est: non enim semper successit Augusto Tiberius; non Marco Aurelio Commodus. Successerunt sæpiùs mali bonis, malis boni, & bonis optimi Imperantes. Si Principi bono & clementi, qui amore rexit subditos, succedat Princeps sævus & perfidus, facilè iste periclitabitur: & ab adverso; si malum Principem excipiat successor bonus, adorabunt talem subditi velut novum Phosphorum publicæ quietis, quæve dispellat primævas caligines pessimi regiminis. Ideo inter majora arcana illi, qui imperaturus est, istud reponit recta ratio: ut Antecessoris sui errata, & deflexiones, quibus publico vel infensus, vel  
sub-



subditis invisus fuit, non solum nosse, sed etiam quantocyus emendare procuret. Infallibilis hæc bene inchoandi Rempublicam regula est. Enim verò ex naturæ quasi, vel saltem civilitatis dictamine successores moveri solent in detestationem & abolitionem eorum, quibus graves Regno, & invisos subditis se reddidêre prædecessores. Non minùs prudentes Principes in aditu Regni satagunt placere suis regnicolis, quàm isti expectant à novo Principe beatius Regimen, & meliorem, ac priùs erat, statûs ordinem. Principibus præcipua ad famam dirigenda statuit Tacitus: Quid amplius famam promovebit noviter Regnantis, quàm modò ea amovere, quæ odiosa olim erant sub alio Principe.

3. Henricus IV. post violentum obitum Caroli IX. Galliæ Imperium adivit in summa rerum omnium perturbatione, ob Guisianorum potentissimam factionem proximior præcipitio, quàm solio. Et ut sagacissimus sæculi illius Princeps pacem ac quietem Regno inveheret, hoc, quod jam insinuavimus, arcano apprimè & feliciter usus, inter paucos años primævo flori resti-

restituit emarcida quasi Gallia lilia. Dilaceratam & in se divisam Patriam extirpatione factionum composuit. Exhaustum per immensas antecessoris exactiones Regnum omnigenis opibus implevit, relicto in super post sui fatum pleno ærario, restitutis commercijs, & abundantia rerum omnium.

4. Cognoverat autem ipse tres potissimum causas, quibus antecessor Carolus invalidaverat Rempublicam, & omnium animos in sui odium & contemptum converterat. Ludibrio erat tunc Regia majestas, quam revindicare oportebat sensim removendo causas, vel Prædecessoris potius vitia in se emendando. Erant autem tria potissimum. Primum: **LUXUS & OTIUM**, quæ divertebant animum Caroli ab omnibus publicis negotijs & Regni administratione, ac mancipabant Aulæ & Gynecæi delicijs, quasi Regis officium non esset cura publicæ rei, sed sui sensus.

Alterum fuit prodigalitas & immensa profusio auri argenti; quod per extremas impositiones, rigidissimas exactiones ex subditis eliciebat, & dissipabat cum suis Intimis, sive

vulgò Favoritis. Nunquam invigilabat suis proventibus, sed per summam fœcordiam suis Ministris permittebat potestatem, quâ disponebant de publico, tanquam de suo.

Tertiũ modica fides promissorum: quâ non suis tantũ, sed toti fermè Europæ se exosum reddiderat Carolus. Quantos specie amicitix vocatos (inter quos ipse Henricus in privatâ fortunâ fuit) carceribus mancipavit! quantos ad verbum Regium sui securos, planè trucidavit. Exhorret animus ad lanienam Parisiensem tot millium subditorũ, non tam propter atrocem executionem, quam fortè meruissent rebelles, sed propter violatam fidem salvi conductũs. Item ad Ducis Guisiani immanissimam necem, ad supplicia denique aliorum, etiam Purpuratorum & Principum. Abominabilis inde coram subditis, à Papa diris devotus, hostis Patriæ, Vertumnus Galliæ, Tyrannus publicè dictus.

Tantos excessus Caroli opus erat emendare successori, quod Henricus non minùs gloriose, quàm integrè præstitit.

5. Primo luxum & otium dissimilitudine morũ superavit, exantlatis maximis laboribus

in campo, in curia, in reformanda politia Gallia. Egenus, & tam domesticis quàm externis persecutionibus impetitus, occupavit tamen Regnum, sibi jure sanguinis debitum. Regni consilia solus animoolvebat, & exequabatur verbo & opere. Utebatur viris præstantissimis, sed velut Ministris, non Imperij socijs: amabat eos, ut servos, dominus ipse: accipiebat ab illis consilia, non decreta: remunerabatur, sed ad trutinam meritorum: nunquàm Unus uni, sed Unus omnibus. Sic primum Antecessoris errorem continuâ applicatione, labore indefesso, & assiduâ solitudine pro salute Regni, omnium gaudio, correxit.

6. Alterum errorem, nempe prodigalitatem, emendavit Henricus innatâ sibi parsimoniâ, non tamen turpi avaritiâ. Sicut enim non sordes, ita nec prodigalitas Regnantem decet. Decorem amavit, sed â luxu abhorruit. Magnificentiam verè Regiam ostendit in apparatu bellico, in erectis monumentis, in publicis ædificijs, in promptitudine suorum Ministrorum, in Authoritate Parlamentorum: non ut Carolus antecessor in luxu vestium, in bysso, in comptis capillis, cum quibus multum diei con-

fumebat; titillatione caniculorum & catellorū, quorum exercitum alebat; in Gynecæi delicijs, ubi noctu diūque commorabatur; in caterua morionum, adulatorum, qui emungebant medullam ærarij publici. Henricus his totus in adversum connitebatur. Gynecæum laxavit illi animum, non occupavit. Delicias suas non carè emebat, & plūs subditorum quàm sua quærebat commoda, parcus potiùs in se, ut subditis parceret, non gravaret, ut Carolus, per exorbitantes omnem modum exactiones. Meminerat se egenum adivisse, non minùs etiam egenum, & per elapsas factiones desolatum Regnum. Nihilominus majora bella gessit, quàm multi antecessorum. Maxima in principio statūs negotia cum Pontifice, cum Hispanis, cum Guisianis, cum subditis confecit in pauperie, & sine magno strepitu, gloriosè & fortiter, quæ nequivit antecessor cum profusione multorum millionum, & ad sanguinem expillatione subditorum.

7. Tum se reformando ærario applicuit, indagavit, inspexit, expendit omnia rationaria Regni, abusus multos sustulit, & in communes proventus convertit. Numerum Quæstorum

rum reduxit, suspectis probos substinuit, & hanc piceam monetæ materiam ita delicatam, periculosamque existimavit, ut eam nemini quasi, nisi sibi confideret. Imò reipsâ ærarium administravit solus, accessu nominatenus permisso alijs. Ob hanc causam tanti milliones, citra omnem subditorum oppressionem, ex sola sua parsimonia collecti, & post infelicem ipsius excessum, in ærario reperti: quos successor (ferme ut ante Carolus) in ludicra quædam, suosque privatos homines impendisset, nisi Principes sanguinis & Regni Magnates obstiterent recidivæ prodigalitati.

Grav-  
mund.  
in hist.

8. Tertium errorem prædecessoris opposito planè exercitio emendavit. Fidem enim in omni vita sua, veluti pupillam oculi, habuit, & servavit amicis & inimicis puram, illibatam. Hostes plùs credebant uni verbo Henrici, quàm prædecessoris sigillo & syngraphæ. Ipsi Catholici magis fidebant Henrico adhuc Hugonoto, quàm priùs Carolo Catholico. Cæterùm in ipsa Regia fronte residebat vera sinceritatis idæa. Vivacitatem & efficaciam suorum verborum comitabatur semper indubia promissorum fides. Rebatur quip-


unicum vinculum communionis civilis verborum ac promissorum fidem. Cujus integritas tantò major esse debet in Principibus erga suos subditos, quantò illi majores sunt istis. Majus nihil amittere potest Princeps, quàm fidem. Quia si hanc amiserit, unâ nomen boni Viri amittet. Qualis autem Rex omnium, si non Vir bonus? Hòcque pacto emendavit Henricus antecessoris Caroli errata cum immortalis sua tam apud hostes, quàm suos gloria; tuncque sentiebat Gallia, se vero Rege potiri.

9. At non solum errores prædecessoris emendare, sed etiam virtutem æmulari; illud necessarium, hoc gloriosum erit Principi. Ubi autem utrumque assequi non datur, licebit ex arcano Imperantis ad partem contrariam se vertere, eòque conniti: ut in eo virtutis genere, si in alijs non valet, in qua prædecessor deficiebat, palam excellat. Regia hæc & sancta æmulatio est: cujus meminere ipsæ divinæ literæ: æmula-  
mini

mini charismata meliora. Numa Pompilius successit Romulo; hunc, cum ille arte bel-  
landi exsuperare nequijt, Religionis curâ  
vicit, quam Romulus prius neglexit. Post  
Davidem rexit Salomon. Is confestim non  
solum ad magnificentiam ædificiorum, Aulæ  
splendorem, & ingentem satellitij, Epheborum-  
que numerum, sed etiam ad pacis, & sapientiæ  
studium applicuit animum, quia prædeces-  
sorem suum David Regem nec armorum gloriâ  
& fortitudine animi, nec pietate, nec mansue-  
tutine excellere valebat. Sic olim Julium  
Cæsarem æmulabatur Augustus, sic Augu-  
stum Tiberius, sic Drusus Germanicum, sic  
Themistoles Miltiadem, sic alios alij deinceps.  
Non ita Galba, qui regnandi hanc legē neglexit,  
nimirum: scire per antecessoris Tyranni-  
dem pessumdatam Rempublicam  
sensim ad meliorem statum reducere,  
ne spe suâ fallantur illi, qui priore tyran-  
nide premebantur. Intendit siquidem  
Galba magis crudelitatem prædecessoris Ne-  
ronis, quàm emendavit: aded, ut, Tacito ajente,  
ipse



ipse introitus Galbæ in urbem tot millibus trucidatis infaustus omine fuerit. Ex tanta enim laniena inermium militum, quos unâ cum consule Cingonio Varrone, & Senatore Petronio Turpiliano seditionis prætextu interemerat, concivit sibi præcipitium potius, quàm folium Romanum stabilit, pessimo suo & Reipublicæ fato, à Camurio gregario milite jugulatus.



## OBSERVATIO X.

### *De successore certo.*

1. **I**Nter arcana, & subsidia dominationis reponit Tacitus : certum in Principatu successorē, sive : ne successor sit in incerto. Non legiones, aiebat Titus, non classes tam firma Imperij munimenta esse, quàm numerum liberorum. Hos si fors & natura negavit, saltem in domo sua, vel ex proximè conjunctis sibi quærat successorem Princeps. Optimum quemque etiam adoptione inveniri, observat Tacitus. Hoc sine Augustus aliquot adoptavit, sed unum destinavit.

2. Rem altius repeto : videbat enim Augustus æquè Reipublicæ, ac Dominationi, & Domui suæ expedire, ut Principatus ne-acquisitus non unius tantum personæ & ætati innitatur, sed opus apprimè esse, ut in posteros transeat per successionem, adeoque viribus nitatur & numero aut liberorum, aut adoptivorum : igitur cum orbus esset prole masculâ, plures sibi ex familiâ destinavit, quos deinceps dignitatibus ac potentiâ cumulos populo in venerationem exposuit. Eos inter erant Claudius Marcellus ex sorore Octaviâ filius, cui in sponsam dedit filiam suam adjuncto Pontificatu & curuli ædilitate. Marcum Agrippam Vipsanium gemino Consulatu ornavit, ac post obitum Claudij Marcelli coëgit, ut repudiatâ primâ conjuge Juliæ filia suæ, tunc ex morte Claudij viduæ, jungeretur. Ita nimirum firmius Virum Consularem, sibi que in rebus gerendis fidum summæ spei destinavit. Mors deinde Agrippæ, quam è Panoniâ redux contraxerat, admovit propius Tiberium, uti & Claudium Drusum privignos ex Livia ; quos confestim Imperatorijs nominibus ad publicam venerationem ac spem successionis sensim ad-

movebat. Erant & alij duo nepotes ex præfato Agrippâ & Juliâ, Cajus & Lucius, ambo in Familiam Cæfarum adoptati, eoque sine adhuc teneri ad curam Reipublicæ admoti, & Consules designati, Provincijs & exercitibus præpositi. Verùm Lucius Massiliæ, cùm in Hispaniam ad exercitum ab Augusto mitteretur, repentinâ morte extinctus: Cajus autem in Lycia, cùm ex Armenia rediret, in rixa ludicra vulneratus, occubuit. Sic spe totâ in Tiberium illapsâ, Liviæ deinceps artes apud maritum, muliebri imperio obnoxium, effecere, ut ille Successor in Imperio certus diceretur. Aded sollicitus de successore Augustus exemplum dedit alijs principibus, ut in electivis Regnis & Imperijs non torpescant, sed maturè invigilent, quo eorum honori, eorumque Familiæ, ac bono publico consulatur. Minore enim semper discrimine Reipublicæ sumitur Princeps, quàm quæritur.

3. Unde non solum hoc arcanum Domûs, sed etiam Imperij est. Arcanum (intellige) Imperij, quatenus destinatur successor, ne intercitat, aut concutiatur Monarchia. Arcanum

num domûs, quatenus providetur, ut in familia certa permaneat Principatus. Id ferme in institutione primâ Regni Gallix observatum: nam primò exclusæ fœminæ, filix, & sorores Regiæ, colo magis, quàm scepro mancipatæ, per antiquissimam legem Regni Salicam: deinde per eandem legem admissi ad Regnum masculi, filij, fratres, etiam agnati, ut hâc ratione nunquam sit successor in incerto. Quod nunc, & olim, ubi sceptrum transibat de stirpe emortuâ in novam stirpem, plurimùm contulit ad pacem & quietem publicam, Interim hæc successio non fit per hæreditatem, quia Galli quoad Regnum nullam agnoscunt successionem patrimonialem, vel hæreditariam, sed solent primogeniti (quos Delphinos ob Delphinatum, ab ultimo hujus Provinciæ Principe illis donatum, vocant) & horum defectu, proximi agnati per simplicem surrogationem vi, legis fundamentalis Regni, in Solio succedere. Id ipsum asseverat Barclaius de Gallia in mysteriosa sua Argenide ita inquiring: ubi fortuna regnandi, stirpe in una consenuit (ut in Carolingâ, Merovingâ, Valesia) Regum præteritorum reverentia aded vivit in posteris, ut vel

cunæ puerorum, in purpuram natorum, tacitâ confessione fortis nostræ nos tangant : nec ijs parere indignemur, quos priùs, quàm lucem subeant, nasci, ut imperent, aut imperare possint. Verùm

4. Expediet successorem destinatum, populo notum ac gratum facere. Arcanum fuit olim Augusti & Tiberij, modernis quoque temporibus imitatione dignum. Variè id practicavit, ut diximus, cum suis adoptivis. Designavit primùm nedùm Consules positâ puerili prætextâ ; quasi in facijs involui deberent Regij fasces. Insignia deinde nomina & Principatûs vocabula (quæ omnia Tacitus exprimit) illis attribuit : Principes Juventutis, & Tribunitiæ potestatis consortes compellans. Postea dici cæpère Cæsares, quo nomine antea ipsi Principes cum modestia gaudebant. Tandem per exercitus ostentati, comitatûs eximio splendore & magnificentiâ apparatus externi : cui accessit liberalitas, & in optimum quemque profusio.

5. Vestigia antiquitatis remansere usque posteriora sæcula : Imperij Occidentalis sive  
Ro-

Romani successorē compellamus Regem Romanorum : Gallix Delphinum : Hispanix Infantem : Anglix Wallix Principem. Carolus V. Philippum filium per Belgium & Italiam circumduxit visendum omnibus, Successorē ac hæredem tantorum Regnorum ac Provinciarum propediem extiturum. Et ut conspectus ejusmodi Successoris virtus eluceat : proderit apud eos Populos ipsum aliquando educari, quibus aliquando erit imperaturus. Multum hoc conciliare solet amoris, fiducia, & existimationis erga præsentem Principem apud subditos; licet malè cesserit Maximiliano Austriaco, qui apud Belgarum ordines in educatione reliquerat filium suum Philippum, primam veramque stirpem utriusque Austriæ, Hispanæ & Germanæ.

6. Ad successionis certitudinem valet Agrippinæ arcanum, ut aliquando Mors tegatur Principis prædecessoris, usque dum Successor sit in certo. Ad præcavendos nimirum seditiones, & pravas aliorum spes coercendas. Arcano hoc feliciter & utiliter

usa est Agrippina, ut per longum refert Tacitus. Obierat jam Claudius Imperator, sed quem Agrippina simulabat vivere. Senatui illa indixit preces & vota pro incolumitate Principis: obtulere Consules & Sacerdotes, cum jam exanimis vestibus & fomentis obtegeretur. Sic fefellit omnes, eo videlicet fine, ut res interea formando Neronis Imperio componerentur. Tunc primum Agrippina, velut dolore victa, & solatia quaerens, tenerè amplexa Britannicum (suum videlicet privignum, Claudij filium ex primo thoro, & verum Imperij hæredem) ac dulciter compellans veram paterni oris effigiem, atque varijs artibus demorata, ne cubiculo in publicum egrederetur. Antoniam quoque, & Octaviam Sorores Britanici attinuit, & cunctos aditus custodij clausit, crebrò evulgans, ire in melius valetudinem Claudij, quo miles bona in spe ageret, Senatus nihil moveret, Britannicus illuderetur, & amici Domûs Claudiae nil urgerent; conciliatis sibi interim Prætorianis, & provisus omnibus, quibus ad tantum facinus opus. Tunc medio diei, tertium ante idus Octobris, foribus palatij repentè diductis, comitante Burrho, Domitius

Nero, Agrippinæ ex Domitio Ænobarbo filius & Claudij privignus exilit, séque ante cohortem, quæ more militiæ excubabat, sistit. Ibi, monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ, deportatur in castra, pollicetur ibi multa militibus, tandem salutatur Imperator. Ex quo liquet arcani hujus vis, quantum nimirum expediat, aliquando occultare Principis obitum, usque dum constet de certo successore. Aded præter expectationem omnium, adversante tamen nemine, Nero Britanico, privignus filio, adoptivus naturali hæredi, sinè motu, sinè cæde solium Romanum præripuit. Feliciter id præstitit sagax sæmina, licèt minùs justè.

7. Ubi plures prætendunt successionem, caveat omninò Princeps, ne cuiquam ex ijs in specie suffragetur, ante tempus, & palàm. Uno enim ad solium nuncupato, alterius spes præciditur: exinde odium, temeritas, conjuratio perniciofa semper Regno & Regi.

Ideo Tiberius Imperator, ait Tacitus, judicium suum continuit in Druso filio, & Germani-



manico Principe, quia sciebat, quòd tantum amaretur à populo Germanicus, quantum Drusus amari posset à Patre: proinde tunc primò nominavit Drusus Imperij successorem, cum jam Germanicus esset extinctus. Neque etiam Augustus ipsum Tiberium prius successorem suum nuncupavit, nisi alijs adoptivis præmortuis, & Agrippâ posthumo legato.

8. Et priore ævo Elisabetha Angliæ Regina ob hanc causam lege cavit, ne videlicet quis, sub pœnâ extremi supplicij mentionem moveret de futuro successore Regni, inquiens: sibi ante mortem non fodiendum esse sepulchrum. Id si imitatus fuisset Casimirus Poloniæ Rex, & circa successorem uxorias preces non audivisset, vix tantæ calamitates, cum proprio Regis ludibrio obruissent Regnum, tot deinceps, & nunc motibus quassatum. Ipsi etiam ministri & aulici, præcipuè autem Magnates Regni continent se, neque palàm ambient gratiam successoris, si Regnantis conservare cupiunt. Tiberius, cum Macronem Præfectum Prætorio, nimirum Caligulæ, qui successor designabatur Tiberij, studentem observaret, exprobravit illico:

dentem desereri. Suspectus semper, inuisusque est dominanti, quis quis ei proximus ab alijs jactatur. Semper enim successor habere Imperium, quàm expectare mavult. Id exinde æquissimum erit, ut ipse Regnans sibi quærat successorem, vel ex thoro suo, quod optimum est, vel ex domo suâ, quod æquum, vel ex adoptione, quod olim frequens, nunc in usu non est: sicque rebus omnibus prius pacatis, & dextrè sinè strepitu confectis, ac absque metu repulsæ ipse assumat negotium de successore sibi constituendo. Si Regnum est hæreditarium aut successivum, nunquam committat illud libertati subditorum: Si verò liberum est ac electivum, tunc captivandi Electores, persuadendi Proceres; & Reipublicæ utilitas ac necessitas (quæ exsuperat omnes causas) remonstranda.

9. Ex hoc constituendi successoris arcano Augustissima Austriacorum Domus à Rudolpho primo Imperatore per duodecim generationes usque ad præsentem Josephum (Pri-

mum & invictum) Germaniæ, sacroque Imperio dedit sex supra decem Reges & Imperatores. Licet verò post Rudolphum I. ejusque filium Albertum I. & inter hunc & Albertum II. interrupta fuerit Cæsarum ex Austria series; attamen ab Electione Alberti II. Austriaci, factâ anno 1438. continuavit Austria in occidentis folio sinè interruptione, usque hunc, quo scribo, annum, per ducentos sexaginta novem annos tribus ferme sæculis sub tredecim Regibus & Imperatoribus Romanorum. Ita nimirum videtur divinitus character quidem impressus Regnatrici huic Domui, ut perpetuæ istius venerationis argumento apud Electores Imperij præscripsisse censeatur. Eat nunc livor, & in se rebibat toxicum, quod toties evomuit in clementissimam hanc Domum, quæ nunquam malis artibus, non circumventionibus, non turpibus promissis (ut aliæ sæpius gestierunt coronæ) sed virtutis, meritorum, Clementiæ, generis, maximarúmque virium famâ & utilitatis publicæ causâ conscendit, meruitque supremum in orbe folium. Huic Domui Augustæ subjici magis libertatem, quàm servitatem ajo. Sub Majestate Austriaci Imperij

rij (ait scriptor ille egregius contra Hypolithum) non extenuatur Principum Ordinúmque dignitas & libertas, sed conservatur magis: ut sub unius Superioris Imperio, majorem in toto orbe non reperiri, palàm sit, quàm Germaniæ Ordinum est, sive dignitas, sive authoritas, sive libertas. Hæ sunt illæ illecebræ, quibus Domus Austriaca se charam, unicamque reddit Imperio Germanorum. Iterata Austriacorum ad Imperij clavum electio nullum Electoribus improprium est, cùm quoties illa facta sit, toties (per tria ferme sæcula) felicius cesserit, quàm cùm facta non fuerit, ut experta cum luctu est Germania in interruptione factâ inter Rudolphum I. & Albertum I. & inter hunc & Albertum II. Ringatur hîc Richelius, ringatur Mazarinus, ringatur Hypolithus à lapide infesta Austriacæ gloriæ nomina. Nam tandem ringi livoris est.

## OBSERVATIO XI.

*Circa augmenta Statûs.*

I. **N**ON progredi est regredi. Hoc verè staticticum Regiúmque arcanum esse, fatetur

tetur Livius, ubi fuggerebat: **Regum Ma-**  
**jestatem** difficiliùs à summo fastigio  
 ad medium detrahi, quàm à medijs ad  
 ima præcipitari. Multi Principes medio-  
 critatē amant, sed in hâc ipsâ mediocritate segne-  
 scunt: si adversa adfunt, planè concidunt.  
 Magnanimos Principes nunquam sistunt Her-  
 culis columnæ. Nemo illis occinat: **NON**  
 plùs ultra. Qui non movetur, quiescit: na-  
 tura autem omnis ex imbecillitate suâ, dum  
 quiescere, incipit sensim declinare. Quæ non  
 in melius verti; nec diu etiam sistere valent:  
 reliquum igitur est, ut in deterius dilabantur  
 ex aphorismo Hippocratis: Tardiora sunt reme-  
 dia, quàm mala.

2. Inter arcana statûs apud veteres Ro-  
 manos ferme primum habebatur: **Prolata-**  
**tio pomærij sive Imperij cum adje-**  
**ctione Provinciarum.** Etiamnum apud  
 Portam Ottomanam nemo Imperatorum au-  
 det priùs **Divanam** cogere, nisi postquam  
 Imperium auxerit adjectione alicujus novæ di-  
 tionis. Regio spiritui omnia pervia sunt: ni-  
 hil

hil impenetrabile avaro gloriæ. Montes præruptos Appenini, Cherfoneti: paludes, Oceani fluctus, Vesuvij ignes, Norwegiæ & novæ Zemblæ glaciem exsuperat magnus animus. Unum Ruppellæ expugnatae, operâ & ductu purpurati Archistrategi Richelij exemplum, est velut compendium omnium periculorum & discriminum, virtutis & audaciæ, & quid mens humana excogitare, & voluntas perficere queat. Fortassis posteritas (ut Annales Galliæ perhibent) non credet, eam urbem, quã implebant ferocissimi cives, & perduellionum Duces, quæ fons capûtque hæresis, Ministrorum infaniæ obnoxia foret, quãmve priùs tantâ Gallorum strage frustra impugnaverat Dux Andegavensis, cadere potuisse. At casus iste sine exemplo, laborioso & à sæculis inaudito conatu constitit. Obsidio primùm duravit per annum & dimidium. In castris hyematum à Rege, & milite. Frigori, fami obsidentium subventum abundanter industriâ Cardinalis. Tredecim erecta castella, quæ obvallaverant urbem. Oceanus clausus (quis hoc credat?) imò prodigiosâ illâ molle, quam Richelius excogitaverat, in compedes positus, ab utroque

litore in medium diductâ ex ingentibus faxis lineâ, quæ aduersa navigia sistebat. Atque plura alia adjuncta in terriculamentum munita, & militares machinæ, incendiariæ naves, & quid non? Nulla tunc ampliùs nec ab intus nec à foris obsessis spes; nullum verò obsidentibus periculum, nec à Ruppellanis, nec ab Anglis ( qui ab aduerso litore cum maximo exercitu otiosi suspiciebant prodigia Richelij ) nec ab Oceano ( qui clausus erat ) nec à continente pleno castellis & machinis Gallicis, ex superante omnia unius Cardinalis mente & labore improbo. Ad tam gigantæum opus exterritâ Ruppellâ, non tamen exanimatâ, nisi fames contumaciam exanimâffet. Cecidit itaque magna illa, sed hærefum colluvie pessima Urbs; aliàs invicta, nisi invicta Richelij constantia impugnâffet illius contumaciam. Insinuavi per tranfenam hoc, ut Principes discant, Otio nihil agi: magnanimitati & constantiæ nîl obvium esse. Ibit hoc Gallorum ( qui aliàs, licèt audaces, nec constantes, nec patientes sunt ) maximum facinus alijs gentibus in exemplum, quibus natura ipsa constantiam, educatio patientiam dedit.

3. Interea vim præfati arcani non repono in male acquirendis vel ambiendis; neque in usurpatione, vel invasione aliorum statuum, nec in ejusmodi artibus, quæ repugnant justitiæ aut Regiæ fidei. Talia olim Romani Gallis Senonensibus exprobraverunt, hos illi sciscitantes: quo jure agros hominum, à quibus nullâ injuriâ laceffiti fuissent, populabundi invaserint? responderunt: Legem antiquissimam secuti, quâ præstantiori ea, quæ sunt debiliorum, tribuantur. Sophisma hoc statisticum est, non Christianum.

4. Eâdem exprobratione dignus Tigranes Rex Armenus, qui Regni terminos non fluminibus, non montibus, non inaccessibleibus rupibus claudebat; sed quò dominandi libido, annorumque gloria ferebat. Id olim Alexander Macedo in Orbem universum: id Rex Sveciæ in Germaniam priori ævo tentavit; nullam cum Mario Romano legem præ armis expendens. Sed magis hæc ad Barbaros pertinent: Christiani autem Principes pro vero habeant: Non semper Regium esse, de alienis certare. Non omnia sanguine sed æquitate;



non omnia armis expendi, sed causâ. Meliùs bene sua regere, quàm alienis exuvijs sua ampliare. Dixit Rudolphus I. Habsburgicus. Tantò feliciùs est, conservare propria, quantò indigniùs, per injuriam quærere aliena.

5. Citra aliena, in suis ipsis Regnis habeant Principes suæ augmenta gloriæ, & in melius semper progrediendi occasionem. Non solum aliena parare, sed etiam tueri sua, gloriosum est. Num deest recuperare avita, & olim deperdita? num persequi Ecclesiæ hostes? Etiam fœdera, etiam matrimonia, citra injuriam, augmentant status. Quanta ex commercijs, quanta ex agricultuâ, quæ ex rectâ justitiæ administratione emolumenta Reipublicæ? talia sunt, in quibus nunquam Principem oportet ðmetam ponere, nunquam sistere, sed semper progredi, nî turpiter regredi velit. Omnia Virtute, nihil malâ fide: omnia zelo boni publici, nihil insanâ cupiditate suscipiat.


6. At si Imperanti aliquando armis progredi, & pomæria sua ex justo titulo, bonâque causâ  
exten-

extendere expediet; tunc expeditiones suas molliatur per intervalla, integris viribus, & domi firmato statu. Dixi per intervalla: quidquid enim citò fit, citò perit. Turcarum Sultani intervalla ponunt, pedetentim munimenta expugnant; & ubi feliciter bellum confecerint, interponunt laboribus quietem; obtenta in ordinem redigunt, seque fortius armant in futuras expeditiones. Tum reassumpto bello fortius agunt, sicque & sensim, pas à pas (ut ajunt Hispani) se extendentes, formidandum toti mundo Imperium constituerunt. Tempore enim opus est, devictos in obsequium subigendi, partorum conservandorum rationem ineundi, bello desolata restaurandi, seque in hostico solo firmandi. Primus belli fructus est, nosse parta tueri. Quantum in neo-partis perdendi periculum! quantus apud bello captos, & neo-subditos seditio! num metus? Huc pertinet etiam aphorismus ille polemicus: **Post intercalare bellum integris viribus in campum redire.** Tamberlanus à doctrinâ hujus aphorismi valde deflexit. Is enim Bajazethe victo, capto, ferreae cavæ mancipato, velut gloriæ

suæ insignia in præcipuas Asiæ & Africae partes transvexit, Europam usque ad columnas Herculis, licet per transitum, perterruit, fretum Gaditanum trajecit, Asiam vastavit, Africae promontoria, & quas mare aluit partes, sibi subjecit, terrore post se relicto reliqui occupandi orbis. At domū redux, longūmque ibi comorans, immemor quasi aucupatae gloriæ, totque occupatorum Regnorum, nec vires restauravit, nec in campum redijt: ideo omnia parta ferè amisit, quia non institit victoriæ, nec ad ulteriora progressus, suis ab Indo fluvio ad Sebastem Cappadociæ finibus contentus. Controversum: an major, quod cupiditatis modum fixerit? an segnior, quod amore quietis, tanta, quæ occupaverat, amiserit? Hoc tamen certum, quodd, cum quiescere, cœperit declinare. Sic Galli, si parta nossent tueri, & supremus ille Cæli oculus sineret eos progredi, Europæ jam propè toti dominarentur.

7. Dixi superiùs: **Domi firmato Regno.** Aliena siquidem quærere, & de suis periclitari; incerta ambire, & certa deperdere; fabulâ & risu Æsopi dignum hoc est. Julius Cæsar subactâ jam Galliâ, dum sinè morâ Britanniam

occupare gestit, nec hanc habuit, alteramque ferè amisit. Et in Alexandro M. notant Politici, Majorem fuisse in acquirendo, quàm firmando Imperio. Imbres præcipitosi minùs efficiunt, quàm lenti. Prudens Princeps multùm progreditur, licèt parum assequatur novi, dummodo vetera rectè instituat, desolata restauret, nunquam in unâ fortunâ adeptâ quiescat, cùm plures sint residuæ. Acquirere fortis, conservare artis opus est. Præfatum arcanum omni tempore belli & pacis vim suam retinet, nec deperdit eam, nisi in otio, inertiam ac nimiam securitate regnantis, quæ frequentissimum, ut Vellejus notat, calamitatis publicæ solet esse principium. Nemo enim celerius opprimitur, quàm qui nihil timet: nemo cæno inhæret diutiùs, quàm qui se inde erigere nolit. Fortuna multos præcipitat ex favore.



## OBSERVATIO XII.

*Regule & Arcana circa pœnas.*

- I. **C**uncta Imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna arbitretur

bitretur Princeps; &, quod in alijs noluerit, sævitix vituperandum nomen declinet. Puniat: sed ex consuetudine non sæviat. Sufficiat interdum reos & crimina scire, vel ab illis sciri, se delinquentium reatus nosse. A suppliciorum spectaculis abesse magis proderit, quia interesse crudelitatem sapit. Domitianus ex hoc Nerone crudelior censebatur, quod iste supplicia imperabat, ille in miserorum extremo luctu plus oblectabatur illis, quam theatris. Crebra supplicia suspectum reddunt Imperantem vel de avaritiâ, vel de crudelitate: utraque exponit Principem omnium odio. Damnandorum opulencia excitat damnantis ingluviem; & consuetudo suppliciorum in naturam videtur transire crudelitatis.

2. Ab exordio per Cæsares usurpati Romani Imperij, mox aviditas illa replendi fiscû excogitavit **Legem Majestatis**, quæ accusatoribus latè campum aperuit adulandi & venandi Principis gratiam cum delatione & expilatione Illustrium Familiarum, & excisione magnorum virorum. Sufficiebat tunc accusasse. Nec obstabat ætas, nec sexus, nec toga, nec sagum, nec merita, nec dignitas, nec Consularis ordo.

do. <sup>A</sup> Omnium tunc crimen erat, quodd crimine carebant; vel quodd domi opulenti, quodd in sago strenui, quodd in senatu libero ore fuissent. Ex thoro, ex foro, ex curiâ, ex templo, ab epulis rapiebantur ad supplicium. Proculus nullo pavore natalizans inter suos amicos, & concives, raptus in curiam, damnatus pariter, & interfectus est, ut refert Tacitus. Nec unius fat erat supplicium, sed ex uno supplicio plurima, cum excisione integrarũ Familiarum. In Sejani supplicio, ùt ejus temporis historia commemorat, jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas, Illustres, ignobiles. Neque propinquis & amicis assistere, nec illachrymari, nec visere quidem diutiùs dabatur: sed circumjecti custodes, & in mærorem cujusque intenti, explorabant in novas accusationes argumenta. Corpora quidem putrefacta affectabantur propinqui, donec in Tyberim traherentur: ubi fluctantia, aut ripas appulsa, non cremare quispiam, non contingere audebat, assistentibus undequaque exploratoribus, qui novas legis Majestatis victimas cominiscabantur. Interciderat planè sortis humanæ commercium vi metûs; quantùmque sævitia gli-

sceret, tantum commiseratio arcebatur. Absint à Principe Christiano hæc monstra potius, quàm exempla ! Nemo Princeps fert longam ætatem, qui plus æquo in suos sævit, vel opes magis plectit, quàm culpas. *Experientiâ magistrâ id receptum: Firmissimum illud esse Imperium, quo obedientes gaudent.*

3. Princeps nemini, licet verbo læsus, vel insidijs obrutus, manus inferat. Quia ubi fervida est vindicta, non est temperata Justitia. Pœnæ & supplicia magis ad ministros spectant: vindicabunt hi Principem ex normâ Justitiæ longè justius, quàm ipse ex lege summi Imperij, quod antiqui dixerunt summam injuriam. Ut crudelitatis evitet Princeps notam, satius erit, pœnas per ministros exequi, omnemque rigorem vel justitiæ, vel boni publici necessitate excusare.

4. Nihilominus Principes, quemadmodum clementes, ita & justos, justitiæque zelatores esse oportet. Ideo enim ab Apostolo illis datur gladius in vindictam, & scelerum correctionem. Hoc nequaquam omittere, Principibus præcipit in primis ipsa Ratio statûs; sed ut humanita-

tis non obliti, condoleant fragilitati. Quod sva-  
det etiã illa modestiæ fama, Summis quibus-  
que mortalium ( Tacito teste ) non asper-  
nanda.

Pœna criminis authorem ne transeat; ne  
innocentes filij & nepotes, ne amici, & servi,  
qui crimini non se complicuerunt, in supplicij  
societatem trahantur. Si DEUS in Lege Veteri  
in tertiam usque generationem ultus est sibi in-  
juriam illatam, id fecit ex altissimo illo Domi-  
nio, quod habet in universum mundum, qua-  
le Reges in subditos non habent. Possunt atta-  
men demoveri, relegari securitatis publicæ gra-  
tiã. Pœna etiam delicti gravitatem nequa-  
quam excedat, sed diversa in diversis crimini-  
bus, ut inde scelerum gravitas, ex magnitudi-  
ne pœnæ pateat, infligatur. Romani arbitrium  
supplicij aliquando reo permittebant, & etiam-  
num mitiores Principes plerumque, ubi con-  
donare non expedit, minuunt supplicij acerbi-  
tatem, maximè circa personas Illustres, existi-  
mantes cum Senecâ, quemadmodum arbores  
quædam recisæ pullulant, ita pœnarum acer-  
bitas in subditos auget adversus Principem ini-  
micorum



micorum numerum. Sufficit ad securitatem illum tollere, qui eam turbare posset. Excogitata illa atrocitas, præsertim ignominiosorum suppliciorum in personas Illustres, non solum indignationem generat apud æquales, sed vindictæ etiam studium apud conjunctos turpi supplicio extincti.

5. Negare defensionalia accusatis, aut spatium non concedere diluendi objecta, adversatur naturæ, & humanitati, quia defensio est Juris naturæ, gentium, & civilis. Judicij integritas non impetum sequitur, sed jus; non personam, sed causam. Ad justissimam trutinam poni debent, quæ vitam hominis, honorem viri conspicui, & æternam ignominiam Illustrium familiarum concernunt. Nunquam justus Princeps præcipitato calculo suffragabitur in condemnationem. Nunquam tempus succidet & moram, quam vel Jura, vel municipalis lex concessit in tutelam reorum. Nunquam truci & imperioso vultu, nec interrogandi asperitate obruet periclitantem. Nunquam in desperationem aget animum afflictæ, sed eriget ad detestationem delicti, & ultroneam pœnæ, quam meruit, tolerantiam. Quod violenta nequit, peraget tranquilla potestas.

6. Attamen, ut alibi diximus, in delictis & facinoribus, quæ sine modo sunt, quæve pacem turbant Regni, vel Regis Majestatem convellunt, & tamen palàm de ijs constat, sùntque notaria, tam notoreitate juris, quàm facti, non semper juris ordine procedere expedit. Excepta crimina exceptas leges habent. Priùs provideri debet Regis, Regnique securitati, quàm reo. Ubi ex morâ periculum imminet, satius est, prævenire, quàm præveniri. In herbâ utiliùs supprimuntur zizania. Ejusmodi, qui publicæ felicitati, aut Principis vitæ infesti, qui recidivi, contumaces sunt in malo, non merentur juris ordinem, sed velut hostes Reipublicæ tractandi, & artibus quibuscunque in casses & pedicas trahendi. Cicero è Stoâ Philosophus, & vir Consularis in Catilinariâ conjuratione Legatos Allobrogum subornavit, instruxitque, ut conjuratos se simularent, adirent conjuratorum conventicula, pollicerentur operam, donec illi velut seditioso malo temulenti se ipsos Legatis propalassent. Hoc illud est, prævenire pericula, & ingentes motus absque motu sistere.

7. Felix, cui hæc pericula non obtingunt! talem Salustius descripsit Cæsari: qui benignitate & clementiâ Imperium temperavêre, his candida & lætâ omnia fuisse: etiam hostes æquiores, quàm alijs cives. Temperamentum hoc Imperij insinuat, velut arcanum Justitiæ vindicativæ, Tacitus in Agriculâ: omnia scire, non omnia persequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatē commodare, nec pænâ semper, sed sæpiùs pænitentia contentum esse. Naturæ humanæ fragilitas Principibus clementiam & modestiam svadet, ut etiam in puniendis delictis, & administratione justitiæ vindicativæ hæ duæ virtutes suam partem habeant. Lege omnium temporum, maximè nos homines, subjecti sumus erroribus: omnes corrigere Regnanti longum & difficile; interdum aliquos dissimulare, utile; inveteratos abolere vix possibile; qui contra Rempublicam vergunt, hos punire, necesse omnino est.



## OBSERVATIO XIII.

*Circa nobilitatem, & assumendos ad  
præfecturas & officia.*

1. **A**Rcanum verè magnum est: nosse, nobilitatem Regni condignè tractare, & in rem suam, sibique devictam habere. Omnia tunc valebit, & verè Princeps absolutus erit; à quibus enim majorem sibi polliceri potest opem, arma, consilia, quàm à nobilitate?

2. Devinciet autem sibi illam, si præcipua munia tam in Aula, quàm in Curiâ, tam domi, quàm foris nobilibus administranda commiserit. Agrippa ille Augusti gener, ubi super hâc re à Socero consultus, appositè dixit: si parvi pretij hominibus Rempublicam comittis; mox Nobilium iram, propter contemptam illorum fidem, in te provocabis, & maximis in rebus clades patieris. Ejusmodi solcæcismum politicum comisisse Philippum II. Cardinalis Granvellani consilio, remotâ à publicis munijs Belgicâ nobilitate, multi credunt: unde dein-

Dion.  
lib. 52.

ceps tantæ miseriæ, tam in materiâ Religionis, quàm statûs obruerunt nobilissimam partem Coronæ Hispanicæ. Nobilitas nequaquam vult premi, neque negligi. Hæc inter plebejos & nobiles animos discriminis ratio est, quodd illi servire debeant, isti eminere velint. Nobilitatem oppressam vel contemptam citra statûs jacturam nunquam vidimus. Id proprio discrimine expertus Caligula, Nero, Vitelius, Helioabalus, & plures, non tantum ex Latinis, verum etiam Græcis Imperatoribus, qui vilissimos homines aurigas, histriones, mimos, saltatores & alios ad Aulæ vel Reipublicæ supremamunia evectos, viris avitâ gloriâ & suo merito illustribus prætulere: indèque sibi multi exitium, ac ipsi Reipublicæ accessivè detrimentum.

3. Proxima scepro officia tutius comitet Princeps Viris togatis, quàm militaribus. Minus illi tentabunt adversus Principem, quàm hi. Quod ipsum eâ moderatione & cautelâ fiat, ut civilia civilibus, militaria militaribus deferantur ingenijs. Rerum inverteretur ordo, si bella gererent imbelles, & Togæ munia induerent lorica. Negotijs pares, non supra, quæ-

rebat Tiberius. Mecænas Augusto svadebat, ut ex Equestri tantùm ordine eligeret Præfectum Prætorio (quæ dignitas scepro erat proxima) ne videlicet quispiam vir Consularis, aut Nobilitate generis, aut partialitate clientum, quidpiam moliri posset adversùs Regnantem; ut fecit sub Francisco II. Franciæ Rege Colignius; supplex quidem deinde Regi, sed nimium gravis libello, subscripto à centum ferme & quinquaginta millibus hominum.

4. Neque uni tantùm deferre summam rerum expedit; neque etiam multis. Multis committere, non solùm est, vulgare arcana statûs, quæ semper tecta esse debent, sed etiam inclinare in Regimen Poliarchicum. Uni & soli deferre, est dedecus Imperantis. Qui omnibus imperat, citra proprium ludibrium ab uno dependere non debet. Constat etiamnum de titulo Philippi III., cui aliquando per satyram inscriptus, & Regis orbi convivali suppositus fuit: Regi utriusque Orbis Maximo Philippo III. Hispano, nunc in servitijs Lermæi Ducis. Indigna res est, absolutum Principem subjici privato. Verissimè dixit Co-

minæus: Si quis unus & singularis tantam habeat fidem apud Principem, ut eum alij omnes observare & metuere debeant; is reverà dominatur, & Regnum obtinet, suisque rebus & facultatibus tantùm consulit, publicis neglectis. Principis nimia credulitas periclitari facit Ministri fidem, & Regni incolumitatem, cum tanta occasio præbeatur felonix homini fragili. Utrique paratur exitium, & Solio Principis, & qui Solio proximus est: huic ex invidia, æmulatione & odio inferiorum vel parium; illi ex augmento nimiarum virium, quibus abuti potest Minister, & in spem Regni erigi. Si errasti in hoc mi Princeps, maturè te recollige cum Agesilao; & Lyfandrum fastigio detractum, properè deprime, relega, vel planè, si meruit, tolle. Rarè magnus sinè casu, rarissimus sinè nævo devixit. Omne sæculum vidit ejusmodi fortis immodicæ ludibria. Talia fuère Cardinalis Eboracensis sub Henrico VIII. Angliæ Rege: sub Elisabeta comes Exsexius, Dux Bironius sub Henrico IV. Franciæ Rege: sub Philippo III. Dux Lernæus, & sub IV. Comes Olivarez: parco alijs notis nominibus. Aristotelis luculentissimo sensu, universale & irrefragabile præ-

præsidium & arcanum statûs Regij est :  
**Neminem unum nimis evehere.**

5. Sapiens Princeps non solùm non assumit eos ad talem Provinciæ Præfecturam, præsertim limitaneam, ubi illi propriam & magnam jurisdictionem habent, quâ exæquant cæteram Nobilitatem; sed etiam vix unquam duos vel plures ex unâ domo aut familiâ ad magnos Magistratus, præcipuè verò illos, à quibus ærariû & arma dependent, sub idem tempus evehit.

6. Cautus Princeps cupidores potentiæ Ministros, indéque suspectos finit aliquando invicem collidere: immò studiose inter illos modicas alit fovétque dissensiones, ne videlicet illorum concordia ipse Princeps opprimatur. Sicut enim in poliarchico regimine, toxico pejus est, si Optimates se dividant, aut mutuis odijs invicem persequantur, fit enim plerumque hoc cum pernicie Reipublicæ: Ita in Regio Imperio modicæ discordiæ inter potentes Ministros vel attenuant, vel attemperant humorem illum Regibus fatalem, quo quidam potentiâ tumidi, supra privatam fortunam esse volunt. Gramondi arcanum est: **Dissensione eorum, qui**  
 Pro-



Provincias administrant, valere auctoritatem Regum.

7. Deinde nunquam deesse debent Principibus speciosæ causæ, quibus sibi suspectos, vel promovendo demoveant, vel illis Provinciam mutant, vel ablegando relegent. Tiberius suspectum sibi, & reipsâ summopere potentem Germanicum, in ipso rerum victoriarumque cursu Præfecturæ suæ abstraxit, & ex Germaniâ in Italiam revocavit. Cujus avocationis speciosam prætexuit causam, nimirum, ut is in Syriam proficisceretur opulentissimam Provinciâ, ejus tantum virtuti ac merito studiosè reservatam: cum interea hæc solummodo erat causa, metus videlicet, invidia, suspicio ob nimiam famam, quam Germanicus apud Germanos obtinuerat, néve dividi contingeret Imperium. Deprecabatur mutationem Germanicus, sed Tiberius acrius aggreditur ejus modestiam, alterum Consulatum offerendo, cujus munia præfens obiret. Quapropter haud ultra cunctatus Germanicus, quamquam fingi omnia à Tiberio, & se parto decori per invidiam abstrahi intelligeret.

8. Alter supprimendi modus est, potentibus ea committere, unde fructum percipiunt exiguum, & sumptus ingentes impendunt. Scimus inde aliquot principes Familias valde attritas, obæratas & quasi in pauperiem redactas. Ottomanæ Principes rarâ arte expilant thesauros suorum Vesiriorum & Magnatum, cùm his suas sorores, filias, neptes adhuc innubiles desponsant, quibus infelices isti sine uxoribus mariti, non solum quot annis Regia alimenta præstare, pecunias ingentes exsolvere; verùm etiam in menses quasi singulos pretiosissima indumenta, & quid quid muliebris avaritia exoptat, indispensabiliter erogare coguntur. Priore sæculo Princeps quidam, non minùs facultosus, ac potens, quàm publicè & privatim supra vassalli statum magnificus, prætexto quodam errore calculi, ex paternis adhuc rationibus residui, unum & medium millionem (non ex reali debito, sed ex tacitâ mulctâ) exsolvere debuit. Nimis alti volatus subtractione alarum cohibentur.

9. Alij æmulum opponunt præpotenti, ut ille hujus actionibus infidietur, & molitionibus se opponat. Hoc ipsum tamen duobus periculis

lis subjacet. Primò si opponatur æmulus minùs idoneus & debilis, ex cujus depressione, alter tantò magis extolleretur. Secundò, si ambo se jungant, quod impossibile non est. In utroque Romani quondam decepti. Julio enim Cæsari Principatum meditati Bibulum illi collegam pariter, & adversarium statuerant, irritò planè conatu, cùm nec autoritate nec caliditate Bibulus par esset Julio, magis auxit, quàm attrivit collegæ potentiam & gloriam. Eodem modo conjunctio Cæsaris, Crasi, & Pompeij Triumviratûs nomine planè perdidit Rempublicam; cui priùs Cato vaticinabatur: horum aliquando reconciliationem, vel consensum fatalis exterminij causam futuram. Quod & factum.

10. Multum etiam decedit alicujus potentiæ, cui fulera amicorum demuntur. Soli parum nocent, sed accedit ex societate audacia. Tunc Germanici potentiam infregit Tiberius, ubi Sylanum affinitate Germanico conjunctum Syriæ Præfecturâ dejecit. Moderanda semper Provinciarum in unum, aut plures invicem conjunctos, collatio. In cervicem suam moliantur Principes, cùm privatos extollunt supra  
 ai P. 9. priva-

privatam fortunam. Incircumscriptam licentiam regulariter usurpatio consequitur. Neque facilè reddunt, qui summam accepere potestatem. Expertus hoc Carolus V. in Consalvo Pizarro, qui antequam redderet Cæsari Peruani Regni administrationem, armis experiri voluit contra Cæsarem & Regem suum; insuper non solum affectato, sed planè quæsito Regio titulo per Archi-Episcopum Limensem apud sedem Apostolicam. Sic indulgentiâ Regum facti nimij, fiunt tandem metuendi. Idem tulit Caroli nepos Hispaniæ Rex in Petro Girone Duce de Ossunâ Pro-Rege Neapolitano: contra cujus insolitam (cùm absolutam ex conventiâ Regis sibi arrogaret) potestatem tota perstrepebat Italia, gemebant populus, & Regni Proceres, neque Hispani Ministri eam longiùs ferebant. Revocatus igitur Pro-Rex à Rege, nequaquam paruit; imò ex Regis mandato substituto in Pro-Regis munus Cardinali Borgiæ se opposuit. Præventus attamen raro astu à Cardinali. Cùm enim iste se fingeret, spe muneris dejectum Romam redire, sui securum reddidit Pro-Regem. Interea Cardinalis ex itinere reassumptis viribus illicò reversus, occupa-

pato ex infidijs munimento, magno tormentorum fragore se Regiæ Urbi præsentem manifestat. Unde usurpator non tam urbe ejectus, quàm execratus fuit. Aded nimia potestas difficile redditur, præcipuè ubi ipsi Reges nimium connivent in solentia.

II. Huc spectat etiam illud arcanum Regium adversùs Aristocraticas urbes & provincias; ut nimirum Princeps Se ingerere studeat electionibus supremorum Magistratum, extra Aulam in Provincijs, & urbibus suo jure municipali viventibus: vel nominando candidatos, vel confirmando electos, vel prohibendo prorogationes, vel in his ipsis dispensando, vel excogitando nova officia (ut fecit olim Augustus) vel indicendo vacationem post Magistratus gestos, ut nimirum superbia ex longis honoribus concepta reprimatur, & fastuosi illi viri privato vitæ genere quasi depascantur. Magnus olim Imperij nostri honos fuit, quando Germani Imperatores toti fermè Italiae uti leges, ita Magistratus vel constituebant, vel confirmabant. Sed decessit hoc tantum decus partim conniventia,


par-

partim injustâ Cæsarum, sed præcipuè diuturnâ, acrique cum Pontificibus luctâ & diffidijs.

12. *Aulica* verò munia præsertim circa personâ Regnantis, & in materia statûs non faciliè patiuntur mutationes: ne videlicet innotescant arcana pluribus. Magnis negotijs (qualia statûs sunt) oportet insensescere, neque ea incipientium errandi periculo exponere. Tiberius cautè deligebat, & res suas, ut Tacitus ait, spectatissimo cuique demandabat: semel autem electos vix in proVectam usque ætatem dimittebat. Sempertamen Princeps integrum jus sibi habeat, de ejusmodi statûs munijs & Ministris pro lubitu disponendi.

13. *Monitum* tandem, & arcanum Aristotelis, extremo libri tertij capiti insertum, uti in se saluberrimum, ita Regio animo dignum est. Monet ille: **Ut Principes ejusmodi viris demandent res suas, quos sciunt non solùm immobili in se fide devinctos; sed etiam, quibus præsens status Regiminis placet.** Multi enim verò amant Principem, sed non Principatum: alij sunt Aristocratici, alij Monarchici: alij fasti-

diunt præsens Regimen, & pristinam libertatem suspirant: alij partem prætendunt Regiminis, alij nihil. Eos autem, qui sua potiùs negligunt quàm Principis commoda: quorum libertas & claritudo consistit in Imperantis obsequio: qui eadem cum suo Principe discrimina subeunt: quibus ipse nutus Imperantis pro Imperio est: qui petaces non sunt, & multum merentur: quos non tam majorum sanguis, & avita fides, quàm propria merita commendant, in pretio habeat, foveat, cumulet, tueatur, quis quis rectè & feliciter imperare gestit.



## OBSERVATIO XIV.

*Circa Aulam & Aulicos.*

1. **C**Um Tacito loquar: Inter abruptam contumaciam & deforme obsequium iter ingredior, ubi Aulam (cujus pro vitio virtus crimina ferre debet) & Aulicorum mores (qui rarè ex bonis legibus sunt) ad trutinam provoco. Hic primùm ficta omnia: hic solitum, verba dare, ut cautè possint fallere, dolosè blandiri, &, bonos simulare se viros, infidias facere; ac si hostes sint omnibus omnes. Stratocles agebat: quid quid Rex Demetrius jubet,

id esse apud DEUM sanctum, id esse apud homines longè justissimum. Sed Terentius, hìc apicem assecutus est, cùm diceret: quicquid dicunt laudo; id rursus si negant, non laudo id quoque: neget quis, nego: ait, ajo. Postremò imperavi egomet mihi, ait ille: **Omnia assentari.** Prout homo est, ita affectum gero. Verùm ficta ejusmodi, quia omnia sapientum calculo non diuturna, plerumque recidunt in vafaniam, præsertim si suâ spe frustrantur; vel in cruciatus animi, qui omnes virtutis & rationis partes concutiunt. Iram ego & impotentiam animi intelligo, quæ in Aulis tam frequens declamat ex cathedrâ pestilentia, quàm adulatio, assentatio, blanditiæque inter catellos sibariticos, & claustra Ginecæi. Sunt enim verò, adulationis larvâ detractâ, sui impotentes Aulici: rectissima quæque improbant odio aut æmulatione in authores: omnia redarguunt, quæ ipsi non proferunt, decoris & modestiæ omnis obliviscuntur, necessitudinum antiquarum vix memores, in quod cæpère, pertinaces, & intenti, rationi consiliisque bonis præ-  
 clusi, vanis agitati causis, ad conspectum veri

Seneca.  
ca.

æqui-



æquique inhabiles, ruinis simillimi, quæ super id, quod oppressere, franguntur.

2. Sapiens Aulicus medio ibit, & faciet, quæ non probabit, ut ad majora transitum inveniatur: nec relinquet bonos mores, sed tempora aptabit, & quibus alij utuntur in gloriam, aut voluptatem, utetur rei agendæ causâ.

Bonus Aulicus optimè miseras fert, si eas abscondit.

Prudens Aulicus, dum excelsus stat, nunquam pavere desistit.

Non est, quod putes, omnibus Aulam convenire: nihil est insolentius novitio Aulico.

Ad Aulam commeare, idem est, ac viam ad mare quærere. Vis mare? rivum sectare. Vis Aulam? Ministros sequere, cole, meritis & virtute apud illos præscribe. Alia usucaptio hîc non est. Catonem imitare: qui colaphis percussus non excanduit, non vindicavit injuriam, ne remissit quidem, sed factum negavit; majore animo

mo non agnovit, quàm ignovisset. Hæc rudimenta sunt aularum: ferendum, dissimulandum, differendum, necessitati parendum. Non licet hominem sæpè esse ita, ut vult, si res non finit.

3. Pecuniam in Aulâ, si cum Magnatibus, Ministris, Cameræ Regiæ foeminis prodigis, lucrum captabis, cum tui fuerint memores apud Regnantem. Ejusmodi preces auro armatæ sæpè extorserunt clavam Herculi. Etiam bona causa bono patrocinio indiget.

4. Deforme in Aulico est, de se ipso præsertim prædicare falsa; & cum irrisione (ait Cicero) audientium, imitari militem gloriosum. Aula non vult jactabundos, quia livor in proximo est. Noli contendere verbis, quia utile non est, nisi ad subversionem audientium: Paulinum hoc monitum fuit ad suum discipulum Timotheum. Xenocrates rogatus, cur unus omnium fileret? quoniam, inquit, locutum fuisse pœnituit ali-

quando, filuisse nunquam. Aliud loqui est, aliud se jactare: hoc odiosum, illud gratum acceptumque, si ad audientium placitum. Quoties aliquid dicimus, aut loquimur, toties de nobis judicatur.

5. Magnum in Aulâ insidiarum remedium, si non intelligantur. Hic labor, hoc opus erat Tiberij, sed magis ejus Ministrorum, qui semper metuebant, ne intelligere viderentur Cæsaris dissimulationes, & astus. Principes dissimulant sæpè, se non intelligere nostros nævos; sed nolunt intelligi, se eos intelligere.

6. Horatianum ad Aulicos arcanum est: Si vitare velis acerba quædam, nulli te facias nimis sodalem: gaudebis si minus: at etiam dolebis certò minus. Facies tamen sit aperta, manus ad serviendum promptæ, verba obsequiosa, sed non cuipiâ temerè animus affixus. Inter sociales cætus vix arcanum est, & inter familiares facilis contemptus. Salustius suggerebat: amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimandas. In omnibus rebus mediocritas est  
optima

optima. Nec amor, nec amicitia, nec credulitas, nec ira, nec vindicta, nec simulatio plus æquo intendi debet.

7. Præcipites non vult Aula, sed nec remissos; patientes vult, sed non segnes: longanimes, sed semper intentos occasione. Nonnunquam parva res, ait Tacitus, præbuit materiam adipiscendi favoris Regij: hunc si adeptus fueris, reverenter habe. Plato cum aliquando conscendisset equum, mox descendit, ne equestri fastu corripereetur.

8. Adulatores in aulis quidem prævalent, sed à sapientibus Principibus contemnuntur; à bonis tolerantur, à malis & juvenibus foventur. Mali & juvenes, boni haberi volunt & sapientes; quod cum re ipsa non sit, adulatorum encomijs se consequi putant. Boni Principes tolerant adulatores, ne vacuum Aulam habeant, ubi omnes ferme tales sunt: sed sapientes contemnunt, quia plerumque penetrant, ubi adulatio nimia est, & ocularis. Adulatio quippe, ait Tacitus, perinde anceps, si nimia, ac si nulla est. Modica ad civilitatem refertur,

si obtecta, ad prudentiam; magna servilis est; nimia, turpis & indigna. Tacitus memoriæ prodit, Tiberium, quoties curiâ egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui solitum:

**O Homines ad servitutē paratos!** Aded etiam ipsum Tiberium, ( qui aliàs Dominatum meditabatur, & Principatum jam exercebat ) tædebat tam projectæ adulantium Senatorum Consulúmque servitutis. Erant enim tempora illa ( nostris non dissimillima ) aded infecta, & adulationibus sordida, ut concertarent etiam primi & Consulares viri, quis citiùs, ac turpiùs antiquæ libertatis decus, cum inani Principis gratiâ commutaret. Prudentes Principes nunquam adultores, sed bene id amant, quod eorū adulationibus & servitute consequuntur. Erat tamen ijs temporibus unus adhuc, Lepidus nomine, sed reipsâ verè Vir gravis & sapiens, qui pleraque ab aliorum sævis adulationibus in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili authoritate & gratiâ apud Tiberium vigerit. Etiam apud improbos Principes virtus suum pretium obtinet, si in imprudentiam non exorbitat. Istuc est sapere, què, ubicumque opus sit, animum possis flectere citra improbitatis notam.

9. Bonus Aulicus semper accessu est facilis; vultu, qui accedentes demeretur, amabilis, non superbus; æquis se convenientium desiderijs propensus, nec iniquis acerbus; (Nam fastidium, acerbitem, arrogantiam, ait Ifo-crates, etiam servi Dominorum ægrè ferunt; quidni pares, socij, aut æmuli? Nullam officiorum gratitudinis, & liberalitatis exhibendæ occasionem omittit, interim non commemorat unquam, quæ contulit, aut exhibuit: beneficia non debent proficisci ab ostentatione, sed à bonâ voluntate. Grave tormentum, aiebat esse Seneca, deberi, cui nolis: contrà jucundum est, ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam post injuriam possis.

10. In aulâ cum aulâ loquendum, cum Principe sentiendum, nemini adversandum, cædendum, obsequendum, & ferendum magis, quàm imperandum, contendendum, conquerendum. Sic lætos habebis dies, sic finè invidiâ invenies laudem, & amicos pares. Mul-

tum tibi accedet, si non lædas, à quo læsus; & magna tibi erit gloria, si cui potuisti nocere, parcas: magna quies, si cedendo æmulationes vincas. Nec sis ex illis, qui beneficium in aquâ, injuriam in marmore scribunt: erga bene de te merentes gratus esto, sicut comis in aduersantes. Beneficium indignè accipit, qui nescit reddere: & carbones super caput ponit offendentis, benefaciendo, aut dissimulando. Sæpè flectit humilitas, quod nec virtus potuit superare, nec ratio, ait D. Ambrosius.

II. Aristotelis documentum etiam ad Aulicos pertinet: is Callisthenem sectatorem, & propinquum suum ad Regem Alexandrum mittens, hoc ipsi mandavit: **Ut quàm rarissimè, & jucundè apud hominem loqueretur, vitæ potestatem in acie linquæ portantem.** Homo iste Princeps est, qui facilè offenditur, difficilè placatur, & in vitam necémque dominatur. Periculosa est Aulico omnis familiaritas cum suo Regnante. Leones isti videntur mansuefacti; sed naturæ suæ ac potestatis non obliti, quod non possunt, volunt posse; & ex inopinato dilaniant catellos sibi

sibi plùs æquo familiares. Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. Non vocatus, ne adeas Principem; vocatus, parcè loquere, modestè audi, non interpella, reverenter exequere, & sinè morâ, ad literam, & ad punctum. Præteritus, dissimula, persevera, constantiùs & ferventiùs age, quod tui muneris est. Fortuna redibit citiùs, dissimulata. Non tuum est æstimare, quem Princeps supra te, & quibus de causis extollat. Illi summum judicium rerum Cœlum dedit, tibi obsequij gloria relicta est.

12. **Coram Rege noli videri sapiens :** id est, noli plus Rege sapere. Arcanum est divinum. Omne cum Principe certamen est inversum : Ut vincas, vincaris : vincere hic, perire est. Cùm à summo Pontifice ad Emanuele Regem Lusitanix litteræ magno ingenio elaboratæ venissent; Rex cum Aloyfio Sylveira, qui erat Regi à consilijs, consultavit, statuitque, quid rescribendum foret. Eum itaque jussit, suo Marte epistolam componere, addiditque se quoque velle in eandem rem calammum sumere (eloquentiæ namque laudem maximè



ximè affectavit Rex) sensit illicd Aloysius, quàm anceps & periculosum sibi foret congregi cum Rege victoriæ avido, paruitque tamen quanquam invitus, epistolámque pro suo ingenio compositam postridie ad Emanuelem attulit. Ea ubi recitata est, subrisit Rex, manúque Aloysij apprehensâ: Vicisti, inquit, Aloysi. Epistola tua planè digna est, quæ ob nitorem & acumen Romam mittatur. Et mittetur. Meam vix lectu dignam puto. Erubuit Aloysius, & gratijs de more actis, è vestigio domum suam reversus, equos insterni jubet, atque unâ cum liberis in ipso meridie, nullo cibo prægustato, in magno silentio solum vertit, exclamans: Alið, O filij nobis migrandum: non enim in eo Regno nobis diutiùs vivere licet, in quo sciat me Rex sibi ingenio præcellere. Aded sibi virtus nocet.

13. Aulici, pessimum inimicorum genus, laudantes. Infamant secretis criminationibus, & palàm celebrant, quòd incautiùs decipiantur laudati. Aulici, qui nimium laudant, exitium meditantur. Ita Mucianus fefellit Antonium; ita Tiberius Libonem; ita Fabius

Fabius Valens Mantium Valentē; callido nimirū  
 artificio accusatoriam dicacitatē laudum titulis  
 peragebant, quasi per benevolentiam, ubi inte-  
 rim erat toxicum insidiarum. Nec Tiberius,  
 nec Domitianus unquam terribiliores Tyranni  
 extitere, quā cum bonum oculum, vel clē-  
 mentiam offerrent. Quos subruere volunt  
 Aulici, hoc utuntur stratagemate, ut tali omnes  
 se submittant, quod citius vel Princeps supra for-  
 tunam euectum dedignetur, vel in laqueum  
 incidat ipse. Felices illi Aulici, qui eodem  
 fidere cum Principe nati! vix illis quidpiam in-  
 festum esse potest apud Imperantem. Unde  
 dubitare, cum Tacito cogor, an fato & forte  
 nascendi, ut ceteris, ita Principum inclinatio in  
 hos? vel an sit aliquid in nostris consilijs, liceat-  
 que vel in virtutis meritum, vel genij Sympa-  
 thiam refundere Principis gratiam? Divinan-  
 dum hoc potius. Et tamen tam magna hæc  
 felicitas est, cujus rationem, ut Aufonius dixit,  
 reddere nequimus. Interim non solum dan-  
 dum affectui ex similitudine morum, sed etiam  
 virtuti cognitæ, & præstitis meritis, & constanti  
 integritati, & laboribus exantlatis, qui merce-  
 dem merentur, quā major nulla est, quā favor  
 & Regnantis gratia,

## OBSERVATIO XV.

*Circa plebem & populares.*Cic.  
pro  
Rosc.

1. **V**ulgus ex varietate pauca, ex opinione multa æstimat. Esse melius non sentit: illud quod est, qualecunque est, probat. Prætextibus & cōmentis magis trahi debet, quàm solidis persuasionibus. Unde Seneca nunquam Populo placere voluit. Nam quæ ego scio, inquit ille, non probat Populus; quæ probat Populus, ego nescio. Quis placere potest Populo, cui placet virtus?

2. Malis plerumque artibus popularis favor quæritur: similem te illis facias oportet. Mirandum illud est, quod Pausanias asseverabat, hominẽ populari aurâ fidentem haud unquam feliciter diem ultimum clausisse. Illa quippe extollit & calcat abjectos: sublimes metuit & opprimit. Quanta nomina fuere populi ludibria! Galba, Vitelius, Manlius, Camilus, Lentulus, Aristides, Themistocles, Solon, Phocion, Socrates, Lycurgus & mille alij: per quos stetit populus, & per hunc illi: & tamen nemò

suâ

fiâ morte, sed violentâ devixit. Quid igitur? Solem imitare: hunc Mathematici perhibent, neque eodem, quo Cœlum, motu ferri, neque profus tamen contrario: sed obliquo & deflexo cursu leviter, incurvis circuitiõibus converti, quibus temperat omnia quàm rectissimè, & conservat. Ita in regendâ plebe rectus nimis, & ubique plebeæ sententiæ repugnans tenor durus est & inhumanus: sed rursus ad perniciẽ est proclive, obsequi plebi per omnia, & unâ cum peccantibus abripi se pati. Potius cum hâc sorte hominum variandum, obliquis artibus, prætextibus, circumventionibus, si necessariæ sunt: neque dicendum quid sit, aut esse debeat, sed quod apparet, & in præsentem usum expedit.

3. Populi natura rerum novarum cupidissima, & se à præsentibus malis liberandi tam ardens, ut quid postea futurum sit, non cogitet. Huic satius est aliquando condescendere, quàm vesaniâ jam æstuantem, primo impetu frænare. Primus æstus plebis irremediabilis est, sed mox remittit. Primum patere, vel tempera: remissum aggredere, & confunde. Præ cæteris arcani locò habeas: **Plebem nihil audere** Tacit.

Ductoribus ammotis. Hos tolle, divide, mercare, mitiga, & rem universam confecisti.

4. Horrēt animus ad illam sub Masaniello populi Neapolitani seditionem. Desperata jam erant omnia, excidium propè extremum Regiæ Urbis, neque supererat malo remedium. Pro-Rex tamen in id unum contendebat, ut Ductorem infanientis populi amoveret. Aggressus igitur Masaniellum caput, seditionis, per Cardinalem Filomarinum, qui Masaniello suaderet, ut tanti populi Princeps centonem abjiciat, & astro auróque fulgentem togam induat. Induit. Ex hâc comptior sibi visus ejusdem Cardinalis suasû Pro-Regem adit: quem in extremis gradibus obvium habuit, exceptus que ab illo mille honoribus & titulis, quos Pro-Rex in promptu habuit, vocandó illum Illustrissimum Dominum de Amalfi Capitaneum fidelissimi populi Neapolitani: An vilissimo piscatori hæc arriserint? incertum quidem: certius hoc, quod donaria omnia rejecerit. Induciæ tamen inter illos factæ, donec privilegiorum bajulus ex Hispania rediret. Intereà cum Masaniellus securitatis gratiâ peteret in depositum, castella urbis, dilata fuit quæstio in alterum diem, quo

Pro-Rex Masaniellum ad suburbanas delicias invitavit acturus ultrò de securitatis deposito. Venit; sed in malam suam sortem. Exinde enim, cum primùm à cœnâ rediret, cæpit non-nihil mente turbari, tandem postero die insanire, ac mille vefanias committere, quas hauserat ex Circeò Pro-Regis poculo (nam toxicum propinare periculosum fuisset) sic novem-dialis ille Monarcha, adoratus à populo, ut alter olim Moyfes; à Pro-Rege ut vilis piscator deceptus, & à suis met popularibus adoratoribus, æneâ glande trajectus ut vœsanus canis; sublatâ extemplò primâ seditione, restitutâ urbis quiete, dato in posteros documento: Plebem nihil audere Ductõribus am-motis.

5. Alterum est, ut adversùs plebis temeritatem nunquam Principes irâ & furore certent, sed comitate magis, donec possibile fuerit. Nocuit antiquus rigor, & nimia severitas Galbæ, cui tunc non paria erant Urbis vitia. Constat conciliari potuisse animos militum, quantulâcunque parci-fenis liberalitate: sed cum intempestivâ seve-

ritate legi à se militem, non emi pronuntiâisset, vitâ & Imperio excidit. Impetum furentis populi morâ & arte magis, quàm impetu & Marte frangendum expertus est sæpè Senatus Romanus, & exemplum Quinctij Curtij apprimè laudatum. Peccavit in Politicam graviter Dux Albanus in componendo, vel potius supplicijis enormibus exterminando Belgio. Stetisset forsan adhuc integrum pro Rege Catholico, & Religione Catholicâ, ubi jam potior illius pars sui Juris est, minima Regis, nulla fermè Religionis. Armato plebis furori cedendum est, saltem ad tempus, ut Petrus Medicæus fecit. Ad extrema usque consilia nunquam populus irritari debet, quia vel libertatem volet, vel alia Regna, Regesque circumspiciet, vel se Rémque publicam venalem habebit. Unde

6. Irritati plebis animi à Regnante; ab eodem non vi cogendi, sed lenioribus remedijs reducendi. Malo ipso acerbiora remedia vix ferri possunt. In primam vim plebis haud aliquid operabitur vis Imperantis: defervescet illa, cùm hæc paulum obriguerit. Plurimum autem conducet appropri-

priata malo remedia applicare, aliàs non tollitur morbus, sed ingravescet Imperantis inevitabili damno. Hinc

7. Populo, quæ grata sunt, & comoda; vix illi eripias. Itaque vel concedenda, si cum salute Reipublicæ non pugnent, vel alijs beneficijs oblatis ea sunt adimenda; vi enim haud ab eo auferes, aut si auferas, minus utiliter. Sic lex Terentilla de augendis Tribunis plebis ut Consulû potestas coërceretur, abrogari non poterat, quia plebi erat commoda & grata. Si tamen populo, magnum aliquod eripuisti, concede aliquid aliud, ut populus non negligi se videatur: sedabis exinde seditionem citra majores turbas. Nulla rei parvæ jactura est, quâ spes Reipublicæ quietandæ comitatur. Nunquam scit vincere, qui aliquando perdere nescit. Modica interdû esca piscationē ingentem conciliat. Sæpè plebs jure potestatis sibi concessæ, quàm illius usu contenta est: ne nimirum â Potentioribus videatur spreta, si jus illi negetur. Deinde ad eas leges, quæ ad plebis lucrum & sublevationem bonorum pertinent, tutandas potius

anima-



animatur plebs, quàm ad eas, quæ ad solum honorem spectant. Sic olim fanore leges, & Agraria libentiùs à Populo Romano auditæ, quàm de cõmunicando Consulatu, aut alijs dignitatibus.

8. Non temerè contemnendæ sunt populi querimonix; quæ plerumque prodromus sunt turbarum & seditionum, si negligantur. Prudens Princeps nunquam permittet obrui Populum à Nobilitate: præcavebit potiùs, imò subtrahet causas & occasiones incendij popularis, tardè affusus gelidâ, cùm jam seditio in flammâ abit. In principio statim audiet querulam plebem, & eam se exaudissè monstrabit promissis & responsis favorabilibus; quorum executionem tamen protrahet. Quia non omnia semper iusta & æqua sunt, quæ plebs insipiens suspirat. Morâ opus est, ut attemperentur consilia. Multa dissolvit tempus, & dies furorem lenit. Ex morâ pluriès conjuncta dissolvuntur, & dissoluta per se cadunt.

9. Si verò plebs contra Nobilitatem, aut Nobilitas contra plebem (sunt enim utrique naturales invicem insidix) arma arripuerit; neutri assistat Princeps, nec in partes

abeat: utrique tamen imperet Regiâ potestate. Sive neutralitas, sive partialitas, Authoritatis Regiæ est ruina, cum deses spectat suorum diffidia. Malo suo fato id expertus fuit Carolus IX. in Gallia Hugonotorum & Guislianorum factionibus discissa, quam cum in principio Authoritate suâ Regiâ componere debuisset, ipse tertiæ factionis author extitit, quam Politicorum nomine indigitavit. Imperiosi Principes continent populum, ignavi dissolvunt. Romam inspice, quam erat morigera illa sub Sixto V. Pontifice, quam dissoluta sub alijs; ut aliqui dixerint: Romanos Cives, & Nobiles eâ fuisse modestiâ & continentiâ sub Sixto, ut fuere sub alijs Pontificibus claustrales & Religiosi.

10. Nobilitatem non minùs suâ præsentiam, quam adductis rationibus (his quippe præ plebe monetur) componere fatagat: plebem verò simulatione, astu & prætextibus; cedendo non nihil primis populi furoribus; &, si inter arma preces miscebunt, largiendo modica, promittendo majora. Nescit affectibus imperare populus: ruit; non it: quia nescit, quò & quâ?

velut incompotus equus, qualis erat Alexandri Bucephalus, cui oportebat popismata nonnunquam dare, ut frænum, pateretur, néve fessorem excuteret.

11. Ministri saepe ac potentiores Regni premunt graviter populum. Protestatur iste: non auditur. Tandem querimoniam in seditionem abeunt. Juratur in caput Ministri: ad extrema decurritur, præter sanguinem, nullam satis ultione. Quid tunc Principi? Sanè nisi se despiciendum planè, populo modestiam ignaro, exponere voluerit, omninò necesse erit indulgere in aliquo, & talem Ministrum, licèt etiam sit infons, à se cautè dimittere, & apud externos securum reddere à furore populi: Ut factum sub Ludovico XIII. cum Cardinali Armando Richelieu, & sub Ludovico XIV. cum Cardinali Mazarino. Sic extinguetur flamma subtracto pabulo. Nullus tantus rogo est, qui in cineres non abit sublatam materiam. Contra nocentem verò Purpuratum procedet Princeps, ut justum dignumque fuerit: ne, si delictum neglexerit, in caput suum iram plebis provocet. Ubi semel populus excusserit reverentiam, nemini parcit, in Divos ipsos debacchatur. Quos furori ple-

bis subtrahere volet Princeps, vinciat: & quasi ad majorem poenam destinatos, custodiæ mancipet. Sic Senatus Romanus sub Vitelio; sic Marius Celsus sub Otone egit; sic Princeps indignationem populi leniet; sic Purpurato suo, si innocens est, saluti consulat.

12. Præsumit quandoque etiam plebs quædam exigere ex jure antiquæ libertatis. Verùm omnia illi concedere, & indifferenter ut voluerit; nec expedit, nec Regiam Majestatem decet. Nam indulgendo omnia, non mitiores in se, sed sæpius asperiores, alia ex alijs iniquiora efflagitando, cum prima impetrâssent, futuros. Neganda proinde omnia, quæ directè Majestatem Imperantis petunt: connivendum autem in illis (si tamen ita visum fuerit) quæ non quidem immediatè derogant, sed attemperant solum aliquomodo absolutam illam Regnantium potestatem, ne exorbitet, cum aliunde Summum Jus, seu Imperium, sit interdum summa injuria.

Præstat aliquando partem concedere, quàm de toto periclitari: eâ tamen ratione, ut male

indulta cum tempore retractari queant, & aboleri, quæ vi, & per seditionem non tam ob-  
 ta, quàm extorta fuere. Ubi deserbuit indigna-  
 tio; ubi æstui successit temperies; ubi tempe-  
 stati malacia; alia tunc etiam succedit facies re-  
 bus: neque id, quod per metum expressum  
 fuit, in morem abit deinceps. Indignissima  
 quæque hâc ultimâ Ragozianâ rebellione à Rege  
 suo exigunt Hungari clementiâ omni indigni.  
 Inter cætera detestanda erat nova Regis creatio,  
 quantumvis jam creato & inaugurato Josepho  
 in Regem Hungariæ. Regnum hoc jam toties  
 sibi Austria jure Belli, & ex Hungarorum igno-  
 miniosissimâ defectione, Turcis mancipatum  
 asseruit, velut rem propriam, & bello captam.  
 Ne dicam, de pacto gentilitio, quod intercessit  
 inter Mathiam & Fridericum Cæsarem Austria-  
 cum, cùm iste præ illo prætenderet se proximû  
 ex virili stemate hæredem esse Regni Hungariæ.  
 Desuper lite compositâ conventum est eâ lege  
 Regni, ut si absque sobole decederet Mathias,  
 domus Austriaca ex testato sibi Regnum illud  
 haberet hæreditarium. Quod ipsum renova-  
 tum est cum Maximiliano Austriaco; & in Fer-  
 dinando Caroli V. fratre tandem adimpletum.

Sed apud Hungaros, Gallicis artibus instructos, nec pacta valent, nec fides, nec Religio.

13. Verum continendæ plebis remedium olim usitatum, nunc fermè facile est, videlicet: Plebi auferre otium, & vulgus condignè occupare. In regnis ferventioribus, & sæpè in seditione reciduis, expedit nonnunquam subditos in bellum mittere ad externas gentes. Bellioso etenim populo quies, & otium diuturnius nocet. Plutarchus notat in Camilio: quod Romani quanquam Faliscorum obsidionem, rem longi temporis, & laboris immensi esse non ignorarent; ne tamen domi desides Tribunitijs concionibus ad res novas impellerentur, quibus nulla ex honesto spes, omne in turbido consiliu: implicari, quamvis difficilij bello, populum factius duxerunt: & hoc remedio plerumque utebantur ad otium ex civitate ejiciendum.

14. Disvasit Scipio Romanis Carthaginis excidium, quod prævideret Romam ad belli tantum munia institutam, in pace & in otio ruituram. Unde Quinti Metelli alta & gravis in Senatu Romano fuit sententia, cum devictâ Carthagine nesciret, an condolere, an gratulari Reipublicæ? Nam, ut restituendo pacem Romæ pro-

fuit; ita Anibalem submovendo nocuit: transitu enim ejus in Italiam, otiantis, & stertentis populi Romani spiritus excitabantur; postea cum acri æmulo liberi, vacabant facilius otio. Plus obfuit Romanis Carthago everfa, quam adverfa; hæc Urbi gloriam; illa caufavit acediã; fortes hæc; illa ignavos tulit Viros, & sæpè numerò, cum alia non haberent, in propria viscera sævientes. Sanguis diu retentus marcescit, vel in æstum febrilem effervescit. Phlebotomia quædam est politica, exonerare se à superfluis hominum seditiosorum humoribus, ut reconvalescat quies publica, & securitas Principis. Gallix regnantes bellis externis occupant suos, ne domesticas sentiant clades. Ottomani Reges non diu quiescunt à bello externo, ut domi habeant pacem. Otiantis plebis insolentia gravior est omni bello.

15. Ægypti pyramides fermè erectæ sunt hoc solo fine, ne plebs in longum otium degeneraret: utiles illæ, nec necessariæ erant Ægypto, nisi Republicæ causà, cum labore immodico ejus pericula pellerentur. Prævaricatio primi hominis, justo Numinis judicio posteritatem ad labores & patimenta continua condemnavit,  
quia

quia Paradisi otium seduxit protoparentes nostros, & nos ex nimio affluxu fortunæ, in deteriora præcipitamus.

16. Plebis otium prævertet Princeps invectione, & provectione agriculturæ, manufacturæ, artium mechanicarum, urbium, munimentorumque extructione, ex quibus non solum plebi victus abundanter affluit, sed etiam impeditur otium & ignavia, unde communiter resultat insolentia & morum corruptela, ex hac vero Republicæ discrimen. Fatigare plebem è Republicâ expedit: providere alimentis, & annonâ ad Regnantis spectat munus: indulgere illi omnia usque ad inertiam, est exponere quietem publicam insolentiæ populari. Nam secundæ res, ait Livius, extemplò Romanæ Reipublicæ motus excitaverunt.

●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●● ●●●●  
**OBSERVATIO XVI.**

*De Domesticis.*

i. Vix afferam Principem aliquando liberum, vix unquam suum. Nullibi liber est: quia ubique cinctus vel satellitio, vel suis domesticis. Nullibi tutus: quis enim credat in tantâ hominum, servorum, ac domesticorum



corum colluvie, non aliquos dubiæ fidei: non contentos, fortè offensos. Nullibi suus: an suus erit tot oculis expositus? tot judicijs obnoxius? Et quid, si domestici inimici ejus? non fallit litera sacra. Ideo inter arcana quæ Regiam securitatem firmant, maximi momenti est hoc: ut Princeps non facilè offendat suos domesticos, quorum insidias maximè cavere debet. Fortè subversores sunt tecum mi Princeps, & cum scorpionibus habitas? si domestici inimicitui, vix evitabis insidias, & ex insidijs certò vim patieris. Nullæ contra domesticum hostem sufficiunt excubiæ. Julium Cæsarem nec armati exercitus, nec tanta victoriarum famâ, nec miles Prætorij, nec majestas Imperatoria eximere potuit ab insidijs Bruti & Cassij, quorum primus planè filius habebatur Julij ex pellicatu Sylvie. Tiberium sat illud numerosu satellitiu, sat nocturnæ, diurnæq; excubiæ tuebantur adversus externos hostes; tueri contra Nepotes, suosq; planè familiares vix poterant. Tot Emulos Imperij fuderat, tot ingratos Sejanos dejecerat, jam consumatâ ætate, & consumptis viribus, tamen insidiatus à suis, imò

â Macrone sibi primo & fidissimo, in gratiam Caij, objectu multæ vestis oppressus, & suffocatus est. Quanti alij Reges & Principes ejusmodi fato violentæ mortis occubuère; & fermè plures â suis, & domesticis, quàm ab alijs, & externis.

2. Primùm autem illos domesticos cavebit Princeps, qui præpotentes sunt auctoritate & viribus, qui enim magnam potestatem habent, etiam si ipsi nullius pretij sint, ait Aristoteles, multùm nocent. Polit. c. 9. Rationem subjungit libro quarto c. 12. Nam qui in fluentiâ fortunæ, virium, opum & amicorum, aliorumq; taliũ constituti sunt, Regi æquè obedire neque volunt, neque nôrunt. Igitur rectè Tiberius ex optimis, id est Optimatibus, sibi periculum, â pessimis dedecus sibi metuebat, ut argutè notavit Tacitus libro primo Annalium. Hinc juvabit interdum explorare animos illorum, vires expendere, amicitias examinare, advertere ad motus, & inclinationes, quid adversum illis, quid acceptum sit? quid moliantur aut agant? quibus medijs, quibus viribus? ac inde consulere publicæ, suæque salutis. Si sibi

Imperans metuendum videbit ab aliquorum paratis infidijs, mature & ex templo reprimat, vel ab Aulâ removeat quocunque pretextu; & inquirat deinceps, si quid dignum sit extremitate pænæ. Sapiens Princeps præcavere debet, non expectare discrimen. Non est in foro alendus leunculus, nec in oppido leo, dicebat Aristophanes. Hâc ratione Tiberius Germanicum sveltis legionibus subtrahens, novisque Provincijs imponens, dolo simul & casibus objectavit. Id verò sibi maximè Princeps, formidolosum habeat: privati hominis nomen supra Principis attolli.

3. Secundò cavebit Imperans illos domesticos quos aliquando offendit, & Intimigratiâ, vel secretorum conficij fuere. Contra horum desperatam audaciâ nunquam se satis munit. Manebit altâ mente reposita offensa, & maximè mutatis rebus, vel noctâ ultionis occasione magnâ quodque audebunt. Aut non sunt offendendi, aut non admittendi ad interiorem confidentiam domestici, & Ministri, quos metuere potes. Vidit Saul Rex, quod David

prudens esset nimis, cæpit cavere eum; non cavebat prudentiã, sed cavebat multoties à se temerè lafam. Terribile, quid est Vir emeritus & domesticus, aut injuriã affectus, aut qui se affectum putat. Tiberio, aliàs quietè imperanti, mancipij unius audacia, nì maturè subventum fuisset, discordijs, armisque civilibus Rempublicam perculisset, ut testatur Dion historicus.

4. Verùm Tacitus ait: Sæpè magnum remedium esse insidiarum domesticarum, si non intelligantur. Dissimulet quandoque in principio insidias; insidiatores tamen observet: excusando exprobrat: clam, veluti sibi ignota, inquirat: citò præveniat, & cum prævenit, non se deprehendisse ostendat. Præventæ insidiæ, aut spretæ erubescunt, ipsasque sui pudebit. Hoc modo processit Tiberius cum multis; sed magis cum Pisone, qui hoc uno terrebatur, inquit Tacitus, quod Tiberium sine miseratione, sine irâ obstinatum, clausumque videret.

5. Tertio tutissimum Principi erit: Domesticos, & suos Intimos sibi totos addicere:

dicere : nunquam tamen ijs tantum dare, ut superabundent, sed semper, quod de illius gratia sperent, habeant. Non sine mysterio testamentum Mosaicum inter leges suas numeravit illam, quam liber Leviticus secundus exprimit capite XIV. In oblatione tuâ offeres sal; quasi etiam munera divina, si sine discretionemendantur, superis non placerent. Certum illud apud mercenarios & domesticos Principum: *Ubi nihil reliquum est, quod sperent, obsequia negare.* Beneficia eousque læta apud Principes sunt, dum videntur hæc illis à se exsolvi posse; ubi multum anteveniêre, pro gratia odium redditur, quia verecundantur se tantum debere. Contrarium accidit apud privatos: his nunquam beneficia tanta sunt, quin majora velint à Principe: &, cum majorum spes desinit, officio deerunt.

6. Quartò: Domestici nec tentandi, nec spernendi, nec externorum ludibrio exponendi. Longa horum memoria est; ultio sæpè parata, quia ex domestica familiaritate

liaritate præfens, & ex Principis fiducia inexpe-  
ctata. Henricus ille Magnus, nondum tunc  
Rex Galliarum, sed Navarra, habuit inter suos do-  
mesticos Uffacū quemdam nomine, Centurio-  
nem belli peritissimum, provectæ ætatis, & de-  
formem vultu. Is amore captus unius puellæ  
ex Gynecæo Regina Catharinæ (quæ integras  
cateruas ejusmodi puellarum ad inescandos Au-  
licorum animos, ut deinceps ex illis arcana quæ-  
que sciscitaretur, studiosè tenebat) amorem no-  
tavit Henricus (plus omnibus huic cœno im-  
mersus) suggestit itaque duobus Nobilibus, in-  
ter quos Dux Bovilon, ut senem amasium tra-  
ducerent, & planè irriderent. Quod perquam  
diligenter factum, ex gentis illius more, con-  
jectis ludicris diæterijs in turpitudinem senilis  
amoris. Desuper Uffaccus amore, & dolore fu-  
rens, semotâ veteri in Principem suum, quem  
authorem sciebat injuriæ, fide & amore, civi-  
tatem Rolensem, quæ illi commissa fuit, illico  
tradidit Henrico, tunc inimico Regi Franciæ.  
Advertant hinc gravissimum errorem Princi-  
pes, nec se sinant abripi ejusmodi scurilitatibus  
in suos domesticos fideles, & emeritos. Fides  
contempta aurâ inconstantior est, & magis ex-

poscit pro mercede æstimationem, quàm opes. Puncturæ privato ore prolatae, ad instar acûs sunt, modicè tantùm superficiem carnis lædunt: at ex ore Principis sunt ferale ferrum, intima cordis penetrans, & dilanians. Major à majori plaga offertur. Gravius saxum gravius deiecit, & gravissimè concutit. Ab Amico major offensa, quàm ab obvio quoque, ob conceptum & æstimationem amici: sed à Principe maxima, quæ plerumque in desperationem præcipitat offensos, & ex desperatione in insidias, seditiones, necem, quam jam pluri mi tulere coronati Vertices, non minùs suâ culpâ, quàm damnô. Intolerabile est, post longa præstita obsequia, contemni. Etiam ingratitude cadit in Principes, ubi suorum merita ludibrijs compensant. Ita, mi Princeps, age cum tuis domesticis, ut vereantur, non te detestentur: & cum timent, semper habeant in te, quod ament: Nec facilitas auctoritatem, nec severitas amorem diminuât. Sic tuos tractando, satellitij excubijs haud egebis.

## OBSERVATIO XVII.

*Circa subditorum judicia de Principe.*

**I.** EA popularium conditio est, ut, cum Regnantium consilia non penetrent, in deteriorem tamen partem ea interpretentur. Etiam in sole quærunt naves, licet fulgorem illius, humani oculi vix ferre valeant. Præ cæteris mortalibus, maximè Principes expositi sunt censuræ, & judicijs temeritatis popularis. **Oculi fervorum in manibus dominorum suorum Regius Psaltes cecinit non sine mysterio.** Manus operationem indicant ait Vatablus; ut vel inde Psaltis Divini testimonio constet, **Operationes Regum indefesso oculo observari à subditis.** Sicut in privatis domibus majores non sunt exploratores, detractores, cavillatores, quàm servi, mercenarij, & mancipia, ita in Regno & Principatu, majores sunt observatores Principum proprii subditi, quàm externi. Interim sapiens Princeps **Hominum de se judicia non spernet: sed arcanâ**



arte speculabitur & indagabit, quâ de re? à quo? & quâ de causâ.

2. Rudolphus Cæsar & Princeps Austriacus popularibus hominibus in mentitâ veste se quandôque immiscuit, ut de se, suisque expiscaretur sensum hominum. Id fecêre multi alij Principes olim, nunc alij modi non defunt, citrà tantam abjectionem. Antiochus rustici de se opinionem proprijs excepit auribus, cùm diceret, noster quidem Rex satis bonus est, eique omnia fausta precamur, sed quia nimium venationi indulget, rerum suarum negligentior habetur. Nerone noctû percurfitante Urbem, hinc inde in angulis constituti cives fingebant se non nôsse Principem, interim colloquebantur inter se, & objectabant Neroni: unus crudele Imperium, & immanem sævitiam. Alter effrœnatam libidinem, raptas virgines, pollutas matronas, violatas Vestales, incestus domesticos. Tertius intonabat, non amplius, toleraturos milites tam profani Principis Imperium. Sat supérque audivit Nero, & multò illum pluriù redarguebat animus; sed furdo canebant, nec sequebatur synderesim. Inveterati enim malorum

rum Principes, hæc sibi licere putant, quia libent. Imò jaçtabat, neminem Principum ante ipsum scisse, quid sibi liceret: sed etiam miser ignorabat, quid populo liceat in talem Principem.

3. Sugillant autem plerumque profusionem ærarij publici: sanguine enim, & sudore profuso civium, quid aliud spei supervenit felicitatis publicæ. Post hæc de ipsis Ministris malè fantur: Excusant Imperantem, detestantur autem Ministros: compatiuntur Principi, quodd pre-caridò imperet, & aliorum arbitrio regatur, nec ipse regat. Vim, ajunt, Principatûs resolvi, cùm ille pluribus defertur. Nolunt per hos audiri, nolunt per hos loqui, nolunt per hos Præturas, Sacerdotia, Consulatus, & quæcunque honorum fastigia concedi.

4. Tertidè debacchantur in quædam fortuita, ut sunt omnes casus adversi, bellum, pestis, fames, quæ, ut plurimum, Principis malæ fortunæ, vel saltem ignavo Regimini attribuunt, unde magnarum sæpè rerum motus oriuntur. Solet etenim calamitatum culpa omnis in eos rejici, penes quos est imperium Reipublicæ.

5. Quartò mores, vitia, virtutes dijudicant Principis, & circa ejus lasciviam, illicitos amores, temulentiam, ignorantiam, ignaviam, rapinas, & avaritiam toti occupantur, mullitant, & indignantur. Aristoteles ipse 5. Polit. cap. 10. asseverat: ij Principes facilè despiciuntur, multàsque dant populo insurgendi opportunitates, qui voluptariam vitam sequuntur. Una libido Parisidis ex raptu Helenæ, perdidit ex Græcis octingenta, & octuaginta: ex Trojanis sexcenta octuaginta sex hominum millia.

6. In aditu maximè Principatûs obtingit, quòd vulgus ex natura sua suspicax, curiosum, garrulum, minima quæque in novo Principe scrutetur; nec semper rectâ æstimatione, sed plerumque in deterius omnia interpretetur. Vitia præsertim corporis, imò indifferentia quæque sollicitè perspicit, rimatur, traducit, irridet, ut jam persona Imperantis non solum animis, sed etiam oculis civium servire debeat. Vespasianus in principio Imperij irrisus à populo, ob deformitatem vultûs. Alexandrini spreverunt Antonium humilioris staturæ Principem; Galli Pipinum. Nec placuit aliquando, provector ætas Galbæ, militi Romano, assveto juventæ antece-

tecedentium Principum. Multis præterea ad-  
hæserunt toto vitæ tempore scomata, quæ vul-  
gi dictæ primùm acceperunt. Sic Claudius  
Tiberius Nero appellat' Calidus Biberius Mero.  
Uladislaus, Micceslai nepos, ob crebræ sputatio-  
nis vitium, cognomen sputatoris habuit. Con-  
stantinus ob profusam barbam Pagonotus; alij  
ob alias causas appellati, ut Henricus auceps,  
Henricus claudus, Henricus asper, Albertus  
contractus, Fridericus cocles, Wenceslaus  
piger, &c. aded vulgata Principum scomata  
etiam fastis continentur.

Hinc Julium Cæsarem calvitij deformitatē  
iniquissimè tulisse legimus: quippe, quam ob-  
trectatorū sæpè jocos obnoxiam expertus erat:  
ideoque & deficientem capillum revocare à  
vertice assueverat: Et ex omnibus decretis, ut  
Svetonius observat, sibi à senatu populóque  
Romano honoribus, non alium, aut recepit,  
aut usurpavit libentius, quàm jus laureæ coro-  
næ perpetuè gestandæ, utpote per quam ca-  
pillorum defectum contegebat. Certè satis  
constat usu docente, oris & corporis deforma-  
tem fugillationibus esse obnoxiam, quemadmo-  
dum contrà, elegantiam & formæ dignitatem,

15. An-  
nal.  
c. 45.

commendationis & laudis tribuere plurimum; quasi non nihil divinitatis in ijs infit, ut de Dardano lusit Mantuanus:

- - - Divini signa decoris

Ardentésque notate oculos: qui spiritus illi,  
Quis vultus, &c. &c.

7. At Sapiens Princeps naturæ vitia obtegit animi dotibus, & vulgi scomata confundat Regijs actionibus; virtute martiâ, & Zelo boni publici. Lingux morsum nemo unquam, nec Principes effugient. At videndum, à quibus tela proveniant: sin ab improbis? nullam auctoritatem habebit, ubi, qui damnandus est, damnat. Improbi cùm probos vituperant, enixiùs laudant. Si à probis? vereatur Princeps non nihil, & acta sua expendat ad veritatis trutinam: quod reprehensione dignum, emendatione vitæ diluat. Satis est Principi (ut Liviæ dixit Augustus) si hoc habeat, ne quis malè ipsi possit dicere.

8. Sugillationibus autem nimiùm dentatis Imperantis Majestas se arrodi non patiat. Insultatio privata ferri potest, Publica puniri debet. Tiberium sequere: is adstabat funeri  
cujus-

cujusdam Senatoris, cùmque cadauer efferretur, accessit illud quidam ex civibus, & in demortui aures quidpiam infusuravit. Rei novitate percitus Tiberius rogavit civem, quid mortuo dixisset? Augusto se nuntium mandasse, respondit, ut Testatori optimo referat, populo legatam pecuniam nondum solviffe Tiberium. Excanduit desuper Cæsar, & impertinentem morionem quamprimùm occidi jussit inquiring: tu meliùs nuntium feres Augusto.

9. Inscrispsit quidam Simbolista vulpi cum Leone (ferarum Principe) ludenti, & demum ab ipso discerptæ, Nescit vulpecula, cum quo ludat. Ita sæpè nesciunt Aulici, nisi cum damno, quem mordeant. Henricus V Imperator inter abdita nemorum aliquando ex venatu errabundus, cùm oppidò fatigaretur, discubuit humi sub procera & umbrosa quercu, ad latus ejus sedente Comite Serinensi Petro. Inter solitaria colloquia liberior Cæsar Petrum per jocum compellat: meliùs nunc uxor tua cum Abbate Serinensi cubat, quàm nos? cui illicd Petrus per jocum improvidè reposuit: fortassis & tua cum Dobesso? Erat iste Juvenis ele-

gans, cui Mathildis Henrici conjunx afficiebatur. Diſterium hoc ita perculit Cæſaris animū, ut mox Regiam repeteret, & uxori crimen objiceret. At iſta minatur ſe à marito diſceſſuram, nī Cæſar injuſtam impudicitix notam ulciſceretur. Diu deliberabat Cæſar: ſed vicit tandem procax ſcœmina, ut in dicta cauſa Petro Comiti Serinenſi lingua præcideretur, & uterque oculus effoderetur. Acerbitas facetiarum apud Potentes viros præſens ultio eſt. Mordentem poſt tergum plebem glorioſum eſt contemptu, & ſilentio excipere: & æquum juſtūmque eſt palam, & in faciẽm temerè loquaces exemplariter coërcere. Cave: ne cum impari ludas.

Indulget canis atque leo dum luſibus, ipſã

Cum luſu vitam perdidit ille ſimul.

Ita Francinus facer Vates.



## OBSERVATIO XVIII.

### *De Satellitio.*

I. **A** Mor populi inexpugnabile eſt munimentum Principis, & inacceſſa arx ſecuritatis. Satellitium nullum tutius eſſe crediderim

derim, quàm Amicorum, quàm benevolentium subditorum, quàm innocuæ conscientiæ; hæc tria tuentur Regnantem plus, quàm cataphractus, hastatus, aut æneus satelles. Rogatus Agesilaus, quando satellite non opus esset? tunc, dicebat, cùm Princeps, civibus pro filijs uteretur. Beatus Princeps *qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* Principem non tantum excubiæ, nec circumstantia tela, quàm tutatur amor Procerum, Civium, ac Populi. Ita quidem opinabatur Julius Cæsar, sed longè erravit: & opinionis ab omni ævo insolitæ immanem pœnam luit amissâ, præmaturâ sui cæde, Orbis universi primâ Monarchiâ. Satellitio non ille usus, à perduellionis satellite trucidatus est, non in foro, sed in ipso Senatu, ubi armorum nulla, sed legum & probitatis sedes fuit. Aded parum tuta Majestas, cujus vires nemo videt, nemo veretur.

2. Verum quidem est, amicorum numerum, civium amorem, & innocentiam propriam fidissimam esse tutricem adversus infidias: at illa in omne malum labentis mundi insolentia non dignoscit ampliùs innocentiae candorem, neque optimam



optimam Regnantium mentem. Unus inimicus plus sæpè nocere valet, quàm centum amici prodesse possunt. Henricus IV inter primos Regni Duces, & amicos confidens, absente per casum satellitio, trucidatus est à vilissimo scholastico, nec planè observantibus ad latus amicis extrema suspiria Regis. Populi amor instabilis est, & abutitur facilè clementiâ Principis: præsentia solum spectat, nec futuris prospicit. Unde jure apud Tacitum conque- rebatur Tiberius de arduo, & subjecto fortunæ, cuncta regendi onere. Quomodo enim fieri potest, ut unus omnibus placeat? Divinum hoc potius, quàm humanum foret! Videmus, & vidimus justissimè imperantes in multorum odia incurrisse, & quamvis id egerint, ut ne meritò quis eos oderit, erant tamen semper, qui odissent. Simulista, ait Seneca, mundi conditor posuit DEUS: Odium, atque Regnum.

3. Hæc proinde svadebunt Principis Satellitiô latera cingi. Quis enim Augusto Cæsare erat clementior, quis amoris popularis illicem

cem (pacem nimirum) magis amabat, quàm Augustus? & tamen miles eum in forum, miles in Curiam comitabatur, ait Tacitus. Tiberius quantumvis se Monarchiam Romanam, defuncto Augusto, non affectare simulabat; tamen sepositâ omni simulatione invasit imperium in milite prætoriano, dictando illi thesseram militarem, distribuendo excubias, & cætera, quæ Tacitus refert, Imperatorij nominis munia. Sic Tiberius non tam simulationis ilice, quàm satellitij ariete admoto, sibi uni adstruebat sensim Imperium Romanum, quod pluribus debebatur. Albertus Austriacus cùm Sigismundo Imperatori, videlicet socero suo, aliquando dixisset: Sat amore civiũ cautos esse Principes. Respondit Imperator: Satiùs si fida semper adsit custodia. Docuit inde generum, non satis esse, ut Principes solum innitantur fidei subditorum, sed addendum lateri satellitium, quod contineat illos in fide. Miles in omnem nutum Regnantis paratus, compefcit insolentiam plebis, & firmat reverentiam atque obsequium bonorum civium. Unde Tacitus dixit: Olim satellitium in pace decus, in bello præ-

fidium fuisse, cum magno semper electorum juvenum globo Principes circumdarentur. Deinde, si exitus Regum reputauerimus, plures à suis, quam ab hostibus interemptos fuisse reperiemus. Ab hostibus pericula prævisa sunt, & ad avertendos patriæ inimicos omnes insurgunt: sui verò & domestici hostes, tantò periculosiores sunt, quantò minùs creditur à suis posse imminere periculum. Svaui hæc dementatio effecit, ut Julium Cæsarem plures amici, quam inimici confecerint. Magis tunc profuisset satelles ad latus, quam gemitus ille: Et tu fili mi Brute! unde sapientissimus Seneca libro 1. de Clementia cap. 3. voluit, & nos pro arcano Imperantis statuimus: Corpus Principis nocturnis diurnisque excubijs munitum esse oportet: & ut continuò adsint, qui latera objecti, circumfusique defendant, & incurrentibus periculis sese opponant.

4. Ab omni planè ævo, hoc apud omnes Orbis Principes plus, quam solitum fuit. Salomonis Regis satellitium constabat triginta millibus

viro-

virorum. Romulus trecentos celeres habuit. Perfarum Reges habuere supra mille Satrapas, & bis totidem portarum Custodes. Nero, ut Tacitus testatur, peditibus & equitibus excubijs suis, Germanos miscuit, ut quibus magis fideret, quasi externis, quàm suis. Turcarum Sultani pro custodia corporis alunt duodecim millia Janizerorum, qui ordinariè excubant ante Portam Ottomanicam. Hispaniarum Reges priore sæculo stipabant præter centuriam Burgundicam, Germanicam, & Hispanicam, centum quinquaginta Nobiles; Reges autem Angliæ, quadringenti satellites, & turma militaris Nobilium. Sic alij omnes Reges excepto nemine, tam in custodiam corporum suorum, quàm in ostentationem decoris Regij, alunt condignum majestate suâ satellitium. Quid Pontifice Romano sacratius, quid immunius, quid venerabilius, quid ex se ipso potentius, eum claves habeat Cœli & inferorum, unà cum vicariâ DEI potestate in terris? & nihilominus satellite utitur tam copioso, quanto pauci Europæ alij Reges & Principes. Mira nimirum res est, quòd Imperantes satellitiò uti debeant, ut sibi contra illos provideant, quorum ipsi defensores, Rectores, & Domini sunt.


5. Et quia ab ipso satellitio quandoque Principi metus & periculum obtingit, arcani locò id observet: **Ut satellitium non ex una gente, nec ex quacunque, sed cui à fide & constantiâ encomium est, deligat.**

6. Ideo plerique Europæ Principes Germanis utuntur in custodiam; quia illi ex ipsa nominis etymo *der Mann* toti viri sunt: & de ijs Tacitus testatur, nullos mortalium, armis aut fide ante Germanos esse. Gens enim hæc integra est moribus, neque duplex corde, aut fallax: cui nulla mali cura, intenta tantùm operi, quod ipsi incumbit. Hinc ab Augusto deinceps omnes olim Cæsares Romani satellitiò Germanò usi, exemplū dedere posteris, quàm incorrupta gentis hujus fides, & quàm celebris ejus apud omnes alias gentes fama sit. Nulla tamen ratione Princeps negligat naturales suos subditos, quin etiam in corporis sui custodiam adlegat: nolunt saltem negligi domestici, si exteris præferri non possunt. Contemptus, unde odium gigneretur, quidam esset, suos planè præterire, aut videri diffidere suis, quibus,

& pro quibus, ac per quos imperat. Unde sapiens Princeps

7. Ex naturalibus, & exteris formabit corporis sui satellitium. Sic æmulatione quâdam singulari ferentur in obsequium Principis, gènesque una superare aliam volet fide & promptitudine. Ex hac fortè ratione multi Principes olim, & nunc in satellitiũ suum adlegunt ex varijs, & pluribus nationibus viros militares, ut olim fecit Nero, Artabanus, Germanicus: nunc verò Reges Franciæ, & Hispaniæ: ille ex Helvetijs, Scotis, & Guasconibus; præter Regiam Nobilium Franciæ legionem; iste ex Burgundis, Germanis, & Hispanis satellitium Prætorij constituit. Erit inter has gentes non solùm gloriosa æmulatio, sed etiam una alteri frænum, ne à fide deflectat. Assequetur hoc Princeps tunc maximè, cùm in singulas turmas, (ut nimirum nationes sunt) dividerit totum satellitium. Ita olim Augustus, nunc moderni Principes Europæ, præter Cæsarem, qui hucusque custodiam corporis non distinxit in nationes, licèt plures sub se habeat, nec illi opus esset exteras

quærere, ut Gallo & Hispano, & alijs. At non solum dividere sufficiet, verum etiam Segregare oportebit, & cavere, ne in unum sæpè conveniant. Erant sub Augusto & Tiberio divisæ satellitij turmæ, & ab invicem segregatæ, ac per urbem distributæ: quamprimùm verò Sejanus nova moliri ausus, tentavit enixè, ut tres in unam conflarentur, causam prætexebat Disciplinam faciliorem: sed erat machinatio potius in Principem, cui infidiabatur. Tandem in actuali custodiâ Principis ita disponatur satellitium, ut una natio par sit alteri, seque invicem cohibere valeant. Repeto: àh, quàm Principum misera est conditio, qui à suis timere debent! Non timebunt, si pro se suos habebunt. Erunt isti semper pro illis, si ex æquo & justo suis imperaverint.



## OBSERVATIO XIX.

*Circa Residentiam.*

1. **S**tabilis Residentia Principis in Urbe Dominante, & capitali, magnum ad res agendas

das facit compendium. Mutare aliquando ad tempus sedem, aut in visere reliquos status sui Imperij, nihil impedit, quin Princeps dicatur residere stabilis in Urbe primariâ. Ibi enim Roma est, ubi Papa; ex vulgari diverbio.

2. Ex arcano tamen statûs habeat id Princeps:

**Ut nunquam Imperij sui sedē deleat.**

Perfæ Cyri secuti sunt partes contra Astiagem, ex nullo alio motivo, quàm quodd Astiages Mædiam incolet desertâ Perfiâ. Caligat Cœlum ad Solis occasum: titubat fides subditorum, quos deserit Princeps. Disperguntur oves, & hinc illinc vagantur errabundæ, proxima luporum præda, si pastor abest: quid aliud aget populus in calamitate constitutus, si Rectorem fugisse noverit? præsentia Principis in necessitate publicâ unicum est levamen subditorum.

3. Invidebant Hispani Carolo V Imperium, vel Imperio Carolum, quia inde Principe suo privabantur. Modicùm abfuit, quin transisset Belgium in partem Alberti Archiducis; eò quodd nulla alia concussæ patriæ reparatio tum dari credebatur, quàm intrâ provinciam à proprio Principe regi.

4. Romani Imperatores olim vix Româ unquam



quam exhibant: & si qui tales, plerumque reduces malè excepti: Dictatorium munus licèt omnium amplissimum, liberrimùmque fuerit, lege tamen hâc unâ stringebatur, ne unquam & in extrema licèt necessitate Urbe emigraret; quod etiamnum sapientissima Venetorum Respublica cum suo Duce obseruat.

5. Ibi autem residentia major ratio est, ubi periclitari potest salus omnium. Non enim parùm refert hosti primariam urbem aggredi, cùm illâ subactâ facilè reliqua, primò in consternationem, deinde in deditionem abeant. Observavit id Cardinalis Richelius in Cenemone Lacedæmoniorum Duce, qui Carnaniam invasurus id ipsum agendum sumpsit, obsesâ Stratonis villâ, quæ caput gentis ferebatur. Idèò quantò magis capitali urbi hostes inhiant, tantò minùs â Principe desereri debet, nisi re aliunde desperatâ, aut planè dubiâ. In una aliquando urbe, tota salutis publicæ, ac totius Regni alea vertitur; hìc persistendum: exinde vigilandum: prospiciendùmque alijs partibus. Præsentia Augusti spiritus quidam est, qui omniùm civium medullas pervadit, animòsque excitat ad heroicas actiones; hostem verò absterret,

proximūmque victoriæ ita conturbat ut à cæptis sæpè desistat. Ita primæ Austriacorum Cæsarum urbi (Viennæ scilicet) succurrit præsentia suâ Carolus V, cujus adventus Solymannum semel trecentis, postea propè sexcentis suorum millibus armatum, solvere Viennensem obsidionem bis coëgit. Ubi M. ille Alexander præfens assistebat periculis (ut scribit Justinus) ita exarsere Macedonum animi, ut nec multitudinem hostium, nec armorum insolitum usum viderent, sed cæcè ruerent in hostes forte magni Ducis freti. Pugnant Illyrici contra Macedones, ut refert Nazarius, & prima quidē congressio secundum illos fuit. Verum Macedones cum bellum reficerent, Regem suum in cunis adhuc vagientem in aciem tulerunt: cujus intuitu illos ira, hos commiseratio; illos tubarum strepitus, hos Regij pueri vagitus ita accendit, ut mutata planè fuerit prælij ratio. Vicerunt victi prius, quia postea præsentem Principe pugnârunt. Nisi in proxima Anni 1704. Hungarorum rebellionem, ubi jam ad ipsa Viennæ mania Rebelles excurrerent; Bavarus autem ex altera parte imminerebat, perstitisset Leopoldus Cæsar in sua Dominante; actum fuisset de

amplissimâ urbe, cæterâque exinde Provincia. Tanta siquidem consternatio, & perturbatio invaserat civium animos, ut absente Cæsare ad omnem motum de deditioe cogitâssent. Nulla res magis promovet pusillanimitatem in populo, quàm cùm se iste in periculis Rectore destitutum comperit.

6. Et hoc illud arcanum est, quod Tacitus edixit: non omittere caput rerum. Idem consilium Calani in Indijs viri sapientissimi ad Alexandrum Magnum: ut nimirum mediam vastissimi Imperij provinciam incolet, cæteris per ambitum sparsis ex æquo semper vicinus. Ab Augusto Cæsare successores omnes, & tam vasti Imperij domini, Romam incolebant veluti Imperij unicam sedem, ex qua prospiciebant consiliò, armis, milite toti Romano Orbi: neque inde facilè movebantur, quantumvis foris turbarentur Provinciæ, insurgerent legiones, ac ipsi rebellarent Duces, ut sæpè factum est. Satiùs illis erat conservare caput rerum, quàm hic & alibi periclitari. Salvâ unicâ Româ titubare potuit Imperium, non prolabi. Illâ cadente, actum fuisset de toto. Sapientissimè igitur Cæsares Romæ quasi

quasi affixi, externis periculis prospiciebant à longè; caput autem Imperij nunquam deferere volebant. Et non pridem Daniæ Regibus tam hæreditatem, quàm Majestatem Regni conciliavit Metropolis à Rege & Reginâ contra Svecos egregiè defensa. A capite siquidem cætera membra dependent: ejus salus, vel labes defluit in totum latè corpus. Capitis conservatione conservatur totum corpus: si mutilum hoc mala fors dederit, corpus tamen manebit integro capite. Constantius Imperator periculosum esse rebatur, à Palatinis urbibus ad extremitates Regni secedere. Improperant Pompejo Politici, quod cum Cæsare decertans Romam periculò exposuerit. Idem Ottoni objiciunt, cum Vitellio pro Romano Imperio pugnant. Et priore ævo malè audiit Henricus III. quod Lutetiâ desertâ, præstantissimam hanc totius Galliæ, vel Mundi ipsius Metropolim factioni Gvisianæ, maximo cum Regni amittendi discrimine, fuorùmque damno permiserit. Sagacior in hoc Tiberius, qui Româ, contra licèt svadentibus multis, nunquam excedere voluit, etiamsi ad Rhenum, & in Illyrico exercitus in seditionem irent, nec sinistras propterea

populi curavit voces, quas sciebat ab insidiatoribus suæ fortunæ suggestas. Non semper componunt Principes præsentiam suam tumultus & seditiones; aliquando major est longinquo reverentia. Ubi Galliarum urbes, scribit Tacitus, in partes ire subtrahat Imperio Romano fidelitate, aliud tanto discrimini non submitit Tiberius remedium, quam quod filium suum Drusum, armis ac consilio provisum in Galliam ablegaret. Cum alij, quam Princeps, mittuntur in discrimen, salva manebit Majestas Imperantis, quantumvis emissi adversam tulerint sortem. Omne discrimen ultra subeunt manus, dummodo caput præservent. Qui deserit aut omittit urbem, unde in omnia regnum, in compendio exponit cladibus, & discrimini totum Imperium. In rebus adversis, & dubijs tutius Principes agunt per alios, quam per se. Si salvam volunt suam Majestatem, hanc quam longissimè à discrimine remotam habeant. Ammurathes frequentius irridebat suos antecessores, qui multoties extra sedem Imperij, non minus de ipso Imperio, quam de vita periclitabantur, ut Solimanus, Baizethes, & alij. Ille verò Constantinopoli affixus gloriabatur se majora domi confecisse, quam ullus antecessorum domi, forisque.

## OBSERVATIO XX.

*Circa quietem publicam.*

I. **N**unquam expedit statum felicē concutere, aut dubijs eventibus exponere. Quod arcani locò sibi Imperantes dictum habeant. Sicut enim in Oceano raram tranquillitatem sibi spondent Navarchi, ita Principes in Statuum suorum Imperio semper habent, quod vereantur, ne ab Austro, vel Aquilone ventus aliquis fatalis spiret, qui concutere valeat præsentem statûs malaciam. Steterint licet in montibus, ( per quos Mundi celsitudinem intelligunt divinæ literæ ) Principes; etiam montes concutiuntur internis vaporibus: recondant se in abdita, & abstrusa; vis auri & ferri omnia referat. In tuto sunt sæpè illi intuti, & inter fidos perfidiam palpant. Quoties honestas rerum causas perniciosi exitus sequuntur. Exiguo sæpè momento maximarum rerum molimina mole suâ intereunt. Mille curis Principatus omnis jactatur: jam Aulicorum ambitio, æmulatio, insolentia primum

concitat aulam, postea Regnum ipsum: mox Leones externi, aut Lupi prædæ alienæ avidi, inhiant limitaneis provincijs: rursus domestici Purpurati, sicut nimium potentes viribus, ita minimè potentes sui, insidiantur solio, & suspirant ligonem cum sceptro commutare: alibi ex inopinato insurgunt seditiones populi, collisiones civium, & mille talia, quæ florentissimum etiam statum ita concutiunt, ut non amplius Regno, aut Principatui similis, sed primævum aliquod chaos videatur, fusque deque turbata, aut proscripta pacis, & salutis publicæ.

2. Unde Principem rectè imperantem nihil æquè anxium habeat; quàm, ne composita turbentur. Huc omnis se impendat Regnantis labor; studiùmque collimet: à longè speculetur insidias: maturè eas prævertat. Præmeditati casus, cum exitio hostis finiuntur; neglecti, ipsas victorias reddunt amaras. Quanti vicerunt hostem, sed cum sua clade: neglexeruntque occasiones, cum ipsius magno augmento. Quid prodest inter excidia propria, legere victoriæ ferta? quid cum proprio discrimine aliena procurare augmenta? quid cum sui statûs desolatione vincere hostem? victoriæ

evolabit quidem fama, sed clades manebit in Regno. cave, vigila, ne composita turbentur.

3. Turbationum verò omnium fons duplex est. Unus ab extrinseco, alter ab intrinseco. Ille procedit ab hostibus, & conatu æmulorum & vicinorum: alter ab intrinseco, à Regnante nimirum ipso. Primum fontem fataget Princeps in ipso ortu obstruere, vel aliò derivare promissis, pollicitationibus, diversionibus. Imò expedit quandoque fatisdare, usurpata restituere, neque modica curare damna, dummodo belli incendium à Republicâ avertatur. Lætius ovabat Tiberius olim, quòd pacem sapientiâ firmâisset, quàm quòd tot bella per acies confecisset. Quàm sollicitè cum Porta Ottomana nuper actum ante bellum ultimum Turcicum! quot hinc illinc missi remissi baiuli! quantum per Capraram Comitem, Ablegatum Cæsareum, promissum Turcis, ut bellum jam jam in viscera Austriæ movendum divertisset. Conatus erat quidem Cæsaris, pacis amore: sed irritus Turcarum libidine, quâ deperibant Austriam, nec tamen eâ potiebantur repulsi cum æterno Ottomanorum pudore.

4. Est sanè maxima Imperantis prudentia

Arma



Arma externorum procul à se habere. Armorum discrimini Statum committere præ pacis & quietis publicæ dulcedine, aut Tyranni, aut prædonis; boni certè Principis non est. Magis conducit Imperanti, ut actu potius, quàm armis hostem subvertat. Arma semper commovent Rempublicam, at astus non faciliè. Amalafuntha ( ut Præcopius scribit ) Gothorum Regina respondit Justiniani Legatis: nolle se armis contendere: nec decoram fore Cæsari de non adversante victoriam. *Extra ictum esse ex vulgato diverbio tutius est.*

5. Multi alios hostes concitant in eum, cuius in se impetum timent. Ut Hispani fecêre contra Gallos, & Galli contra Austriacos, fovendo Regem Svecum milite, pecuniâ, & annuis planè pensionibus. Alij pacem suis provincijs redimunt aurô, quod Florentini multis vicibus olim consuevêre. Errârunt tamen isti graviter in ultima seditione, ubi Cæsarem placare poterant per aliquot auri myriades, quod, cum per supinam avaritiam neglexissent, cedere coacti sunt, præter alia incommoda, libertatem suam Medicæis.

6. Alij

6. Alij protectiones quærunt, & potentioribus se planè subijciunt, ut Pisani, Aretini, Florentini per quinquennium Roberto Regi Neapolitano, & in decem annos Calabriae Duci Carolo: Senenses Joanni Regi Bohemiae: Genuenses in tres annos Carolo Galliae Regi.

7. Quandoque non expressis foederum conditionibus in libertatis suae defensionem coeunt Principes & Respublicae, atque tacita inter eos est conventio, ne quem nimis magnum velint.

8. Sunt & aliae artes, quibus prudentes Principes in tempore praevident pericula, eaque de domo sua propulsant. Magna felicitas est, nullo apretianda auro, quocumque digna pretio, in pace, & quiete conservare suos status.

9. Alter ab intrinseco emanat turbationis fons: estque ipsa praecocia Principis praeservidi, qui nescit temperare desideria sua, sed in momento omnia mutare, tollere, minuere, augere satagit. Nemo subditorum libenter vim patitur: vix invito jugum cum pace imponitur. Nihil autem in rerum natura violentius est, quam repentina de uno extremo in aliud mutatio. Convenientius est ita mutare Rempu-


blicam, ut saltem odio præsentis non afficiantur vasalli. Quod sensim, per gradus, successivè & morosè fit, in rebus servitutem inducentibus, vel libertatem avitam tollentibus; semper Regnanti feliciter obtingit, quàm repentè & per saltum. Nunquam diuturnum obsequium est, quod per vim exprimitur. Nunquam longæva potestas, quæ repentè exsurgit. Nunquam integrum obsequium, quod extorquetur. Quæ unâ nocte excrescunt, sæpè diurnus æstus consumit.

IO. Festina lentè Augusti fuit adagium, & verè politicum est arcanum; quo ille feliciter usus est in statuenda prima Romæ Monarchia. Paulatim enim, ait Tacitus, insurgebat, munia Senatûs, Magistratum, legum in se transferebat, nullo (quod mirandum & notandum) advertente ait Tacitus. Rationem subjungit idem: Quia domi res tranquillæ, & eadem Magistratum vocabula remansêre. Speciem antiquæ Reipublicæ observabant cives, rem ipsam agebat Princeps. Quid opus est plenitudine potestatis uti, ubi ipsi subditi ruunt in obsequium? quid per publica programmata infringere leges, privilegia, immunitates,

munitates, & Reipublicæ præstintæ structuram invertere, si hæc, velut aliud agendo, clam, simulatè, sensim, feliciter confici possunt. Temeraria illa sunt, odiosa, & publicis reclamationibus obnoxia. Prudenti Principi nunquam deerunt media alia continendi suos vasallos.

II. Palmarem in hoc commisit errorem Julius Cæsar, qui primus in liberrimam Rempubli-  
 cam invexit Principatum (jam olim post Tarquinios palam abjuratum, & senatui populò-  
 que Romano semper postea exosum) eâ precocia, ut quamprimum se Dictatorem pronun-  
 tiaverit, Consulatum Senatoribus sustulerit, Authoritatem Patribus, libertatem civibus; ut nec vestigium antiquæ Romæ cerneretur. Ejus-  
 modi acuere homicidiale ferrum; quo deinde peremptus est, dignus aliâ fortunâ meliore. Alexander Magnus saluberrimam cautelam apud Q. Curtium edixit: In novo, vel precario Imperio tempore opus est, usque dum mitioribus ingenijs imbuantur cives, & efferatos melior consuetudo permulceat. Sensim servire assuescunt, qui olim liberi fuere. Denique ne plebs veterem statum, novo repu-  
 diato,

diato; repetat; prospiciendum est; ut Principes plebem tenuiorem sublevent, beneficijs deliniant: & efficiant, ut se sub hoc novo statu longè feliciorum sentiat, quàm sub priore.



## OBSERVATIO XXI.

### *Circa patrias Consuetudines.*

I. **C**onsuetudines patriæ, leges, & immunitates maximam vim habent in utramque partem; reguntque animos Procerum, civium, & totius populi magis, quàm ipsi Regnantes. Adhæret illis tanta ex vetustate reverentia, quanta ex affectu immobilis firmitas. Assumpti mores, antiqua indulta, usurpata privilegia ejus rationis sunt in Republica, cujus inveterata vitia, quæ sub censuram haud amplius cadunt. Nec Persarum Græci, nec Græcorum consuetudines voluere sub Alexandro Persæ. Neque Darius Indiæ quosdam populos, qui, sepulturæ dandæ locò, defunctorum Patrum corpora devorabant, valuit à turpissimo more abstrahere. Nec Hispani Gallicas, nec Galli Hispanas

spanas sustinent leges. Quod ex gentis usu est, nulla honestatis specie, aut majoris Boni spe infirmari potest. Aded vetus consuetudo despotice imperat mortalium animis.

2. Propterea Principes cautè in his procedant, eaque se gerant ratione, ut ejusmodi quidem infringere audeant, possintque: nec tamen temerè infringant; nisi illa à recta ratione degenerent, vel quieti publicæ officiant. Si ita visum fuerit, antiquas non respiciat, qui novas condere leges audet. Cicero enim actione institutâ adversus Verrem audacter pronuntiat; antiquitatem posthabendam novitati ad majus emolumentum. Videmus enim omnia creata ex natura sua continuè ferri in majorem sui perfectionem & conservationem; & cur non humana etiam, ex dictamine rationis? Univer-  
sa Gallia laudavit Hugonem Capetum, ait Richel-  
chelus, quodd legem de æquabili successione li-  
berorum Regionum immutâisset: aded ut sem-  
per justæ sint immutationes, quæcunque au-  
thoritatè Regiam illustrent, vel publici Boni ra-  
tionem conservant. Non eadè semper tempora,  
neque iidem continuè mores. Antiquitatis ratio  
habenda non est, ubi novitatis exemplum tran-

Lib. 8.  
c. 57.

fit indecus, & gloriam patriæ. Omnium legum, ac consuetudinum stella Polaris est **Salus Regis, & Regni.**

3. In ijs verò, quæ ex mero gentium arbitrio suscipiuntur, nec criminis malitiam adnexam habent, vix recedendum à Majorum institutis. Qui Antecessorum autoritatē infirmit, exponit periculô suam. Invisi populo sunt illi Regnantes, qui Majorum suorum jura æqua comminuunt. Favor totius gentis inclinât in eum, qui patriæ instituta, & mores non contemnit. In his enim sibi conplacet populus, conplacencia autem firmat voluntatem, velut finis hujus; ut antiqui tenuêre Ethici. Tiberius ad Romanos in obsequio continendos nullatenus recessit, saltem specietenùs, ab antiquis Reipublicæ moribus, ut nimirum in novitate Imperij, antiquitas Romanæ Reipublicæ videretur. **Cuncta** (inquit Tacitus) per **Consules** incipiebat, tanquam veterem Republicâ. Imò Princeps ut populo gratus sit, spontè connivebit in ea; etiam observabit ipse, quæ antiquum decus Regni, & discrimen ab alijs Regnis faciunt. **Qualia sunt: Leges fundamentales,**

les, idioma patrium, stylus curialium, ratio homagij, investituræ, externus amictus, ritus sacrorum, nuptiarum, & ejusmodi adiaphora, ex vetusto gentis more consveta.

4. Verùm humana natura cùm sit in deterius proclivis, sæpè rerum quarundam nimium indulgente usu, declinat tandem in abusum, & salutaria olim, convertit deinceps in proprium virus. Duos quidem motores habet, sensum & gratiam; ille trahit in malum, hæc in bonum; sed quia illud connaturalius est sensui, plerumque iste prædominatur, & sensus exsuperat gratiam. Roma sapientiæ, morumque illa mater, destructa tamen fuit Ottonis & Vitellij indulgentiâ. His quanquam successêre Mutianus & Marcellus multò meliores Principes; nihilominus tamen ait Tacitus: **Mutianus & Marcellus alij magis homines, quàm alij urbis mores.** Aded difficile est integritati restituere, quæ olim prolapsa sunt tam in genere morum, quàm quorumcunque. Inveterata scoria vix à metallis secerni, vel avelli potest. Sicut nec agnati hominibus mali mores. In tali casu imitentur Principes ipsos Medicos, qui



qui sæpè in morbis intricatis, five pluribus humanum corpus infeſtantibus, diſſimulant, vel planè nutriunt unum morbum, qui licèt malus ſit, illis tamen videtur proficuus, quo alium morbum pejorem & majorem vincant, & velut clavum clavo extrudant; non tamen eâ intentione, quaſi nollent ex integro curare infirmum: ſed ideo tolerant, vel quòd ambos ſimul morbos curare non valeant, vel quòd remedia eorum invicem contrarientur, vel quòd unus alterius ſit remedium. Idipſum planè contingit Regnantibus, quos sæpè unâ malam conſuetudinem diſſimulare oportet, ut tollant periculoſiorem, vel quia eliminandi ſimul ambas deficiunt viribus, vel quia sæpè unum malum emendat alterum. Ut tamen eſt, ſemper primitus mitiora remedia adhibeant. Ea, quæ emendari poſſunt, interpretando corrigant, & magnarum immunitatum, ſi Regi Regnòque ſuſpectæ ſint, abuſum tantum tollant; aſt uſum permittant, atque hâc diſcretionis ratione Reipublicæ ſubvenire fatagant. Sic integræ in ſe manebunt immunitates, tali tamen interpretatione proviſæ, ut nocere non valeant.

5. In tollendis autem periculosis consuetudinibus eâ dexteritate utantur Imperantes: ut tollantur per se, neque videantur à Principe tolli. Hoc, mecastor, magnum arcanum est, & primâ fronte vix credibile, ut in effectum poni queat. Modum tamen indigitat Dionysius Syracusanus: Erat Syracusis antiquo more acceptum, nocturna symposia instituere, etiam in longum protrahere, conventus denique sub hoc prætextu habere, & de Republicâ consulere, quod fermè aliquando Belgarum, Germanorûmque more usitatum fuit. Id Dionysio (ut omnibus Tyrannis solet) suspectum omninò, sed citra periculum vix tollendum, nec tamen tolerandum videbatur. Quid igitur? furta dissimulavit Dionysius, neque nocturnas rapinas punivit. Quò factum, ut, cùm tantæ in civitate patrarentur impunè, nemo amplius noctû egredi ausus fuerit, sed domi, suis rebus invigilantes; nevé Prædonibus in foro publico, cùm ex conventiculis domum regrederentur, in prædam caderent, cavebant. Sic raro astu sublati ex se antiquus mos, quem aliàs citrà

seditionem civium tollere prius nequibat Dionysius.

6. Simile consilium erat Poëtæ Alexis, datum Græcanicis Magistratibus, quorum Piscatores rarò recentes pisces venûm exponebant : unde ex raritate augebatur pretium, & ex detentione eorum putredo, & ex putredine se insinuant morbi ; nihil enim, ait Dioscorides, antiquato pisce insalubrius. Lex igitur ex Poëtæ consilio lata, ut Statua sacra exponeretur in forû piscatoriû, & hujus reverentiâ piscatores ibi vendentes detecto capite sedere, lege latâ, prohiberentur. Quod quamprimùm factum, illicò magna piscium recentium copia in foro comparebat, & multò, quàm prius, leviori pretio emebatur. Nam piscatores nudâ cervice standi tædio confecti, protinùs omnia vendebant, nec protrahebant mercatum.

7. Etiam Romani olim lege cavebant ; ne Jovis Sacrificuli sive Flamines unquam equo insiderent : ne videlicet, si longius urbe decederent, sacra domi negligenterentur. Sic aliud agimus, aliud intendimus, & aliud velut agendo, id, quod intendimus, rectè conficimus. Sic

malæ, vel periculofæ confvetudines videntur per fe tolli, cùm tamen ex arcano ftatûs tollantur à Principe.

8. Paucis omnia conficio: Antiquata, quæ in fe moralem malitiam non habent, tollere, violenta quædam potestas eft, quam absolute quidem fupremus Princeps oftendere potest, fed non debet, fi fvaviori modo id præftare poffit. Ubi autem mores patrij fuperftitiofi, ubi indulta difficilibus tēporibus extorta, ubi Antecessores Principes sub, & obreptitiè circumventi, ubi privilegia in abufum tranfière, ubi aliud inevitabilis exigit neceffitas publicæ falutis; prævalebit hæc omnibus alijs antiquis quomodo-cunque acquifitis indultis. Omnia quippe, quæ Principes concedunt, concefferuntque, non in necem Reipublicæ, fed in falutem concessiffe cenfendi funt.

## OBSERVATIO XXII.

### *De popularitate.*

I. **A** Reanum devinciendi fubditorū animos, eft moderata quædam popularitas citrà prostitutionem Majestatis.

Prov.  
16.

Consistit autem illa in hilaritate aspectûs, clementiâ, & promptitudine benefaciendi: in æqualitate morum patriæ, externique cultûs: in facilitate adeundi se: in alloquio conjunctorum sanguine, & Procerum Regni. *In hilaritate vultûs Regis vita, & clementia ejus quasi imber Serotinus*, ait sapiens.

2. Hujus arcani idæa erat Antoninus Pius, qui exactè noverat Imperatorum fastigium civilitate moderari, & comitate omnes retrò Principes superare, unde sicut crevit amore, & obsequio suorum subditorum, ita autoritate apud omnes.

3. Indignabantur ad insolitam hanc popularitatem Aulici, & Ministri, qui, illo nihil per internuntios agente, nec aditum ad eum hominibus intercludere, nec officia vendere, nec autoritate Principis abuti valebant. Regiæ quippe potentix Ministri, *quos delectat longum superbix sue spectaculum*, minus se posse existimant, nisi diù multumq; singulis, quid possint, ostendant. Faciliùs deperdunt autoritatem suam Principes, quam plus æquo suis Ministris communicant, quàm illi, qui eam populariter exercent. Non sibi, sed subditis, factum se

Imperatorem, aiebat Antoninus : imò cum Trajano credebat Se unum ex illis esse. Cui nihil ad augendum fastigium supererat, hoc uno adhuc eminere, & arrogantiam folio plerumque adnexam vincere voluit, cùm se ipsum suis civibus popularem redderet, certus magnitudinis suæ, quam virtus popularitatis magis, quàm vitium arrogantia, conservat, & auget. Ideo Patris Patriæ ipsi nomen à Senatu delatum, aliàs inauditò post Augusti facta encomiò hoc. Victus illius, & vestitus talis erat, ut eidem ineffet opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus. Convivia cum amicis, interdum communicabat, quæ & ipse apud alios frequentabat. Theatra, venatum, ludos, & quæ in delicijs Principũ sunt, non sibi uni addixit vocatis in communionem voluptatis amicis, Senatoribus, Popularibus. Nullã inde passus authoritatis jacturam, sed ejus fulgorem participatione sui, magis conspicuum reddidit. Italicèt popularis; Magnus tamen dictus fuit Antoninus : ita Pater patriæ factus, quia popularis.

4. Popularitatem autem voco illam virtutem, per quam bonus Princeps non dedigna-

tur com̄uni cum cæteris civibus jure uti, ſequē patriæ, patriſſque moribus conformare. Malè audiit Alexander à ſuis Macedonibus, quodd̄ patrio cultu relicto apud Babyloniam, babyloniam veſtem induiſſet. Metuunt namque ſubditi, ne affectum patrium cum patria veſte exuant Imperantes.

5. Sunt etiam quidam Principes, qui ex ſuggeſtione ſuorum aulicorum ſuam Majeſtatem perperam reponunt in moribus quibuſdam inconditis, in faſtuoſo inceſſu, in rauco vocis clamore, in verborum, minima quæque cum maxima emphafi jubentium, aſperitate. Alij exigunt à ſuis, non expectant titulos inſolitos, & obſequia volunt plus divina, quàm humana. Alij domi tanquam in ſpecioſo carcere continuè latitant; & vix videri, nedum adiri volunt. Barbara hæc ſunt, non Regia. Sapiens Princeps, dum Majeſtatem tuetur, faſtum deponit. Modeſtia, amoris cauſa; odij, faſtus eſt. Deſpotica juſſa, inauditæ ſupplicantium voces, & lachrymæ, abuſum poteſtatis denotant: & concitant potiùs odium, quàm amorem conciliant. *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit DEUS, & ſedere fecit mites pro eis.* ait divinus Syracides. 6. Prin-

6. Princeps non desinet esse Princeps, si Majestatem suam civilitate attemperaverit. Maneat occultus animò, at externâ morum duntaxat ratione se communicet suis. Hâc arte intimos animi recessus suorum penetrabit: hâc clavi referabit corda Magnatum: hoc hamo utiliter piscabitur affatus, & arbitria vassallorum. Remissum habeat aliquando animum apud suos, non tamen solutum, & reducere se sciat sine periculo sui contemptûs. Decorum amet externum, non luxum. Magnificus in victu, amictu, habitatione, non prodigus, non turpiter parcus. In publicis functionibus, congressibus, apparatu theatriali, aliisque oblectamentis, præcipuè verò in excipiendis, vel adeundis Principibus, & legationibus externis, verè Principem agat, seque verbo, opere, omnique cultu, & apparatu externo talem remonstret, nec quidpiam existimationi suæ decedere sinat.

7. Aditus ad Principem in necessitatibus publicis & privatis, in causis justitiæ, & negotijs statûs semper, & ubique omnibus pateat, & cum Moyse dicat: Quòd si difficilè aliquid vobis visum fuerit, referte ad me, & ego audiã.

8. Atta-




8. Attamen consortia, & conventicula nimia cum obvijs quibuscunque Regem haudquam decent: nulla sint cum fordidis & suspectis, rara cum privatis, frequentiora cum Magnatibus, & Principibus conjunctis. Populares sunt, non familiares: illos consequetur amor, hos contemptus. Major etiam aliquando è longinquo reverentia, & continuus Principis aspectus apud plebem, in consuetudinem, & ex consuetudine in contemptum abit. Ex raritate admiratio, ex admiratione reverentia gignitur. Vix subsistit cum auctoritate familiaritas. Denique in familiari consuetudine ægrè custodies illud opinionis Augustum. Interea gentis genio obsecundandum: cothurnum aliquæ volunt; aliæ Lyram: serium aliæ Principem; aliæ comem & popularem. Extrema utrobique vitanda: inter prærupta mediò eundum.

9. Magnus in hoc Agricola, de quo refert Tacitus lib. 5. historiarum, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque ostentabat, comitate & alloquijs officia provocans, ac plerumque in opere, in agmine gregario  
militi

militi mixtus, incorrupto (quod notatu dignū) Ducis honore. Cultu fuit modicus, sermone facilis aded, ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso, aspectoque Agricolâ quærent famam, pauci interpretarentur. Nec illi, quod rarissimum est, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit. Fastus, & abjectio, extrema sunt Regiæ auctoritatis, & ideo vitia. Principes, sive plus æquo remissi, sive fastuosi, non attingunt centrum Regiæ virtutis. Qui popularitatem sequuntur, nunquam obliviscantur se Reges esse, præsertim in publico. In privatis verò conversationibus cum Amicis, & intimis, cum Regijs conjunctis, & Magnatibus, licet Principes non esse desinant; Majestatem tamen illam omnibus verendam non nihil exuant, & in popularem comitatem convertant. Quanta in Germanico auctoritas? quàm ampla in tot legiones & Provincias ( usque ad livorem Ti-<sup>(In Vi-</sup>berij) potestas? & tamen circumibat faucios,<sup>ta)</sup> alloquebatur, & facta singulorum extollebat, vulnera intuebatur, alium spe, alium gloriâ, cunctos alloquid, & curâ in suum obsequium firmabat. Hæc popularitatis fama dignum

Romano folio feciffet Germanicum, nifi Tiberianæ artes tanto Principi præcidiffent aditum & vitam.

Summatim comprehendo omnia: Modestia virtuti conjuncta, popularitas à Majestate indivifa, facilitas cum gravitate morum, aditus fine interpellatione, amica compellatio, Comes, liberalitas, conformitas, causæ communis amor, firmitatem stabilit Regno, auctoritatem Regi, & magna posteris pollicetur status, ac publicæ felicitatis incrementa.



## OBSERVATIO XXIII.

*Circa auxilia, sive danda, sive accipienda.*

I. **C**Aveant Principes, ne laborantibus provincijs subveniant acrioribus remedijs, quàm ipsa sint vulnera. Consvenerat Cyrus ( ut refert Xenophon ) in singulos annos unum aliquem ex Primoribus, sive Satrapis, cum exercitu ablegare in provincias, sub prætextu, vel Gubernatoribus assistendi adversùs subditos contumaces, vel subditis

ditis adversus potentiores plus æquo imperantes. Pondus erat grave provincijs, quotannis exercitu tanto obrui, ubi aliquando nulla, sæpè levis causa prætexebatur, cui vel rescripto Principis, aut alio faciliore modo subveniri poterat. Medicina nimium acris, non vulneris dolorem mitigat, sed exasperat. Pondera addita ponderibus bilancem præcipitant. Numerosus hospes egenum reddit hospitium. Ideo Princeps expeditiones onerosas, & sumptuosas in suos Principatus, citra evidentem necessitatem, non assumat; exemplô Antonini Pij dicentis: Gravem provincialibus esse Principis, etiam parci, comitatum.

2. Exigunt quandoque necessitates publicæ præsentiam Principis, quod æquum est. At bonus Princeps prius cum expeditione calculum inibit: an hujus major fructus speretur, quàm onus subditis imponatur. Nam Principum transitus, qui sine ingenti Ministrorum, Aulicorum, satellitum, agasonum, equorum, mulorum, & mille impedimentorum comitatu nunquam fieri potest, alias post se reliquias non permittit, quàm provinciarum egestatem.

statem. Rudolphus ille Magnus, Austriacorum Cæsarum primus, frequentes: sicut & Fride-ricus IV. haud pauciores in Imperium suscepere expeditiones, sed tam exiguo comitatu, qui parum à privato differebat: & (quod fermè admirandum) rationem reddebant provincijs de expositis, & acceptis. At nunc alij mores: & nobilitas privata comitatu suo exæquat fermè Majestatem Principum. Summi olim belli Imperatores non tanta utensilia, & belli impedi-menta circumvehebant, ac nunc Centuriones privati, ut fermè plus videre sit impedimen-torum, quàm militum, atque ipsi exercitus videantur ire potiùs ad mercatũ, quàm ad bel-lum. Hæc onera insupportabilia sunt provin-cijs, & major inde clades, quàm ab ipso hoste.

3. Vetus diverbium est: nil absq; Theseo; inde fortè exortum, quòd Theseus egregiam opem navâisset Meleagro contra Calidonium aprum: Peritoo adversùs centauros, Herculi contra Amazones. At perquam rari postea Thesei fuere. Multi magis expilatores, quàm opitulatores: hostes potiùs sub simulatâ amici-tiæ fronte, vel prædones auxiliorum pretextu magis, quàm fœderati & periculorum socij.

Ita Svecus auxiliorum specie in illo tricennario bello totam depopulatus est Germaniam. Regia quidem virtus est subsidia dare egentibus, auxilia præstare periclitantibus; & Aristotelis verissimò effatò sustinere debiles esse officium magnorum. Verùm hoc ipsum officium transit sæpè in maleficium. Pauci succurrunt sine evidenti spe lucri: nemo cum dispendio: plurimi habendi cupidine. Canes in ovili, qui ebibunt lac gregis, non magis profunt pastoribus, quàm lupi in campo, qui insidiantur gregi. Ottomani consuevêre protectionem vertere in dominationem. Hanc Galli Rationem statûs esse ducunt, unde insensibiliter acquiri potest arbitrium in Europam. Et, generaliter loquendo, usu conpertum est; auxilia nunquam diuturna ibi esse, ubi minùs utilitatis, quàm damni Principes expectant. Aded pauci in mundo Thesei, aded lubrica auxilia, aded privati commodi ratio exsuperat omnem fidem, & amicitiam. Suo cum discrimine experta hoc est Austria prioribus bellis, ubi toties deserta fuit à suis confœderatis, quoties his Gallia vel modicam tantùm offam

obtulit utilitatis. Ideo nunquam expedit aliena petere auxilia, donec nostris viribus subsistere valemus.

4. Plato interdixit suis legibus aquam alienam haurire, donec gutta superfuerit domi. Ridiculum hoc, nisi symbolicum esset. Intellexit enim divinus Philosophus de illis, qui nimium præcoces sunt in petendis alienis auxilijs, nec rectè distinguunt, an, & quanta expediant?

5. Auxilia ne sint majora, quàm capi, vel ferri possint. Aliàs vertetur auxilium in onus, & opitulatio in desolationem. Sæpius auxiliares copix oppresserunt clientem sub specie opis ferendæ. Ita Barbari Græciam; ita Philippus Macedo finitimas Respublicas juvandi specie oppressere, sibique mancipauere. Non aliter crevère Imperia, non aliter magna Regna ex alienis Provincijs conflata. Quid Princeps Alenconius tentavit aliud in Belgium armatus descendens, quàm ut, rebellibus in naturalem suum Principem opem ferendo, dominium Hispano abriperet, & Belgis libertatem? studiosè dixi: libertatem. Quando enim

enim (fateantur ipsi) tam despoticè Belgio imperârunt Hispani Principes naturales, ac postmodum imperant Galli usurpatores? Quando (dicant Germani) tam graviter incubuerunt Imperio Austriaci; ac Svecus, & Gallus; jactabundi illi germanicæ libertatis assertores, qui ab hostibus non nisi nomine distinguebantur, reipsâ plusquã hostilia patrabant, undique persequendo socios, & hostes. Non mihi istæ sunt suppetiæ, sed spongiæ suprâ Tantalum sitientes, quas innocentum tantum cruor explet. Non isthæc sunt auxilia, sed onera, clades, & magis periculosa bella, quàm hostilia. Sanè sapientem Principem ex fide Regia opem tantum oportet ferre indigenti, non obruere infestis armis, sub quocunque securitatis prætextu, nisi prius expressè desuper conventum sit. Insolentiæ nullum indultum patrociniatur, ubi fides interposita est. Extra tempus oblata remedia & consilia infirmo magis nocent, quàm profunt. Cauti Principes nunquam suscipiunt majora auxilia, quæ aliquando metuere possent; vel quibus in receptu pares esse non valerent. Palmarè comisit errorè, nec minus tulit periculum Theodorus



dorus Cantachuzenus; quodd contra Joannem Palæologum apud Amurathem Turcarum Imperatorem auxilia quæsierit: quia nemo sapiens Princeps facillè auxilia quærere debet apud majores se Principes, qui non minùs cupidi, quàm potentes sunt. Eventus docuit: Amurathis suppetias non tam Græciæ tulisse subsidia, quàm occupâsse pomæria. Nunquam etiam subministranda auxilia ijs, à quibus arma metui possent. Fortioribus præstitum auxilium vergit in proprium excidium.

6. Haud unquam ab ijs expedit petere subsidia, qui sibi ipsis non sufficiunt.

An pauper juvabit egenum? auxilia quærere naturâ quidem insitum, & omnibus gentibus solitum, inter pares aliquando periculosum, apud egenos inutile, apud præpotentes fermè semper perniciosum fuit: quia, cùm in possessionem illi irrepserint, quis inde illos excutiet? Non bona fides, non titulus Regnantibus tantus est, quàm possessio. A vicinis nullæ suppetiæ præstolandæ, nisi ex eorum commodo. In propria viscera nunquam admittendî, quia ed admissi, diffundent se in cætera membra.

bra. Rarò auxilia tuta sunt, nisi à longè ferantur, sintque leviora, quàm illius potentia, cui dantur. Contra communem hostem, vel cuius est suspecta omnibus potentia, semper promptiora & firmiora sunt subsidia.

Magna tandem Temeritas est vicinò porrigere auxilia, neglectâ propriâ domo. Idem hoc est, ac cooperiendo proximum, se nudum exponere adverso aëri. Ordinata charitas reprobatur, si protegendo alios, nos ipsos detegamus. Eâ tantùm ratione præstanda sunt alijs auxilia, ut nobis nostra domi sufficiant.

## OBSERVATIO XXIV.

### *Quid inter duo mala.*

I. **N**Avarchum quis spernet? qui, dum naufragari metuit, mercium lucra in maris vortices profundit. Magis cavendum imminens malum, quàm bonum arripiendum, si nos in malo perdat. Generale arcanum est

Inter duo mala necessariò subeunda, minus eligere. Dogma hoc, omni quidem

dem statui hominum, sed maximè politico proficuum, involvit necessitatem inevitabilem, cui nulla lex scripta; sed despoticè agit in arbitria mortalium; aded, ut etiam quædam, aliàs de ipso jure divino positivo inalterabilia, mutari queant, si necessitas non est speciosa, sed invincibilis. Hæc magnum imbecillitatis humanæ patrociniū interponit, ubi non semper juxta legem facere valemus. Necessitati, quam ne Dij quidem superant, obtemperandum dixit Livius. Necessitas omnium optimè redigit Principes ad rationis usum: leges illa fert longè rigidiores, quàm quodcunque imperium. Regibus non solum superi imperant, sed etiã necessitas, & recta eligendi ratio. Principes qui tantum, & semper tuta sequi contendunt, deterrimū sæpè consequuntur, quia nec prævident benè, nec audent satis. In ambiguis periculosius est deprehendi, quàm audere. Turpitudine vacat necessitas, si interdum legem à potentiore accipiat. Non semper optima possunt constitui. Cedere ab instituto, cùm expedit, non ignaviæ, sed magnæ prudentiæ indicium est. Jactura non semper jactura est, si reliquum conservat. Imprudentiam non levem

Tacit<sup>9</sup>  
3. hist.  
& in  
Agric.  
c. 15.

comittunt minores Principes, ubi victoribus, à quibus certissimam metuunt ruinam, non se necessitatis titulo accommodant. Nullus ipsis justus excusationis prætextus, cum necessitas, legitima sit actionum omnium excusatio.

2. Dicta distinguit appositè canon Pontificius: duo mala, licèt sint cautissimè & omninò præcavenda; tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, ad id nos debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his levius, quòdve sit gravius, puræ rationis acumine investigandum est. Canonem hunc secutus Urbanus VIII. apud totam Europam eximium prudentiæ suæ meruit encomium. Etenim, cum Lusitani per seditionem excusso jugo Hispanico, & abjurato Philippo IV. legitimo Rege Ducem Bregantium suffecissent, & desuper Oratorem publicum (ut ab alijs Catholicorum Principum coronis solitum est) Romam ad Pontificem, ut Neo-Regis nomine fidelitatem Ecclesiæ, ejusque in Regno immunitatum conservationem sponderet, ablegassent: instabat ab adverfo Hispaniæ Rex per suum Legatum, ne Orator Lusitaniæ, Romæ apud sacram sedem ullo mo-

do acceptaretur, tanquam à perduelli suo subdito, & usurpatore Regni emissus. Duo hinc emerferant extrema Pontifici valde difficilia, vel Oratorem respuere, vel acceptare. Medium non dabatur citra unius, aut alterius Coronæ offensam maximam, nec facilè eluendam. Igitur inter hæc duo mala inevitabilia hinc inde sapientissimus Pontifex ponderavit rationes, sed magis pericula, maximè autem, eventum spectavit. Admisit tandem Lusitani Oratorem offenso extremè Hispano, minus inter duo mala eligens, ac non vanè reformidans, ne rejectò Lusitanò, iste non solùm à Sede Apostolicâ animo, sed etiam Religione decideret, quem aliunde sciebat hæreticis confœderatum Anglo, Sveco, & Hollandis. Minorem rebatur offensam Hispani Regis, quàm periculum, vel planè jacturam Religionis in tota Lusitania. Minus malum eligere, malum non est; sed rectæ & elevatae rationis felix partus.

3. Ex hoc arcano elicitur etiam illud: ob bonum majus remittere minus bonum. Ascetæ dicunt: **DEUM** propter **DEUM** relinquere. Paradoxum hoc non est,

est, sed occulta veritas, & ars maxima. Exemplo res eluceat in Viro incomparabili, & Ministro statûs acutissimo, Cardinale, & Duce Richelio. Moverat is superatis alpibus in Sabaudiam, opitulaturus armis Regijs Nivernio Principi, eo successu; ut Sabaudum primò præliò fuderit; Susam ad Pedemontium expugnârit, Caselum eliberaverit; & jamjam ipsi Mediolano minitabundus. Intereâ præter omnium expectationem, in tanto victoriarum cursu, receptui signum dedit, & relictâ in statu quo, Italiâ, magnis passibus per alpes, quasi fugitivo similis, in Galliam adhuc integro exercitu properavit. Hærebant ad facinus insolitum amici Ducis: sed criminabantur inimici: Sagaciores verò Aulici id raræ Richelij prudentiæ attribuebant. Videbatur aliquibus, victoriæ non insistere tantundem esse, ac non vicisse. Et reverà, si institisset Mediolano, discrimen ingens subibant res Hispani, tam ob defectum ipsius militis in Italiâ, quàm ob exiguam spem auxiliorum ex Germania & Hispania, occupato cum Danis Imperatore, & cum Belgis Rege Hispano: nec deerant fœdera & suggestiones Principum Italiæ, quibus jam gra-

vis erat hispana potentia : aded ut evidentem occasionem subigendis in Italia hispanorum viribus neglexisse videretur Richelius. Fuisset profectò primâ facie hoc ingens emolumentum Gallix : at multò sagaciùs rebatur Cardinalis Italiam finire, & quantociùs subvenire periclitanti Patriæ, cadenti Religioni, afflicto per 40. Annos seditionibus civilibus Regno : eâ præsertim tempestate (notent Politici) ubi hæretici sui securi, à longè suspiciebant Regis vires : ubi rebellibus Hugonotis nullus miles ex Germania, nulla ab Anglis auxilia, nulla ab Hispano pecunia nec promitti, nec dari poterat. Et reverà cecidit alea voto Richelij propitia. Nam hâc infringendæ Hæreticorum potentix occasione & stratagemate usus, superatis ex inopinato undique rebellium sibi nîl metuentium munimentis, castris, Arcibus; distractis, quos in adversum habuit, hostibus, pacem dedit Regno, Regnum Ecclesiæ. Ita nimirum sagacem Virum oportet DEUM propter DEUM relinquere, & magna etiam Reipublicæ comoda & bona. intermittere, ubi majora assequendires & occasio exigit.

4. Quemadmodum autem gloriosum est

minùs

minus bonū deserere, ut majus assequamur, ita interdū expedit se ultrò dedere periculo leviori, ut gravius effugere liceat. Temeritas, non gloria est, perire in majori periculo, quàm salvari in minori. Fortitudo prudentiæ conjuncta nunquam se præcipitat. Nunquam periculum sine periculo vincitur. Primum periculū fortunæ est casus; secundum, imprudentiæ, vel temeritatis est lapsus. Perdit se, qui nullum periculum metuit; qui autem veretur omnia, nihil unquam magni operabitur. Magna vesania est, se dedere periculis sine spe remedij: major, periclitari de toto, cū de parte solūm licuerit. Qui minus periculum præ majore non amplectitur, meretur in majore perire.

5. Saul ille Regum primus in Israël, Monomacho in antiqua lege celeberrimo, Davidi nimirum, spem quidem dabat conjugij filix suæ, sed centum præputia Philistæorum velut in contradotem exigebat Saul à Davide. Dura erat conditio, sed durius videbatur amittere Regias nuptias. Utrumque expendit David, & prævidit tandem, majus sibi imminere pericu-



riculum, si frustraretur spe Regij matrimonij; ideo maluit periclitari inter Philistæos cum spe Regij matrimonij, quàm continuis rabiosi Saulis insidijs exponi cum discrimine manifesto vitæ, & Regiarum nuptiarum.

6. Qui omnia volunt effugere pericula, plerumq; in deterius prolabuntur. Quanti non perdidissent status suos, si in tempore se humiliâssent, vel cum hoste convenissent. Satius est, interdum condescendere, & aliquid deperdere, quàm de toto periclitari. Palmaris noster error fuit, tam quòd in principio Electorem Bavariæ, ubi adhuc amicus erat, neglexerimus, quàm quòd cum illo jam hoste, nimis diù dissimulaverimus. Resolutiones tardæ plerumque expectant majora pericula. Inter prudentiam & temeritatem medium quoddam datur; dexteritas nimirum agendi, & fortitudo animi. Utraque multum operatur in periculis. Sæpè pericula per se evanescent, ad quæ parati invenimur. Sæpè verò crescunt ex nostra segnitie, & acedia illa politica, quæ velut febris lentè consumens, in lethalem interitum redigit Regna, & Imperia.

Inde

Inde regulariter emergunt pericula, ubi securi esse putabamur. Et tunc sera prudentiæ consilia, quando jam impetitur discrimine. Nôsse ac scire pericula, neque ea prævertere, crimen est statisticum, quod exponit Majestatem Regnantis vel ludibrio, vel excidio, sæpiùs utrique. Parva etiam contemnere pericula idem est, ac alimenta subministrare, ut ex pusillis evadant gigantea, nec ampliùs reparanda. Qui spernit modica, paulatim decidet.

Etenim morbus quiscunque, semper crescit & augmenta sumit vel ex neglectu, vel ex contemptu. Sera medicina inanis est. Alterationes Politicæ sunt periculosæ illæ statuum hecticæ, quæ ex compendio, vel dispendio temporis, ex neglectu vel contemptu, ex formidine vel confidentia intenduntur sensim & lentè, ac tandem acutissimo æstu consumunt totum corpus Politicum. Unde majus arcanum est:

7. Pericula à longè amovere, quàm ea superare. Remota spicula minùs feriunt, & dissita pericula non tantum metuenda. Qui

Hierō.

amat periculum peribit in illo : qui prævertit, nunquam succumbet in illo. Emergere ex periculis, durum & laboriosum : divertere, tutum & gloriosum : nunquam incidere, fortunæ quidam singularis favor est. Nemo mortalium (ait quidam ex Patribus) juxta viperam securos somnos capit, quæ etsi non feriat, sollicitum certè facit. Tutius est perire non posse, quàm juxta periculum non perijisse. Dictum hoc, licèt à S. Viro in alia moralitate acceptum, nobis tamē sit egregium planè statûs arcanum & documentum. Alienis periculis, quàm suis sapere beatius est. Nostris tamen erudimur, ut præsentium sciamus remedia. Malorum autem oblivio sæpè magis communis est naturæ humanæ, quàm brutis & animantibus : notant hæc odoratu pericula, & fugiunt nemora, ubi casses & pedicas sensère. Canes sæpè abacti non revertuntur : nec volucres repetunt caveam : nec pisces hamum. Aded ipsæ feræ, ne rursus incidant, cavent pericula : solus homo vix restitutus, vix redux, vix à periculo liber, rursus redit ad vomitum. Puerperæ vix expectant thalami socium, licèt pauld

pauld antè abjuratum, cùm partûs doloribus cruciarentur. Naufragi adhuc moles, ait Seneca, suspirant rursus vocem illam, quando vocarentur ad refectas ex naufragio naves, in novas fyrtes, & Pelagi discrimina ituri. Aded cum primùm cessat periculum, nîl perpeffa expendent, ultrò ruimus in antiquas calamitates. Transeant hæc apud homines privatos, sed non apud Principes, quibus in materia statûs bis peccare non conceditur. Serò nimis sapient, cùm videbunt ex collibus gigni montes malorum; ex una prætermiffa cautela duplicari discrimina, ex modica conniventia causari maleficia.

8. Etiam hoc arcani locò suggero: **unum periculum sæpè remediũ esse alterius.** Ex magnis periculis quandoque emergimur, ubi extrema arripuimus. Quantæ naves in arena, & in ipso portu naufragiũ passæ fuissent, nisi se alto oceano commiffissent. Non semper extremum periculum est, quodd existimamus. Prudentiæ, & fortunæ vela conjuncta multum operantur. Sicut difficile est in morbis complicatis remedium, ita in discrimine im-

provisio durum est invenire consilium, nisi propitium Numen accedat. Attamen Audacia plures salvavit, quàm metus: plures eripuit dexteritas, quàm audacia: plures fortitudo juvit, neminem desperatio. Deitas quædam est, quæ magnanimos in rebus desperatis singulariter sustinet. Fortes pericula probant, magnanimis omnia cedunt. Nec Alexander, nec Julius Cæsar, nec Scipio, nec Pompejus tot laureas meruissent, nisi totidē discrimina evasissent.

9. Ideo periculis non statim cedendum: abigendus metus: expectandum: etiam tentandum. Quoties præsentia, quæ videmus pericula, cum evitare ea contendimus, in multo deinceps majora incidimus. Quoties quæ dissipta putavimus pericula, cum nostro malo proxima comperimus. Hæc est fati quædam divini ineluctabilis ratio: nec superest aliud desuper consilium, quàm sibi propitiare Numina, & contra audentius ire. Fortitudo Principis cuncta sit prudentiæ, nunquam formidini. Hæc pessimus animi affectus est, auget esse discrimina, ubi non sunt: perturbat mentem, non necessarijs providet, & quia semper titubat, suum sibi ipsa præcipitium promovet.

Tiberius, cùm Germania, Francia<sup>1</sup>, Hispania, pars magna cæteri Imperij, in seditionē iret, tantò impensius in securitatem compositus; neque loco, neque vultu mutato, sed ut solitum per illos dies eâ egit altitudine animi, quasi modica hæc fuissent, & vulgatis leviora. Primum hoc munus sit Principis, in quibuscunque periculis omnem metum tam ex se, quàm ex populo eijcere. Hoc si non fecerit, crescent pericula majora ex metu, quàm illa ex se sunt. Circumcursabit populus præceps, nec ductum sequetur, neque Ductori obtemperabit, nec ex confusione eripi valebit, nisi cùm perierit. Metus, malus in periculis custos est.



## OBSERVATIO XXV.

*Circa statum conservandum.*

I. **N**on minor virtus est parta tueri, quàm quaerere. Hoc arcanum habuit Augustus pro consilio, Tiberius pro præcepto; ego pro magna veritate statûs. Avita Regna, avitis distincta limitibus diutiùs florûere, & quietiùs. Coniungere enim vires tutius est, quàm di-

strahere in plura. Fallit futurorum spes, neglectis presentibus. Æsopici canis fabulam presentant, qui cum aliena quærent, sua amittunt.

2. Nemo provocare tam facile audeat, aut facere injuriam ei Regno aut populo, quem intelligit suis contineri, claudique terminis: non solum quippe quod iniquum sit, alienos invadere limites, sed etiam quod ejusmodi populi & Regna unita, nec distracta, inter se communicationem semper habeant; adeoque expedita & prompta magis ad excipiendum hostem, & ad vindicandam injuriam. Video hoc, & experior presentens (dum hæc scribo) miseras, quas ferunt status Austriaci in Austria, Moravia, Styria, à rebellibus Hungaris. Ubi enim viderunt Hungariæ nationales, evacuari Regnum milite externo & Germano, eumque inde procul tam in Italiam, quam in Imperium distrahi contra Gallum; illico in seditionem acti invaserunt hostiliter destitutas presentidio Austriacas provincias, cum strage, clade, & ruina ingenti omnium nostrum. Et nondum cessavit atrox tempesta fomentata Gallicis conjurationibus. Meliora dent superi!

3. Pace, abundantia omnigena, & auctoritate domi, forsque plurimum fruuntur illi tantum Regnantes, Qui ita quidem sunt instructi, ut injuriam nemini faciant; sed vicissim ita comparati, ut laceffiti, passuri id neutiquam videantur. Præstat stabilire suos status, quàm alienos occupare; sæpè enim incurrunt illi insidias domi, qui foris insidiantur alijs. Hetruriæ Regulus neminem laceffit, nec laceffitur ab alio, quia intra sphæram suorum statuum se continet, auctis internè in immensum viribus, ac in omnem belli eventum semper provifus abundanter, armis, milite, annonâ & nervo belli.

4. Si deinde rem expendamus, maximo majus opus est, conservare statum, quàm augere per accessus externos, maximè violentos, armis nimirum, vi, & ex insidijs. Ejusmodi enim in se dubia, incerta, & volubilitati subjecta, alternant vices, jam vincendo, jam perdendo: jam crescendo, jam decrecendo ad instar Lunæ, cujus quies ipse motus est. Ita humanas vices in hoc Orbe volubili tam sistere difficile est, ne declinent; quàm auctas conservare, ne pereant.



pereant. Ars hæc excedit vires ordinarias. Etenim vi plerūque acquiruntur statūs augmenta, sed conservantur magnâ sapientiâ. Vis autem nota est multis, sapientia paucissimis. Aristoteles ipse dixit: Leges condere, Rempublicam formare, non tanti esse, quàm providere, ut hæc & illæ conserventur in seram ætatem. Majus aliquod est Plinio, *civem regere, quàm hostem vincere.*

5. Crescunt multi statibus, sed virtute decrescunt. Si olim quomodo quæque parta, si tot Regnorum Provinciarūque accessus intimiūs expenderent aliqui Principes; quanta, quantasq; viderent, latrociniipotius Jure, quàm Justitiæ titulô accessisse. Per calcata ordinariè jura quærimus aliena. Ut olim cognovit Antigonus hoc ipso malo laborans. Cum enim ipsi Philosophus quidam librum de justitia obtulisset, quàm amens es? respondit: cum videas alienis me insidiari, urbemque liberriam armis stringere, tu velis, ut de Justitia legam, aut de ea tecum disseram? gloria, quam in alienis aucupor, exsuperat leges omnes justitiæ. Ethnicihic sensus, Christiani esse non debet.

debet. Quidquid enim injustitiâ hominum ædificatur, Justitiâ divinâ destruitur. Leges civitatis (ajebat Cardinalius Richelius) furta particularia vindicant; & DEUS judex Regû usurpationes flagellat: adeo ut violentiâ aucti rui nam in portione inveniant, & Imperium injuriâ partum brevî deficiat.

6. Scipio cùm ex publici Censoris titulo solemni sacrificio, quotannis pro Romana Republica institui solito, adesset, vetuit precari: **Dij augete Rempublicam: sed conservate.** Satis habemus auctam, si modò conservetur, subjunxit ille. Augustus expendens vitam Alexandri improperavit valde ejus temeritatem. Videlicet: quòd inhiâset tantùm occupando, non conservando mundo. Neque enim de ullo, memorat Curtius, adminiculo, quod Alexander ad conservandum tam vastum Imperium excogitâset, aut leges sanxisset, aut futuris, ne dum præsentibus ex integro providisset. Omnium rerum creatarum brevis faciliórque est generatio, quàm conservatio. Citò nascimur, diu crescimus in perfectam ætatem. Aded natura

non tantum operæ impendit in fieri, quantum in facto esse.

7. Testudo ( animal reptile, & fermè amphibium ) collecta in suum tegmen, tuta ad omnes ictus est : ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium periculo redditur. Experti jam sunt olim Galli Anglos hospites : caveant illi, ne cùm se multum exerunt, & aliena aucupantur, virésque distrahunt, hi rursus postliminið redeant. DEUM Immortalem! quid hoc nostro ævo molitur Ludovicus XIV.? tot Regna in Italia, & in novo Orbe: tot in Belgio provincias: universum planè Imperium, totam denique tot Regnis constantem Hispaniam. Quid hoc aliud est, quàm tanta velle complecti, quantis ne Gallix vires, neque mores, neque gentis genius par esse valebit? Ex natura Galli nesciunt parta tueri. Quod primo furore occupant, ex intervallo negligunt, planè reddunt, vel perdunt. Viri supra Viros sunt, cùm incipiunt; cùm desinunt, infra scæminas agunt. Verum quidem est, quod Ludovicus XIV. Mercurium Gallicum multùm fixerit, gentis molitiam lubricitatémque strenuitate militari solidaverit,

daverit, atque vagos illos, sibi rarò constantes spiritus, continuerit disciplinâ optimarum legum: sed non lucebit semper Sol iste, &, ut multi vaticinantur, ex occasu ejus occidet in Gallis omne mutuatum à suo Sole lumen, & redibit ad pristinum genium, sphærámque, quam natura dedit Galliæ. Tota fermè Europa clamat ut olim Moyses Sol ne movearis contra Austriam. Nimis enim appropinquat fulgor ejus: perstringit Regum aliorum oculos, incendium ab hoc Phaëtonte veretur Europa. Sat sibi est Gallia: florebit magis, & arbitrabitur in Europæ Principes, si intra limites suos constiterit. Sufficit illa sibi: jacturam ex alienis reportabit. Quantò enim plus aliquis adeptus est, tantò magis in lubrico versatur, ait Tacitus. Alexandrum audacter seythæ ille monuit: dum ad culmen homines venire contendunt, unà cum ipsis ramis, quos apprehendunt, decidere solent.

Difficilius ab omni ævo fuit provincias retinere, quàm subijcere. Pyrrhus Epiri Rex id expertus, de quo Justinus testatur, quòd sicut ad devincenda Regna invictus haberetur, ita devictis acquisitisque celeriter destitueretur.

Ludibria magis hos dicas fortunæ, quam veros Regnantes. Quis alius ab Orbe condito, aut major, aut felicior fuit statista, quam Augustus ille Cæsar, primus Monarcha Orbis? & tamen inter arcana Imperij reliquit suo Successori hoc, ut refert Tacitus, fermè præcipuum. Inter terminos Imperij se coërcere. Sed quid? pessima sunt nostra tempora, pessimi mores nostri, dissidijs, æmulationibus, injurijs, & usurpationibus pleni! An non liceat exclamare nunc, quo hæc scribo, tempore? cur vos O mei Reges & Principes uno tincti Baptismate, ita invicem colliditis? cur cognatus cognatum, cur Christianus Catholicum persequitur? cur vicinus vicino factus hostis? an desunt vestræ dominandi, augendique libidini Imperia & Regna in Asia, Africa, & apud gentes Barbaras Christi que hostes? Regna, inquam ampliora, ditiora, feliciora, jucundiora, quam unquam Europæ sunt. Quæ tanta Vesanja vestra est in hoc pugillo terræ (qualis Europa, præsertim Christiana, ad cæteras Mundi amplissimas partes est) velle explere abyssum ambitionis vestræ per summum nefas; ubi hoc per omne fas audetis, & cum gloria vestra potestis in ipsa Pa-

tria vestri Salvatoris, quam Barbari tenent, & flagellant. Satis jam Christiani sanguinis in Orbe Christiano profusum est: satis quieverunt Barbari saginati hæreditate Christi in campis Syriæ, & in delicijs Sion. Parcite jam vobis, & alibi quærite augmenta statûs; ut etiam septimum sæculum hoc videat Godefredos Bulionios, & Balduinos, antiqua Galliæ nomina, & encomia.

## OBSERVATIO XXVI.

### *De Usu temporis.*

I. IN statu Politico rectus usus temporis est Arcanum ad res magnas perficiendas. Uno solo momento res arduæ conficiuntur, & pereunt. Quoties tamen actionibus politicis, quàm polemicis, hora aut dies intercalata, vel cladem intulit, vel illatam repulit, vel emolumenta, vel damna Reipublicæ comparavit. Quoties ex variato tantùm motu exercitûs, victoria, quæ pessum aliàs ibat, redintegrata. Magnum est temporis beneficium, magnum officium & maleficium.

Omnia pendent à recto, vel malo temporis usu.

*Multa cadunt inter calicē, supremāque labra.*

Tua est mi Princeps temporis jactura, quæ hosti compendium est.

2. Galli Romanos olim vicerant in campo: progressi in urbem consternatam, patuere omnia victoribus. Capitolium restabat Viris egregijs plenum: sed fame tandē etiam deditum. At Camillus tempus, & occasionē observans colligit rursus hinc inde dispersum exercitū, reparatisque paululum viribus, movet in Gallos, ad farcinas victores invenit desides, temulentos suique securos. Invadit, pellit, urbem recuperat, & Capitolium. Magni momenti est temporis vices in obsequium suum flectere. Majora, temporis sive morâ, sive celeritate conficiuntur, quàm alijs artibus; quia ipsæ artes, si tempore uti ignorant, exiguum proficient. Qui alteri tempus defert, sibi tollit. Qui non sapit obviare primis malis, ultimis succumbit. Tempori tamen debet cooperari industria, sicut fortunæ vigilantia.

3. Hinc Problema Politicum oritur, an ad res agendas celeritas magis, an cunctatio expediat? ego utramque laudo cum recto usu temporis.

Utraque, ut tempus exigit, utilis est & necessaria. Neque enim sinant se Imperantes in agendo celeritate abripi, nec cunctatione distineri; sed, ut tempora voluere, sint ex illorum cynosurâ vel celeres, vel cunctabundi.

4. Celeritatem duo solum tempora exigunt; nimirum cum se occasio offert, vel in extremo discrimine. Occasio ne sit impedimentis obnoxia: discrimen remedio careat. Celeritate nondum remotis obstaculis impinget magis Princeps, quam provehetur. In discrimine non expectatâ necessitate præcipitabit sua consilia in deterius. Nunquam felix est temeritas, nisi in re ancipiti, & ubi nec tutus datur, nec honestus recessus. Julius Cæsar contra mores patrios Rubiconem transgressus dixit: *Jaeta est alea*: quam amplius corrigere non dabatur. Instat igitur fortuna. Ab hac propitiâ fronte exceptus omnia prospera gessit, usque dum Imperio Romano absolutâ potestate incumberet. Non idem semper tempus est: felix, quod sibi propitium obtigit. Casu prærupta oportet in Sapientiam vertere, & oblata fortiter stringere, ne se subducant.



5. Cunctatione distinentur aliquando, & procrastinatione multum peccant Imperantes, cum videlicet domi otiosi, non invigilant conatibus externis inimicorum, confederationibus Vicinorum &c. Existimant pacem semel partam, duraturam in æternum, quâ tamen nihil fragilius est. Cum multum credunt, multum fidunt, & nimis benè supponunt, perdunt interea tempus reparandi Vires, & in pace non ea cogitant, quæ Belli sunt. Mater negligentiae est Securitas. Periculosum est occasiones rei benè gerendæ præterlabi finire, & tunc primò deliberare, cum factis opus est. Lethargus quidam Politicus est, ab apertis, vel occultis inimicis se finire somno sopire, per varia projecta Pacis, induciarum, pollicitationum &c. Cum interea hostes quàm maximè se parant, ejusmodi somno correptos ex inopinato obruere, vastare, & in alieno solo sedem Belli figere. Ut factum nostro ævo in utroque Turcico: & multoties renovato in utraque Germania Gallico bello adversus Cæsarem Leopoldum. Tardè excutitur Lethargus, cum Jaëlis clavo jam figimur infelices Zizaræ.

Scdò Medicina paratur cùm omnes artus toxicum occupavit. Ego quidẽ confidenter existimo semper intercedere culpam vel Inertiaẽ, vel credulitatis nimiaẽ, vel mali Consilij, quoties in nostro solo ab hoste obruimur. Primum victoriaẽ classicum est Solò alienò potiri. Dimidium confecit, qui in solo hostili sedem Belli posuit. Malum prognosticon est quamprimum hosti solum cedere.

Ingens desidia est, domi hostem expectare. Providentiaẽ exiguam curam in Imperante arguo, qui ex inopinato obruitur. Pessimi Consiliarij, qui pericula non antevertunt, & præterire sinunt dies acceptabiles, in quibus dabatur limitibus Regni providere; cumulare, non evacuare Ærarium; Vestire, non denudare militem; & in condignam defensionem cuncta instruere. *Dum tempus est*, intonat Apostolus, *operemur bonum*, isti dies nostri sunt: Si præterierint; non ampliùs redibunt nec illi, nec occasiones, nec bona consilia. Plures Supina cunctatio perdidit, quàm immatura celeritas. Utrique extremum vitij deme: nec im-

maturam celeritatem, nec Supinam cunctationem sequâre, sed hanc, & illam ad temporis trutinam appende.


6. In Extremis Audacia pro munimento est, & celeritas victoriam parit. In negotijs arduis, quæ moram patiuntur, cunctari non minùs expedit, quàm aliquando arripere primas occasiones. Cunctatione frangimus sæpe obstacula, invertimus adversariorum machinas, lucratur tempus, prævidemus pericula, & quod maximum est, accingimur ad fortiter agendû. Sapiens Princeps, ut tempus se offert, vel celeritate vel cunctatione quærit sua compendia. In causis cum odio conjunctis, ubi annuere uni periculosum, & negare alteri non tutum, præsentissimum remedium est, cunctari. Hæc procrastinatio multum conducet in Regno inter se diviso, & collisionibus statuum sive Ordinum Provinciæ, ac Civitatum &c. maximè verò difficili, externisque Bellis occupato tempore; Ubi nimirum non facilè datur liberè agere cum suis. Dilatio utriusque partis minùs invisa erit, quàm per ingratam sententiam offensio unius.

7. Lucrari tempus in rebus maturandis artibus

tis magnæ est: in obstaculis acutis & ardentibus, tutum; in ambiguis & discrimini jam expositis, periculosum. Interim Aristoteles magnus Politices Magister ait: Impetuositatem naufragium esse magnarum Actionum. Consilium ex re nata optimum: in arena necessariû. Quando periculum damni majus est, quam spes lucri, tempus moræ utiliter interponitur. Tempus medium fit semper inter inertiam & præcipitium.

8. Ipsa natura suum sibi tempus sumit ad quæque producenda: alia in vere, alia in autumno; & rursus alia in hyeme, alia in æstate. Pythagorici docuere: *Opportunitate primam omnium rerum contineri causam.* Opportunitatis parens tempus est: & opportunitas ostendit tempus, quo agere, præliari, fugere, insistere, obviare, declinare, cunctari, vel concludere oportet. Magnus ille Julius Cæsar confluxum hostilium copiarum nunquam expectavit, sed sæpè prævenit ipsum tempus, iniquiens: se Ariovistum vicissè nacto tempore, ubi iste nondum Svevis Rhenum transgressis, augmenta sui Exercitûs habere nequivit. Sæpius

p̄ius ad temporis rationem, ad dies acceptabiles, quàm alia quævis se reflectat Princeps, & ex hoc velut fidelissimo Consiliario capiat, & concipiat consilia. Comodum emergens nunquam prætereat, neque Ventum secundum negligat, occasionem arripiat, certus amplissimi successûs.



## OBSERVATIO XXVII.

*Circa usurpationem alieni.*

1. **A**Mbitio ferali planè igne succendit æmulantium arma, dum quisque vel rapere studet, quod ambit; vel tenere, quod rapuit; vel revindicare quod tenuit; vel æmulum tollere, qui rapuit. Sic ambitio, sic vindicta alternant vices: sic rapina, sic usurpationis alieni, non aliud, quàm præcipitia molitur vel expectat. Verissimus statûs Canon est: Qui semel sibi similem læsit in materiâ Majestatis, sive Regni, nunquam erit unus ab altero securus, donec unus perdat alterum. Rard unus ad Regnum currit: dulce hoc (licet fallax) bonum semper plures pro-

eos habet. Vix unus illud assequetur, aut tūc possidebit, quin æmulum tollat, vel tollatur ab illo. Multi ad propriam festinavêre ruinam, qui quærebant alienam; quia intenti alterius casui, sibi satis non cavebant. Ubi leoni leo, ambitio ambitioni confligit, nisi unâ, aut alterâ parte sublatâ, aliàs non quiescit. Usurpatores alieni dominatûs nequeunt aliter fundamenta jacere Imperij, nisi supra antecessoris tumulum. Et nisi hoc agant, semper periclitantur tam de alieno, quàm de suo.

2. Expertus hoc ævo nostro, Wilhelmus Auriacus; licet ab Anglis in Regnum vocatus, & illuc ex Hollandiâ appellens, velut alter Messias, & è Cælo delapsus libertatis assertor universim adoratus fuerit, relegato interim à Parlamentarijs in Rochestrensem carcerē (unde postea profugerat) legitimo Rege Jacobo. Felix quidem Regni principium ille auspiciatus, nihilominus deinceps, usque dum viveret, mille suorum insidijs, incessanter exagitatus fuit, conspirantibus Anno 1692. in eum triginta sex Lordis & sexcentis Nobilibus; quibus vix oppressis, novum subijt periculum à Marchione de Grandual, qui jamjam Regicidio insistebat.

Post hæc tota secta Presbyteriana ( licet aliàs ejus fautor olim fuisset Wilhelmus in Battavia ) insurrexit, & velut æstro maligno percita, omnibus quaquà modis struxit continuas insidias Solio, & vitæ Regis. Verùm illa omnium terribilissima conspiratio fuit, Jacobitarum videlicet, quæ in præsidium habebat classem Gallicam Calesij subsistentem; nisi Colonellus Rôe, & quidam Pendegras machinam detexissent, & Regem à venatu, ubi ex paratis insidijs confici debebat, absterruissent. Aded intutum Regnum est, ubi superstes æmulus vivit. Non enim unus facillè dejicitur Solio, quin omnium commiseratio tangat dejectum, & arma acuantur in usurpatorem. Omnium odij ille fit meta, atque scopus, & jacula excipere cogitur, quæ in æmuli pectus designabat. Nisi caput contriveris, ne credas serpenti.

3. Hoc verò præcipuè contingit, ubi quispiam Regnum, vel malis artibus per se, vel vocatus ad illud per alios, abrogato quidem, sed vivo adhuc prædecessore, adeptus est. Imperia siquidem violenta, violento exitu plerumque terminantur.

tur. Nam omnipotens, cujus est Regna dare, & tollere, injustam potestatem nec diuturnam esse patitur, nec felicem. A Julio Cæsare usque hæc tempora, inter centum, qui occupârunt alienum Solium, vix quatuor fuere, qui non rursus illud amisissent plerumque cum violentâ morte. Et quia olim usurpatio alieni solij valde vigit, paucissimi inter antiquos Reges naturali fato decessere. Inter quinquaginta primos Cæsares vix pauci aliquot; & à quo cæpit Regnum Bohemiæ usque ad ultimos Austriacos, solum quatuor Reges in pace rexerunt: ne dicam de Anglia, & alijs Regnis, olim & postea continuæ vicissitudini, Regumque mutationi expositis. Sic clavus pellit clavum, æmulus persequitur æmulum; & usurpator nec usurpata retinet, nec sua, nec vitam sæpè ipsam.

4. Enimverdè contra usurpatores plerumque tres exsurgunt inimici, & hi omnes fermè fatales. Primò Princeps abrogatus à suis, vel depulsus ab æmulo. Secundò usurpatoris amici tantummodò palliati, qui non Regem alium volunt, sed Regimen aliud: qui Leges dare volunt usurpatori, non Regnum. Tertio hostes aperti, & fautores confœderati cum abrogato,  
vel



vel expulſo Rege. Cum tricipiti hac bellua col-  
 luctandum eſt indefinenter Principi, ad Impe-  
 rium alienum per vim evecto. Sanè ad tollendū  
 æmulum magnæ requiruntur uſurpatori opes,  
 arma, fœderati: hæc omnia è contrà ſupplebit  
 in æmulo exauthorato, ſola commiſeratio er-  
 ga illum, indè que ſubſidia aliarum potentia-  
 rum. Et licèt quândo que reprimet æmulum,  
 ex toto nunquam opprimet: adhærent quippe  
 talibus in Regno, & extra Regnum aliqui par-  
 tiales & fautores. Quid ſi mutata belli, fortu-  
 næ que aleâ planè vincatur à victo, vel reprimatur  
 ab oppreſſo? Annibal ter hoſtem peni-  
 tūs delevit, decies pugnavit cum ipſo, ſemper  
 Victor: ſed unicâ tantūm vice infelix, omnem  
 amiſit gloriam, mulctatus planè exilio, demūm  
 hauſto toxico, miſer perijt. Id accidit multis  
 alijs uſurpatoribus, qui uno ſæpè prælio poſt  
 multas victorias fuſi amiſerunt non ſolūm  
 uſurpata, ſed etiam ſua propria. Uſurpator  
 quippe alieni ſtatūs ſemper meticuloſius ope-  
 ratur, quia ſcit ſe eſſe malæ fidei poſſeſſorem;  
 idèd facilius ab exauthorato vincitur, quia cum-  
 primum iſte ſuas vires, licèt etiam modicas vi-  
 deat, extrema illicèd tentat, fretus ex bona cauſa

recuperandi per iniquam usurpationem amissa.  
 305. Alterum: quod usurpatori ab Amicis ple-  
 rumque simulatis, & domesticis suis semper  
 aliquod periculum sit, quia corrumpi possunt.  
 Miseri enim & prostrati, suisque avitis Dominijs  
 spoliati Principes omnia movēt, omnia tentant,  
 fraudes, corruptelas, venena &c. dumodo usur-  
 patori noceant, & sua recuperent. Et illi ipsi  
 qui usurpatori Regno occupando authores, &  
 incentores erant, tractu temporis graves fient,  
 sibi que omnia deberi insolenter jactabunt: quid  
 autem in talibus fidei, & fiducia ponendum;  
 satis per se patet. Inter ceteros, qui Carolum II.  
 exulem revocârunt in Angliam ad capessendū  
 avitum Regnum, quod Cromuellus per sum-  
 mam tyrannidem occupaverat, erat etiam  
 Marchio de Argille, qui tamen postea anno  
 1661. à Rege palam descivit, & in ejus personam,  
 & vitam conspiravit. Insolentes planè sunt no-  
 vorum Regum confidentes & Ministri, seque  
 ita necessarios faciunt, ut per illos & illis ipsis  
 omnia ad libitum facere, & finire debeant,  
 quod cum semper esse nequeat, illicd expostu-  
 lationes, execrationes, & defectiones sequun-  
 tur. Multos tædet novi Regiminis, vetusque

fufpirant: alijs præ pace Regni, bellum & feditiones utiliores funt, & in turbido quærunt compendia fua, volúntque cum ufurpatore frui alienâ fpartâ. Tertium, quid nempe hoftes aperti, qui adversùs ufurpatore pro reftitutione exauctorati arma movent, faceffere valeant, per fe conftat: quis enim novus Rex aut ufurpator fidet hoftibus apertis, vel non metuet fautores prioris Regiminis? Ita nimirum undequaque præcipitijs proximi funt, qui clienum Solium occupârunt. Aded *Justo DEI judiciò, quos aliena movent, comitatur error & infelicitas excipit.*

6. Hoc ipfum jam experiri fermè videbatur Dux Andegavenfis ex Gallia in Hispanias vocatus ad occupandum Auftriacum Solium. Jam multoties conspiratum in caput ejus; & nifi ad latus fuos haberet Gallos, jam pridem defertus ab Hispanis, remigrâffet ed, unde venit. Præfagiebant hoc verba illa, quæ in ejus inauguratione muftitabant inter fe Hispani, ut Cicero olim de Augufto: Sinamus coronari juvenem, ut in cavea habeamus feram. Sed malò fuò fefellerunt fe Hispani: non enim in cavea continent feram, fed in cam-

po' experiuntur Leonem, jamque dolent sero nimis, emuncta Regnorū æraria publica, expilatas privatorū opes, abrogatū factum Magnatum, & Procerum, relegatam antiquam libertatem, & oppressæ Hispaniæ superinvectam Galliam. An verò hæc Andegavensis molimina, & evidens usurpatio sint prosperum habitura finem? ex præteritorum experientia vix affirmare ausim. Expergefacti tandem jam etiam Hispani vident se somniâsse tantum dies pacis, & invenisse omnia momenta calamitatis extremæ. Jam classicum intonat Carolus, cadunt Urbes, secedunt populi; compuncti redeunt Magnates, Homagium offerunt provinciæ, multi proclamant Regem Carolum. Inde facilis conjectura est, quàm leve momentum sit usurpatæ Majestatis existente æmulo, aut vero hærede.

7. Ast opponet quispiam immensam Ludovici Regnantis potentiam, quæ firmabit nepotem in alieno patrimonio? Sed dic, obsecro: an una Gallia se opponet cum suo commodo toti Europæ, quæ sensim accedit ad partes Austriacas? an Ludovici unum ærarium exhauriet Lusitanum aurum & argentum; vel libras

sterilas Angliæ? an Francica classis calcabit omnia maria, occupata jam Anglicis Hollandicis, & Lusitanis velis? an obliteruorum vulnerum in Germania, in Sabaudia, sub Landavo, sub Gibelterra &c. an ignorant Galli, quod Domus Austriaca nondum extrema remedia arripuerit, & adhuc sit integris viribus, ubi longè aliud ipsi nationales de illorum Gallia perhibent? Numeremus amicos Galliæ & fœderatos: Helvetia titubat in utramque partem, fortassis neutri opitulabitur: Sabaudus se tandem recollectit, & cognito Ludoviciana redijt in Imperiale fœdus: Svecus multum quidem in utramque partem, omnia tamen non potest. Bavarus bis cæsus in Imperio, profugus, & ad incitas redactus: Septentrionales coronæ, Imperij Ordines stant pro Austriâ. Turca, cum diglantur inter se Christiani, raro se immiscet: nec alias fidit Gallicis consilijs, quibus non pridem Portam periclitari fecerat: Papam credo Patrem universalem, nec ideo fore partialem. Quid plura? Hispani fortè sunt amici? Gens naturâ, sanguine, habitu, gressu, legibus, Politia sacrâ & profanâ Gallis planè contraria, adversa, ne dicam, inimica. Omnes propemodum

dum Hispanorum, vel saltem plerique jam sunt imbuti opinione falsificati illius, & supposititij testamenti, ut palàm orbi suam culpam dixit, Admiralius Castiliæ diffuso instrumento, quod etiamnum omnium oculis obversatur. Extremè etiam sunt læsi: non solùm quòd videant Gallos Ministros, & ipsum Galliaè Legatum arbitrari in arcano Regni concilio: sed etiam quòd Galliaè novercales modi, & formæ regendi invehantur in provincias contra antiqua, & municipalia statuta, per tot olim sæcula, & sub tot Aragoniaè & Castellæ Regibus inviolabiliter servata. In sinu deinde jam gestant verum hæredem, & Hispanam progeniem, Carolum videlicet tertium. An quærent externum? & in Galliâ? minimè gentium. Quod Hispani modò agunt, quod Andegaveni ostentant, merè simulatum & fictum est, adeoque diuturnum minimè. Et quid si etiam Carolus (cui etiam alibi nunquam deerunt coronæ & sceptræ) deesset? an desunt Hispanis vires in unum fœdus, cum omnibus Regnis Hispaniaè coalescendi, ut fecerunt Battavi in pugillo terræ? Nunquam enim, mecastor, ferent Hispani despoticum Galliaè Regimen, assveti comitati priorum Re-

gum. Prima occasio invertet omnia, quàm fortè speramus Pacis fœdera, & infringet, jurata licèt Homagij vincula. Hæc per parenthesis dicta funto. Prosequamur cætera.

8. Qui occupare gestit alienum Solium, in eo sit totus, ut quodvis potiùs aliud agere videatur. Interim celeritate magis, quàm cunctatione occupet illud. Sic post Julium Cæsarem Augustus; sic post Augustum Tiberius specietenus declinabant Imperium, quod re ipsâ occupabant, ut alibi diximus. Exemplum recentius fuit Friderici Palatini in occupanda Bohemia: & novissimum Bavari in fanciendo fœdere cum Gallis adversùs gentem Austriacam. Iste, licèt atrox in Cæsarem bellum meditaretur, militèmq; legeret; nunquam desijt ad speciem Aulæ nostræ suggerere consilia, ut nemo, nisi sagacissimus illum Gallix obnoxium, cùm tamen reverà erat, suspicaretur. Donec sepositâ in focerum Cæsarem omni reverentiâ, fidei suæ planè immemor, desævire cepisset, supra Barbaros immanior in imparatas Austriacorum ditiones: ponente interim divino Numine metam

tam Bavaræ, vel barbaræ potius crudelitati, ubi conversâ in suam necem belli aleâ bis ipse, à sæculis inauditam suorum stragem, tam ad Donawerdam, quàm inter Augustam & Ulmam spectâisset, solus à vulnere vix immunis, & profugo similior, excessisset patrio lare, Gallia petens servitutem, vincente, & persequente ubique Leopoldo sui generi immanissimam perfidiam. Quantum ille ex hoc malæ sortis exemplum; quàm infelix Princeps, palam est ex proscriptione, publicè & ad valvas factâ! Ita nimirum, instrumentum proprium amittendi propria, est usurpare aliena.

9. Bavaro ante medium & ampliùs sæculum prælusit Fridericus Palatinus ( adeo ex una stirpe geminatæ in Austriacos insidiæ ) cùm Bohemix sceptrum varijs artibus rapuisset Ferdinando Cæsari. Extant adhuc illius litteræ, plenæ submissionis in Cæsarem, ac devotionis in gentem Austriacam ( sed hypocrisis erat ) quibus alto somno sopiebat tam Electores Imperij, quàm Aulam Cæsaream: interim occulto tramite transactis in Austriacorum excidium fœderibus cum Hollando, Veneto, Transylvano, Anglo, Gallo, & Ottomano Principe,

aliis-



alifque omnibus, qui sibi in rem præsentem prodesse quiverant. Desuper, rebus ita clam & perperam stabilitis, ex inopinato erupit rebellio Bohemica, introducto ex Transylvania Gaboriano milite; nondum adhuc existimante quopiam, quòd hæc astu fierent Palatini, cum tamen omnium Author esset, non solum ablegatis ad Portam Ottomanam nuntijs, invocata ejus protectione, sed etiam immisso in Bohemiam ex varijs locis exercitu. Acceptâ deinde à statibus coronâ, usus est celeritate ingenti, ut undique insequeretur Austriacum, imparatum videlicet illum, fatigatumque hinc inde Gallicis, & Gaborianis diversionibus exercitum, ubique sine cunctatione torrentis instar obruens, donec Pragense prælium sisteret victoriarum cursum, & irrisui post arreptam ex Pragensi urbe fugam, exponeret bissextilem Regem. Sic tandem suum ad Dominum respexit usurpata corona, & per ipsam, quâ stringebatur violentiam, iniquo possessori elapsa est.

10. Interim qui in hoc saltu est, ut vel usurpator persequatur exauthoratum æmulum (quod iniquum est) vel iste usurpatorem excutere

cutere gestiat ( quod justum est ) omnino oportet celeritate uti, nec contentum esse parte, quin totum habeat. Actum est, si quæcunque, etiam debiliores, vires æmulo permittantur. Aut Cæsar, aut Nihil. De individua re agitur, cum de Solio disceptatur. Nec facile offerenda pax, nec accipiendæ induciæ: victoriarum celeritati insistendum semper & amplius, donec æmulus collabatur. Hostem non domare, eum potes, est armare, ut pereas.

II. Ad propositum hoc collimat scriptum illud Teutonicè diffusum ( æternâ quidem detestatione dignum, execrandumvè ) quod suggerebat quidam Statista præfato Friderico Palatino. Scripti epitome hæc est :

Primò: ut Imperatorẽ, legitimum nimirum Regẽ Bohemiæ Ferdinandum, sed exauthoratũ à rebellibus Statibus, ad speciem Patris locò colat; necessitatẽque abdicationis Regiæ ipsi persuadeat; nec quidpiam extremum in Domum Austriacam palam attentet, nisi sibi prius fidat Austriacos Principes omnes, aut capere, aut tollere.

Secundò: Ecclesiasticos, in Statu quo, permittat, quia illi nihil tentabunt, contenti Bene-

ficijs, & divitijs suis : firmato autem Regno, sui velut securos opprimat, fiscóque, extirpatis illis, addicat omnia.

Tertiò : cum Turca protectore suo occultè agat, palàm tamen suum inimicum profiteatur, ne Christianorum odium incurrat : nevé modum hunc tractandi Turca apprehendat, invenient remedium apud Portam Holandus & Venetus Legati. Interea Portæ illius Ministri, Vezirij, & majores Bassæ promissis lactandi, & largitionibus profusis in partes trahendi.

Quartò : cum Bohemis de successione hæreditariâ Regni occultis vijs tractandum : quis enim tantæ alex se, suosque liberos exponet in vanum, nisi sit certus de suorum successione. Duo autem sunt, quæ eum ad hunc finem ducent : simulatio nimirum profunda, & supina occultatio hujus propositi : Promotio eorum, qui juvare ; & sublatio, qui id impedire valent. Tiberius hîc Magister esto : qui, quos tollere è vita gestiebat, extollebat ad honores immodicos, adeo ut fastigium illis fuerit in præcipitum, sic ferente imbecillitate humana, ut nunquam sobriè felicitate utamur.

Quintò : tollendi viri cordati, libertatis avidi,

avidis, strenuis & pugnacibus : item Lutherani, & Hussitæ : illi propter Saxonem Lutheranismi protectorem ; isti propter factionem eorum, quæ in Regno præpollet, capaxque est obsistendi, si quidpiam à novo Rege contra libertatem peteretur, vel statueretur. Utrique igitur premendi, quemadmodum Premonstratenses & Armeniani in Battaviâ. Cæterùm Catholici mitius habendi, utpote satis mutilati numero, viribus & opibus.

Sextò : modum tollendi insinuat : primò per ablegationes Potentiorum ad externas Aulas, ut se exhauriant, & longè absint à Patria, cum secreta ad Principes amicos instructione, ut eos negotijs detineant, nec facilè abire sinant : præsertim Comes Turrianus mittendus in Angliam ; Mansfeldius ad Socerum in Belgium : præsentibus enim hi duo multùm faceffere Regi auderent, qui Palatinum magis Protectorem Bohemicæ rebellionis, quàm Regem auebant. Secundò : per subornationes delatorum adversùs fontes, & infontes. Tertidò : per fomentata dissidia inter Magnates, eorùmque mutuas exacerbationes, unde non solum occultissima quæque propalam fient, sed etiam


materia puniendi & expilandi privatorum æraria nunquam deerit, sicque atteretur eorum potentia. Quartò: per assistentiam præstitam civitatibus adversùs Nobilitatem, ut hæc sensim supprimatur: & plebi adversùs Magistratus suos, ut hi amoveantur suffectis alijs, in rem Regis magis inclinatis. Denique quid tanti esset, si ferocissimorum & Potentiorum quorumque trecenti varijs artibus, vel minuerentur vitâ, vel relegarentur sub aliquo prætextu.


Septimò: exercitum, qui tunc erat amplissimus, alat, foveat, & armorum Præfectos velut fratres aut filios habeat: sicque in Regno distribuatur, ut ocyùs conjungi, & disiuncti non opprimi queant.

Octavò: Principes Germaniæ adoret, demereatur sibi Legatos externorum, ac Ministros aularum muneribus sibi obnoxios reddat.

Nondò: procuret occupare opulentiores aliquas Urbes in Imperio, ut Norinbergam, Ulmam, Francofurtum, unde neruum capiet diuturni Belli. In hujus rei consilium, & auxilium assumat tenuiores aliquos cives, quibus partem prædæ polliceatur. Si verò id non obtingat

tingat, conniti debet, ut per incentores populares plebem concitet adversus Primores, séque tunc Tribunum plebis ultrò offerat, ut fecère Augustus & Tiberius. Denique Austriacam Domum per fœderatos suos Gaborium, Gal- lum, & Turcam dividat, infringat, elidat. Pro- pè est, ut Hispanorum jugù excutiat Belgium: hoc si fuerit, res salva est, exoptante toto Im- perio Palatinum in Regem Romanorum; ejús- que focerum Mauritium in Belgij Principem. Ita statista iste ad quondam Palatinum; hunc autem, velut antesignanum, non pridem ad un- guem sequi tentavit Baviariæ Dux, nondum edoctus fato illius pessimo: non esse con- silium contra Dominù: & quòd, qui DEUS Regna dispensat: gerat etiam Regum tutelam; in quos nemo im- punè rebellat. Quem non terrent aliena vestigia, suum sibi præcipitium quærit, & in- venit.





## OBSERVATIO XXVIII.

*Carca res Imperij, ejusque Regnatricem Domum Austriacam.*

**I**Mperium Romanum origine suâ in Romulo Regium; per Tarquinius populo infusum; conversum deinde est in Aristocraticum, ubi jura dabant Consulares Patres: & pauld post in Democraticum, cum summa in Tribunis, & plebe fuisset authoritas: utrinque **M**agnum, ex maximis augmentis, Orbéque fermè toto subactò. Tandem plenitudinem Majestatis, ac quietis universalis obtinuit, cum Mundus Romam, Roma Octavium Augustum adoraret.

2. Ab hujus excessu titubare cepit magis, quàm stare Imperium Romanum. Optimo enim Cæsari suffecti mali Principes antiquum decus non sustinuère. Reparasset M! Constantinus, nisi divisisset; Orientali magis, quàm Occidentali incumbens Imperio. Perijt tamen prius illud, quàm hoc; à Mahumete nimirum Amurathis filio, armatâ manu occupatum

patum sub Constantino ultimo Imperatore, subactumque Ottomanorum Tyrannidi. Ad eum certum est: in ijs sæpè Regna deficere, à quorum nominibus capere. Caput enim Orientis Imperium in Constantino M. S. Helenæ filio: desijt in Constantino ultimo, etiam à quadam Helena prognato.

3. Occidentale igitur (de quo hinc differ-  
turi) remansit; variâ fortunâ gestum sub Longobardis, usque ad Leonis III. tempora, & ad-  
ventum in Italiam Caroli Magni, Germani Principis, qui ad preces Leonis ex Germania evocatus, expeditionem in Italiam suscepit, ar-  
duam quidem, sed gloriosam sibi, posteris, & Germano nomini. Ejectis etenim ex Italia Longobardis, aliisque quàm plurimis domitis Bar-  
baris, & ad meliorem frugem reductis populis, meruit dici Imperator, cum parem potentiâ, nec meritis haberet. Hoc pacto tam acclama-  
tione, & voce omnium Occidentalium populorum, quàm ultroneâ eorundem submissio-  
ne affectus est Imperium, quod aliàs ipse Jure Belli, & suorum Germanorum viribus, tan-  
quam derelictum ab Imperatoribus Orientis, (quibus Jus erat in illud, sed tuendo impares vires)



vires) & à Longobardis usurpatum, eliberatâ Româ atque Italiâ omni, ejusque Rege Desiderio in captivitatem abducto, victricibus armis occupaverat. Sic Cyrus Persicum, sic Alexander Græcum sibi stabilière Imperia. Accessère summi Sacerdotis, & Cleri totius (quem Carolus semper coluit) sacra vota & preces, ut antiquo Regum Israël more, ungeretur sacro balsamo in caput Occidentis, ac Imperij diademate coronaretur à Vicario Christi in terris, Leone III. Anno Salutis 801.

4. Et quia reipsâ hæc Imperij occupatio videbatur derogare Orientalibus Imperatoribus, quibus jure competeat omnis potestas in Occidentem, igitur per Legatos suos modestissimus Princeps, transegit cum illis, ut refert Kranzius, trium annorum jactatô negotiô; confumato tandem eâ lege, ut sub bicipiti Aquila, Pax tamen non foret anceps, sed perpetua, & amicitia inter utrumque Imperium stabilis; utque Carolus Jure possideret Occidentis, quod armis sibi addixerat, Imperij Solium. Quâ ratione, nimirum, Jure Belli, consensu, & submissione populorum ultroneâ, & ex transactione cum Imperatoribus Orientis obtinuit

Lib. 3.  
Sax.

Carolus M. fasces Imperij Romani. Funiculus iste triplex est, quo Divina Providentia (cujus solius est transferre Regna & Imperia de gente in gentem) colligavit Germaniæ Occidentis Imperium. Quis dirumpet funiculum hunc? nemo, mecastor. Nisi vox DELfallat, funiculus triplex difficilè rumpitur.

5. Constabat olim Imperiū tribus nobilissimis Europæ partibus, Germaniâ, Galliâ, Italiâ, & alijs adjacentibus Provincijs, quæ deinceps in Regna conversæ sunt, ut Bohemiâ, Poloniâ, partibusq; Illyrij: nunc verò comprehenditur decē circulis (qui omnes propriè ad Germaniâ spectant) & feudis Italiæ præcipuis. Circuli sunt Austriacus, Francicus, Bavaricus, Svevicus, Westphalicus, Rhenanus Superior, Rhenanus Electoritijs (ita à quatuor Electoribus, quos comprehendit, dictus) Saxonicus Superior, Saxonicus inferior, & Burgundicus. Horum singuli complectuntur Principes, & Duces Ecclesiasticos, & Sæculares, Marchiones, Comites, & Barones; Urbes item liberas, ut notorium est. Erant olim Duces, Comites, Marchiones, ut nunc sunt Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, mera officia, non perpetua, sed per-

sonalia; & quidem onerosa; non solum, quod fervirent Imperatori tam in Curiâ, quàm in campo, domi, & foris, pacis & Belli tempore: sed etiam quod Annuum pensum Imperatori conferre tenerentur, unde ipse, a jure Kranzio, pro decore tantæ Majestatis Imperare, ac discrimen quibuscunque Imperio imminentibus obviare, seque suosque tueri valeret.

6. Verùm ab excessu Ludovici IV. in quo desijt Carolina Stirps, cùm Imperium in novam Familiã transfiret, nimirum in Conradum Franconiæ Ducem; cristas erexere Ordines Imperij, & in Sceptrũ Imperatoris non nisi certis legibus consensere, salvo tamen Cæsari semper jure Majestatis. Unde memorata Officia in filios extensa: deinde sub Conrado II. Salico, propter expeditionem illam non minus sumptuosam, quàm per historias celebrem in Italiam susceptam, comitantibus Cæsarem omnibus ferme Imperij Principibus, & Dynastis ad limina B. B. Apostolorum; ut igitur levamen inde perciperet aliquod comitiva tam Augusta, consensu iterato Imperatoris ad nepotes ipsos protracta: tandem sequioribus temporibus perpetua de stirpe in stirpem transiêre. Quæ indulgentia plus

plus æquo major maximam inflixit plagam Cæsarum posteritati, debilitatâ inde multum tam authoritare Cæsarâ, quàm ærarij copiâ, surgente autem in immensum potestate Imperij Ordinum.

7. Supererant adhuc aliâ duo Imperatoris fulcra: nimirum **Collatio** Episcopatum in Imperio, aliarumq; Ecclesiasticarum dignitatû, & **Assistentia** obsequiola, ac ex debito Principum, membrorumque Imperij, contra hostes Imperatoris. Verum hæc etiam prolapsa sunt: Nam Henricus IV. suâ cum jacturâ ac excidiô multum decertavit Romæ pro collatione Episcopatum; & ejus filius Henricus V. diu cum Romano Sacerdotio colluctatus, Jus sibi illud victricibus armis, & ad suggestionem Germaniæ Episcoporum ( qui magis auebant investiri à Cæsare per virgam & annulum, quàm à Papâ pallium petere ) incarcerato planè Pontifice asseruit. Nihilominus apud Successores Cæsares prævaluit Pontificia Potestas Regiæ.

Nec minus corruit alterum, videlicet **Assistentiæ** fulcrum. Quantumvis enim non solum Jure feudorum, certum, cautumque sit, ut

Vassallus assistat Domino Feudi contra omnes ipsius hostes; ac, si desit officio, hoc ipso privatione feudi dignus habeatur. Quod olim in Imperio abundè observatum tam sub Friderico Barbarossa privante Henricum Leonem, Saxonix & Bavarix Ducatu; quàm sub Rudolpho Habsburgico exauthorante Ottocarum, Austriacis ditionibus. Nihilominus tamen re ipsâ vetus illa assistentia in tantum restricta est, ut illa à Cæsare peti, non cogi: & ab Ordinibus negari, vel concedi queat. Ut sæpè factum in Imperij Ordinū comitijs spectavimus. Idè feuda Imperij nunc fermè transiêre in patrimonia. Hoc pacto procedit non tam antiquum decus, honôsque Cæsarum, quàm emolumenta omnia, & proventus, qui in præsentî planè nulli sunt.

8. Ad rem jam propiùs accedo, & observo Tot esse Majestates in Imperio, quot sunt Status Imperij, Cum nimirum status Imperij, quorum nómîne Principes intelliguntur, tantam in suis ditionibus, & Dynastijs obtineant potestatem, quanta Imperatori competit in universo Imperio. Posteaquam enim

Im-

Imperatores malo suo fato Officia Imperij ex-  
 temporaneis fecêre perpetua feuda; eâ planè  
 lege, ut Hæreditaria & successiva essent, etiam  
 per investituram omnia tam majora, quàm mi-  
 nora Regalia contulêre in receptores. Neque  
 tamen hæc officiunt Imperatoriæ Majestati,  
 cùm illa major sit omnibus, & suprema in om-  
 nes Majestates. Imperium etenim tot compre-  
 hendit Majestates, quot Principes: unus au-  
 tem Imperator comprehendit omnes, iisque  
 imperat cum potestate sibi cœlitus data. Imò  
 Augustior inde redditur Monarchia Cæsarum,  
 quæ tot Monarchis cum dignitate præest. Ser-  
 vis imperant cæteri Reges, Imperator Regibus.  
 Non depressio hæc, sed exaltatio est. Caro-  
 lus V. dicere solitus: Regem Hispaniarum esse  
 Regem hominum: Regem Galliæ, Aſinorum;  
 Regem Britanniæ, Diabolorum; se verò solum  
 esse Regem Regum: quot enim in Germania  
 sunt Principes, tot videntur esse Reges ratione  
 suarum ditionum. Hinc duplicem quæſtionem  
 movent Politici: an videlicet Imperium Occi-  
 dentis sit Polyarchicum: & an jus Majestatis  
 competat Imperio, vel Imperatori, in sensu di-  
 viso, vel unito? utrâque cohæret quæſtio, &

una pendet ex alia: utramque deinceps hinc inde expediemus. Sanè Majestatem penes Imperatorem esse, ipsum nomen, ipsa loquendi, scribendi, imperandisque ratio luculenter comprobatur. Illius quippe nomen supremum Dominium denotat. Imperator **Mundi Dominus** passim in legibus dicitur, & talis apud gentes habetur. Ejus scribendi, loquendi, imperandisque ratio aliter non incipit, quàm **GRATIÀ DEI**; nec terminatur aliter, quàm ex plenitudine Potestatis.

Quemadmodum etiam nihil decedit Majestati, quòd Electores, Ordinum nomine, Cæsarem constituent. Vix enim credam Constituentem semper constituto majorem esse, neque enim Capitulares sunt supra Episcopum, neque Cardinales supra Pontificem, quantumvis hunc isti, & illum illi constituent. Et frustra hìc insurgit Limneus dicens: In Imperio nostro constat Imperatori aliam potestatem, vel majorem non competere, quàm qualem, ubi eligitur, nomine Majestatis realis accepit. Supponit enim duas esse Majestates, realem & personalem (ut Libri hujus parte 1. c. 3, exposuimus)

mus) illam in statibus Imperij, hanc in Imperatore.

Unde autem hoc constat? reponit Hennigius. Constat potius universis, Imperatorem talem accipere potestatem, qualem ei DEUS dat: Electores tantum concurrere tanquam instrumentum eligendo subjectum tale, cui à DEO Imperium concedendum est. Accipit enim Imperator majorem potestatem, quàm ipsi habuerunt Electores: Electoribus quippe in cæteros Status & Principes nihil Imperij, nihil Juris est; Imperatori autem omnind.

9. Non diffiteor quidem moderno ævo Imperatorem Statibus Imperij, actorum, agendorumvè, rationem reddere; non coactivè tamen, sed liberè, ex confidentia nimirum boni Regiminis. Ejusmodi integritas nihil derogat Majestati, neque idè Jus summi Principis labefactabit quispiam, si quæ pollicitus est, à se observata remonstraverit. An idè Tutor pupillo inferior, si tutelæ administratæ rationem reddat?

Quòd verò primis, & posterioribus sæculis degradati fuerint ab Ordinibus aliqui Cæsares Henricus IV., Adolphus I. Wenceslaus, &c.



& quodd hæc degradatio pœnalis esse videatur, ferriq; solita in personas tantum indignas, non verò Majestaticas; nihil planè infert dedecoris Potestati Imperatoriæ. Quis enim mihi affirmaverit inde Pontifices degradatis aliquibus; aut Reges Franciæ, aliquibus Solio dejectis, perdidisse Jura Majestatis; aut Imperij Ordines, inde Superiores existimari ipso Imperatore? præsertim verò, quod ejusmodi exempla sæpè perperam, sæpius absque causa, nunquam fermè legitimo titulo facta. Quid enim Statibus Imperij Juris in Imperatorem suum? quid Electoribus, postquam functi sunt officio suo? quid subditis denique in Regem suum & Cæsarem? Unctus est: DEI Vicarius est: Ordinatione divinâ omnis ei Potestas data: huic resistere contra DEUM est. Malè si agant Principes; hos magis ferre oportet, quàm tollere: quos aliàs citra prævaricationem legis divinæ, & Juris gentium, pœnalibus legibus emendare non datur. Summa potestas à nemine judicanda, nec condemnanda. Dominium semel translatum revocari non potest, nec debet. Si inutilis Imperator, si perniciosus? tutius, salubriusque erit coadjutorem adjungere, quàm unctum, &

Christum Domini deponere. Depositio hæc magis livorem, quàm justitiam sapit: contumeliam potius sacratæ personæ, quàm Imperij bonum intendit. Cum primum nomen Augusti accipit, tanquam præsens & corporalis DEUS venerandus est ait Vegetius: & ego cū hoc, constanter assevero: Hoc ipso, quo quis eligitur, & ungitur in Cæsarem, mox ordinatione divinâ, omnis potestas confertur in ipsum. Quem igitur creare libertatis fuit, creatum ferre necesse sit. Sera hîc omnis pœnitentia; ut per irrisum exprobravit Papa Sixtus V. Cardinalibus, suis in electione fautoribus.

10. Leges quidem fundamentales Imperij, quales sunt aurea Bulla, Capitulationes Cæsarium, recessus item Universales, &c. (sine derogatione attamen Imperatoris Majestatis, quam nonnulli cum Bodino & Hypolitho nimium dilacerant, vel planè non esse exoptant) etiam Ordinibus Imperij, & quoad res Imperij magnam attribuunt potestatem; licèt non absolutam per se, sed originaliter ab ipso Imperatore,

tore, velut fonte omnium Potestatum promanantam, & nunc cum ipso Imperatore, & Ordinibus, in unum videlicet corpus coalitam & conjunctam; cā ratione, ut unam cum alia exæquent, & unum Majestatis dimidium Cæsari; alterum Imperij Ordinibus concedant.

II. Verū præfatam exæquationem Potestatum communiter adstruunt illi, quibus Austriaca Domus vel in odio, vel in metu est. Sub primis, & medijs Imperatoribus de hac exæquatione nec audiebatur, nec quidquam sciebatur; posteaquam verò sub Carolo V. & tribus Ferdinandis, Hæresis in Imperio invaluisset, primò & sensim cæpit hoc commentum exæquationis potestatum, ut Austriacis vires demeret, in lucem prodire, seditioso magis, quàm sincero calamo. Limneus se in omnem partem versat, & distinctionibus planè coactis, & violentis colorat suam opinionem. Miltonius verò fermè execrandus, qui jam pridem patrocinium suscepit Angliæ Regicidij, & inter cætera protervè asserit: Gravius esse Rempublicam lædere, quàm legitimum ejus Dominum tollere. Incendiariæ istæ voces sunt, & in  
 quæ.

quævis atrocità faciles! Inseparabilem causam, ajo, Reipublicæ & legitimi Domini: hic per illam, & illa per hunc toties, quoties læditur. Quantam post Regicidium sub Cromwello tulerit Anglia Tyrannidem, & quàm citò, quàmque enixè suspiraverit rursus, imò in Regnum vocaverit, Soliòque avito imposuerit Legitimum suum Dominum, cum execratione publica nefandi Regicidij, palàm, & in comperto habemus. Adeo nulla ex patrocínio sceleris accessit Miltonio scripti gloria.

At verò concessâ illâ exæquatione potestatum, Imperatoris, & Ordinum Imperij, necesse est, Ordines tam Imperantes, quàm obsequentes esse: Nemo autem sibi imperare & obsequi dicitur. Tolle Ordines: & quis alius Imperatori parebit? at si parere tenentur, quomodo Imperare dici possunt: ut vel inde pateat excogitatum hoc esse commentum exæquationis Potestatum, de qua prioribus sæculis non auditum, sed novissimè inventum, in gravissimum dedecus omnium Regnantium.

Verùm Linneus dicit: hoc abstractivè tantum, & secundum Theoriam explicari: traditiones, quæ in scholis pro veris habentur, usui,

& praxi communi minùs convenire. Ego nego hunc usum fuisse, praximque in Imperio veterem: Nova hæc sunt, quæ nulla vetus memorat historia, sed livor comminiscitur adversùs Austriacorum tantùm Cæsarum optimam gentem.

Multò veriùs rem illustravit Henricus Hennigius in observationibus suis in Grotium de Jure belli & Pacis; & ego adstipulor veritati. Non propter exæquatam potestatem, quæ in Ordinibus respectu Imperatoris nulla est, sed propterea conjungi Imperatorem & Imperium, quia (ait citatus Author) vi capitulationis contrahit Cæsar cum Ordinibus, quodd eos, si de publicis rebus, quæ paulò majoris momenti sunt, deliberandum erit, in consilium tracturus, eorùmque suffragia è re communi auditurus sit. Quare quidquid ijs consulentibus, & suffragantibus decernitur, id respectu etiam Ordinum, quasi ab his decretum esse, censi potest; ipsa tamen summa Potestas manet Imperatori integra. Ubi autem Imperatoris nomine omisso, sola Imperij mentio fit, ibi hoc ipso Imperium Imperatorem denotat. Quemadmodùm, qui antiquis temporibus Imperium dixit, Principem

cipē ejus nominavit. Quippe ratio certissima est; Nam Imperium totā suā latitudine Imperantes atque obsequentes denotat: ab Imperantibus actiones summæ potestatis dependent, ad quas se obsequentes formant, & dirigunt. Si Ordines ipsi obsequentes sunt (ut verū est) quomodo esse possunt Imperantes? aut si Imperantes ipsi sunt, quis ipsis parebit alius in Imperio, cum nemo alius constituat Imperium, quàm Imperator & Ordines; ille, ut superior; hi, ut Inferiores. Ideo si Imperium aliquid fuisse dicitur, intelligi nemo alius potest, quàm ille, qui agendi potestatem habet, id est, Imperator, non subditi: ad hos enim spectat obsequium, & executio voluntatis Imperantis.

12. Alij verò paulò modestiores sunt Publicistæ, qui potestatem Imperatoris & Ordinum Imperij non simpliciter exæquant, sed præeminentiam tamen aliquam Imperatori præ Ordinibus concedunt, ajuntque: Tantum posse Imperatorem in Imperio, licèt eminentius: quantum omnes alios Status simul acceptos, licèt remissiùs. Ex lege nimirum Imperij fundamentali, quâ sese

Imperator, & Status Imperij mutud in causis publicis, & universum Imperium concernentibus, in vim contractûs obligant.

Ab exæquata enim verò hâc utriusque potestate remanet nihilominus Imperatori sua præ-eminentia specialis, cujus non solum consensu, vel dissensu, Ordinum placita concluduntur, vel suspenduntur; sed etiam auctoritate illius nititur supremum Imperij Dicasterium, ejusq; inibi Judex & Præsides, imò totum Spirense Camerale judicium; sicut & Imperio: Aulicum (quod cum illo repræsentativè unum est, citra aliud potestatis discrimen, quàm *ut præventioni detur locus*) à Cæsare tantum constituitur.

Sunt & alia splendidissima Majestatis Jura, quibus præfulget omnibus Statibus Imperij simul sumptis. Primus enim & Summus in Orbe censetur, & respicitur ab ipsis Barbaris, velut supremum caput Christianitatis. Omnes Principes Germaniæ, & multi Italiæ, & aliqui planè coronati, sunt Cæsaris ligij, Vasalli & fiduciarij. Huic jurant fidelitatem, & fiduciarie obsequia præstare tenentur.

Ab hoc uno dependent investituræ feodorum majorum, delegatio minorum, creatio Re-

gum Principumque &c. privilegia item, & immunitates Urbium, Academiarum &c. Ejus nomine (non verò Ordinum) causæ Imperij Politicæ, Civiles, militares; instructiones item, Pragmaticæ, assignationes, degradationes, non solum in Camera Imperij, sed ubique in omnibus majoribus Dicasterijs concluduntur, ac sigillo Cæsareo muniuntur. Ipsa Comitia imperat Cæsar, & in conventibus Principum per se, vel ordinariè per Plenipotentiarium suum præfidet. Omnia feuda sacri Imperij recognoscuntur ab Imperatore, non à Statibus: ac ipsa, quæ Status ipsi, nunc & olim obtinuere privilegia, ab Imperatore profluxisse sciuntur. In Consultationibus Comitialibus, nihil profertur à Statibus despoticum, nihil Imperativum, omnia cum reverentia, submissione, & ex fine boni publici. Et hæc ipsa Comitiorum, & consultandi Authoritas spontè, atque è publica salute, concessa est Statibus ab Imperatore, ut nimirum consultius, securius, & efficacius statueretur in rem communem, quod planè nihil officit Cæsareæ potestati, aut dignitati. Nam (ut supra meminimus pluries) primi olim Monarchæ non quævis proprio egere consilio. Ne dicam de



Affyrijs, Medis, Persis, Græcis, récentius est de Romanis. Augustus quippe & Tiberius, licèt authoritatis suæ avidissimi, tamen ut testatur Dion Cassius lib. 53. multa publicè deliberanda proposuère, adhortantes, ut suum sibi consilium quique integrè aperirent: si quid rectius invenirent, sibi ostenderent libertate illis omni concessâ. Eorúmque sæpè sententijs moti, quædam retractavère. De nonnullis ad universum statum referebant. Et *talis erat*, ait Dion Cassius, *Augusto generalis Imperij administrandi ratio.*

13. Ex prælibatis, quis non videat, Imperium tam vetus, quàm modernum Germaniæ, principaliter ex Monarchia, & ex Aristocratia vix sensibilibiter constare; eâ videlicet ratione, ut, eùm in Imperio Monarchia principalissimè præpolleat, quemadmodum præfulget Imperator Ordinibus, parsque dignior trahat minùs dignam, & id magis, quod obtinet, spectari soleat; illud exinde merè, verèque Monarchicum, non mixtum, compelliari queat; nequaquam autem Polyarchicum, licèt quibusdam polyarchicis legibus, quas celebres illi articuli à Carolo V. & sequentibus Imperatoribus ultroneè, liberèque,

cum

cum è Republica illis ita visum fuerit, suscepti, comprehendunt, non tam stringatur, quàm dirigatur. Illi verò præter particulares, & accidentales quasdam provisiones, in substantia potissimum in hoc consistunt; ut in capitulationem, sive legem Pragmaticam Imperij juret Cæsar toti Imperio: ut is absque consilio Electorum nec leges novas condat; nec vectigalia, aut nova tributa imperet; nec bellum, nec pacem, nec fœdus ullum, quod Imperium stringeret, cum externis potentijs fanciat; neque res, bona, & immunitates Imperij distrahat, aut in pignus objiciat, &c. His alia superadditavorum illorum, qui affectant Imperium, nec tamen assequuntur; ideòque ne planè ringantur, evomunt virus suum, suggerendo quædam capitulationi, quibus vel abstertere satagunt Austriacos à capeffendo Imperio, vel illud cum Boddino evincere: *Stante capitulatione, & quidem juratâ, Cæsaris Majestatem legibus solutam non esse, adeòque nullam: Jus Belli, pacis, fœderum, tributorum, Comitiorum, quæ anima sunt Majestatis absolutæ, reservari Ordinum arbitrio; exinde præternudum nomen remanere Cæsari nihil, Imperio autem omnem, ipsâque realem*

*Majestatem.* Hæc mens quidem est Bodini Scriptoris Gallici, qui autem in rebus Germaniæ habetur pro falsario, fabulatore, adulatore, & commodo Patriæ suæ: Viro planè mendace, ut notat Speidelius ex Epistola Griphiandri, tractatu de Insul.

Quodd autem hæc inanis sit contumelia, patet non solum ex eo, quodd omnium Politicorum calculo Imperatori Majestas, & potestas sit sine pari, & quæcumque alia in terris maxima, illi secunda est: verum etiam, quodd illa jam toties decantata capitulatio aliud non sit, quàm ipsum officium Imperatoris. An autem officium Cæsaris indignum, turpe? an si illud in bonum commune gestum, ideo indignus ille? pudeat efrontem Virum? Capitulatio nihil indignum Majestate Cæsaris comprehendere potest: vel si comprehendat? etiamsi millies jurata fuerit, eâ non tenebitur. Majestas quidem omnis soluta est legibus: pœnalibus videlicet, & popularibus, non verò divinis, & directivis illis, quæ promonent incolumitatem publicam, sũntque bases & columnæ Regnorum. Ad has non magis, nec minus tenetur Cæsar, quàm quisque alius absolutus Princeps, & Imperans. Habent quippè  
Regna

Regna omnia certas leges, ac Methodum municipalem tam imperandi, quàm obtemperandi. Perlustra historias à Romulo ipso; peragra Regna, & Imperia omnia: ubique Politiam habebis obviam, aliam hìc, aliam ibi, omnem ex more patriæ, gentis, publicæque utilitatis, aut necessitatis. Vetus illud: *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas*; minimè Regium est, sed despoticum; fortè à Gallis revocatum ex Asia in Europam.

14. Nec obstat, quòd ex lege Regia, sive Bulla aurea, Imperator, cùm inauguratur, prælegente formulam Jurisjurandi Colonienfè Antiftite, juret Statibus Imperij. Antiquâ id lege factum à Carolo M. usque hæc tempora. Neque id solvit vim Principatûs, sed stabilit: cùm jam in consuetudinem abjerit in Regnis omnibus (præter Barbara aliqua & Tyrannica) obstrictio nimirum Principum jurata. Nihil Majestati detrahit interposita fides salutis publicæ conservandæ. Jurant invicem Reges in pactum, & foedus, absque ullo Regij Imperij nævo. Jurant Reges Galli suis Regnicolis, Bodino teste libro 1. cap. 8., nec inde eorum lilia

absolutæ Majestatis labefactantur. Jurant Hispani, Lusitani, Sveci, sine controversia Reges absoluti, suis statibus; nec idè tamen prostituunt Majestatem suam.

15. Ex alia quoque causa Imperatoriam auctoritatem non minuunt Comitia Ordinum, eorùmque deliberationes, recessus, & ejusmodi, de quibus Imperator cum Statibus suis ex antiqua Imperij consuetudine deliberat. Hæc enim pertinent ad communem causam, quam aliunde Imperator ex munere curare, promovere, dirigere, stabilire debet. Nihil hîc Status agunt, aut in commune consulunt, quod à ratificatione non pendet Cæsaris. Magna negotia, qualia sunt belli, pacis, fœderum &c. magnis adiutoribus opus habent. Non sufficit unus omnibus. In ejusmodi negotijs Ordines Imperij adiutores sunt Imperatoris, non rectores. Illi expendunt rerum causas, deliberant, sententias dicunt, sed Cæsar illas reuit, aut acceptat; confirmat, aut rejicit; definit, aut suspendit, prout videtur è Republicâ. Director & caput ille est consiliorum, Arbiter sententiarum, & unus omnium Princeps supremus. Quid plura? inspiciamus Galliam, Hispaniam, Daniam, Sveciam

ciam ( de quorum Regibus absolutis nemo dubitat ) & alia quoque Christianæ Europæ Regna peruestigemus : ubique cautum comperiemus :

**Ut cōmuni consilio statuatur, quod ad communem salutem pertinet :**

Ad communem salutem verò apprimè spectat belli suscipiendi, pacisquē sancientiæ, aut transigendorum fœderum ratio. Cujus Cominæus libro 10. adduxit verissimam causam inquiens : cū subditi, Equestris imprimis Ordinis homines, & Nobiles Viri, non modò facultates omnes, verū etiam vitam, & sangvinem in bella profundant, æquissimum profectò erit ut priusquàm suscipiatur bellum, ejus rei consilia cum ipsis cōmunicentur.

Quod ipsum fecisse Franciscum I. testatur Galliæ scriptor Bodinus lib. 6. de Rep. cap. 6. ita scribens : Franciscus major in Curiam Parisiorum venit ( id est Parlamentum ) senatū habuit, & uniuscujusque sententiam exquisivit : pacis conditiones cum Carolo Imperatore ratas haberet, nec ne? Eodem teste Bodino lib. 1. c. 8. Ludovicus XI. in lege, quam de Equestri ordine tulit, sanxit : ne Regi bellum indicere, aut

quid aliud, quod ad Reipublicæ summam pertineat, sine Equestris collegij decreto suscipere liceret.

16. Sanè & Thuani, & Gramondi amplissimorum virorum testimonio, olim quæque majora Regni negotia referebantur ad publicos conventus Ordinum. Hi quoniam aboliti sunt artibus Richelij & Mazarini; aliquod adhuc eorum vestigium manet in Parlamento Parisiensi, quod omnium aliorum in diversis Regionibus Parlamentorum, quorum universim sex sunt, amplissimum habetur. Huc in Regni negotijs recurri solitum, quod, si intermittatur, proximum erit præcipitium Galliæ libertatis. Propterea Verdunus Præses nomine Parlamenti in faciem Ludovico XIII., qui exitiosa quædam tributa, résque insolitas Parlamenti autoritate confirmare gestiebat, nec tamen obtinebat, dicere ausus est: coævame esse Regno Parlamenti de edictis cognitionem: probè ab illo rejici, quæ injusta videntur. Multoties restitutas res Galliæ sapientissimis Parlamenti consilijs. Carolo IX. regnante latam legem, quâ vocatis Principibus, & Regni Galliçi Primoribus in arctiore Regis concilio cautum, si quæ dein ad rem Galliæ

liæ spectantia proponi opus, ut non alibi proponerentur, quàm in Parlamento, provisumque dein in Parlamento, cui à mense Julio nomē, **Ne quid detrimenti Respublica caperet.** Et productis alijs quàm plurimis exemplis, conclusit tandem Verdunus suum sermonem ad os Regis inquam: **Ergo de Edictis cognitio Parliamentis debita est.**

Hoc ipsum agitur in Imperio, citra læsionem sicut Gallicæ, ita Cæsareæ Monarchiæ. Omnia, quæ ad pacis bellique rationem spectant, Ordines cognoscunt quidem, deliberant, suffragantur; sed Imperatoria Majestas præsidet, dirigit, concludit, indicit, Jubet, promulgat. Impudentia quædam est existimare bona consilia Majestati Regiæ obesse. Imò oportet Majestatem Regnantis non minùs bonis consilijs provissam, quàm armis instructam esse.

17. Quòd verò res Imperij, ( ut inter cætera obijciunt Aristocratici ) Cæsar abalienare, nec in hypothecam dare valeat, idem est, quàm quòd malè agere non debeat. Omnium gentium nunc & olim hic mos est, ut se dividi non patiatur corpus Reipublicæ;  
résque



resque Coronæ, integræ potius maneant, & auctæ semper magis, quàm imminutæ. Maximum præjudicium experti sunt posteri Cæsares, quorum Regalia, & Imperatoriæ Dignitati adnexa, præsertim in partibus Italiæ, distraxêre Antecessores. Ided ne res in ultroneû pessimûmque exemplum abiret amplius; ipsi posteriores Imperatores intercedentibus Ordinibus hanc sibi dixerunt legem, de non alienando res Imperij.

18. Administratio siquidem Reipublicæ ad Principes, Regesque pertinet, sed Res ipsa Publica ad omnes. In Gallia certè (cur non in Imperio?) Parliamentorû incumbit muneri Regij Patrimonij (Domanium vulgò dicunt) conservatio: ut aliquando palàm in comitijs Rothomagi contestatus est Lutetiani Parlamenti ablegatus. Lege quippe Regiæ cavetur, ne Reges Galliæ ullam Coronæ suæ partem sine Comitiorum, aut Parlamenti consilio distrahere valeant. Cui cum Carolus VI. semel contravenisset, partemque alicujus Provinciæ cessisset Comiti S. Pauli; illicò Senatus Parisiensis pro vetere Parliamentorum jure inter

tercessit, ac pronuntiavit Regij Domainij nullam subsistere cessionem, quod ad acta deinde relatum fuit.

19. Franciscus I. cùm in captivitate Madritana Carolo V. spondisset Burgundiam, cessissetq; clientelam Flandriæ, ut nulla imposterum esset, atque omne jus in Italiæ Status: domum redux respondit, jurejurando se prohiberi, quo in unctiōe Regia sanciverat, se absque assensu Comitiorum nec Burgundiam, nec ullum oppidũ extraditurum: Comitiorum autem Patres, Proceresque uno ore, & corde dixere: Regẽ nullum à Francia membrũ divellere posse. Ejusmodi tenax cautela magis reddit conspicuam Majestatem Imperantis, quàm illa Caroli IV. Cæsaris infamis liberalitas, vel magis ingluvies, qui unã carnã absumpsit Regnum Arelatense, illudq; in hospitalitatis mercedem Carolo VI. contulit, mutilatõ Imperiõ in nobilissima illius parte. Ex qua causa necesse fuit providere Reipublicæ, & legum fræno continere immodicè Imperantes. Nam boni Principes in salutem Reipublicæ conservandam sibi quoque & successoribus leges dicunt: sciunt etenim

collapsâ, vel titubante Republicâ Imperantis quoque Majestatem collabi, vel titubare. Caput etiam in cæteris membris dolet.

20. Ex dictis hanc eruimus veritatem : Imperatorem, quamvis præcipua, Ordinum consensu, expediat ; Majestatem nihilominus Monarchæ solùm retinere. Comitiam namque Ordinum, ut ex cujusque gentis liquet historia, sunt usu communia ; quorum frequentatio, sive sequela nihil minuit de Majestate Regum. Ut Tacitus libro 3. de Servio Tulo dixit : Sanctorem legum fuisse, quæis etiam Reges obtemperent. Profectò Monarchia sat in illo comparet, si Cæsar ea, quæ in Comitij communi consilio peraguntur, solus decernat, jubeatq; quemadmodû indicant voces illæ : Ad Mandatû Domini Regis in consilio Imperij. Deinde quid amplius esse potest, quàm in Republica, summâ pollere potestate, & aliud supra se Politicum Imperium non habere. Paucis conficio : Imperium,

post-

postquã electus est, Imperatoris est, & qui virtute potestatis à DEO sibi concessæ imperat, is suã virtute imperat, non alienã; licet hãc utatur tanquam adiutorio. Non sufficit omnibus, unus; licet potestate valeat, viribus haud valebit.

21. At obstrepit Hypolitus solitã in Cæsares (præcipuè Austriacos) procacitate. Si de statu, (ait iste) vel malè administrato Imperio ratio exigatur, & de Imperatore deponendo agatur, Palatinus Judex competens esse videtur. Somniat hoc Hypolitus, non probat: ex nullã id constat lege fundamentali, nullã nititur auctoritate, nullô exemplô; sed hominis in Austriam pervicacis proterviã. Nam in degradatione Wenceslai, Adolphi, aliorumque paucorum infelicium Cæsarum nil amplius egit, nullo majore jure aut suffragio prævaluit Palatinus, quam cæteri Electores: imò omnia Antistitis Moguntini auctoritate, propositione, & desuper unitis Electorum consilijs acta, ventilata, & publicata legimus apud Cranzium, Cuspinianum, & alios.

22. Non tamen refragamur aliquod Palatino judicium; sed eo pacto, ut secundum Aureæ Bullæ textum Judicium illud non alibi,

præterquam in Imperiali curia, ubi Imperator, seu Romanorum Rex præfens extiterit, exercere possit. Ex quibus rectè perpensis verbis, judiciũ hoc, cum in curia Cæsaris à Palatino fieri debeat, videtur vel ex delegatione, vel ex arbitrio esse magis Cæsaris, quàm ex legis necessitate. Palatinus non est Judex Cæsaris, quia Cæsaris, sed quia Cæsaris permittentis; in ijs videlicet, ubi Imperator impetitur, aut convenitur, non ut Imperator, sed ut privatus; si ex contractu, vel quasi obligatus videatur. Nihil enim obstat Majestati Regnantis, quin actuum suorum sibi Judicem constituat. Sic Imperans sibi imperat, & tanquam agens in seipsum agit. Aliud quippe est, invitum agere ex alterius arbitrio; aliud, permittere se alterius arbitrio. Ita agendo à nullo pendet, sed ex se agit. Neque facilè Regnum aliquod in Europa invenies, ubi Princeps supremus etiam inter suos Vasallos non proprium sortiatur forum. Parlamentum Parisiense fundatam habet potestatem judicandi Regem activè, & passivè; non quidem quoad Regias functiones, sed quoad privatos contractus.

Regni

Regni Proceres causas cognoscunt Regum Sveciæ, & Daniæ. Poloniæ Regem judicant Regni Starostæ, & Ordines. Non propterea tamen tales Judices ullatenus Majestatem, aut Imperium in Reges consequuntur, quia non ex se, sed vel ex more antiquo, vel lege Regni, vel ex ipsius, in quem agunt, communicata potestate.

23. Aberrant quoque longè illi, qui existimant, quòd Status Imperij à Cæsare judicialiter, vel extrajudicialiter gravati, possint ab hoc ad Palatinum provocare, & appellare. Præpostera foret hæc judicandi ratio; descensus, non ascensus: perverteretur omnis ordo, ubi à Superiore licebit ad inferiorem recurrere. Ad Supremum tantùm datur provocatio extrema. Bulla aurea non loquitur de causis litigiosis, quas Cæsar jam definivit, sed pro quibus ipse im-

Lib. 5.  
Auct.  
hist.

etiam Imperij Principibus usitatū ) de non  
 avocandis ab immediato Judice subditis  
 ediderit, cui autem contravenerat Carolus IV.  
 in causa Comitis Sponhaimb, quem Imperiali  
 sententiâ jam condemnaverat in præjudicium  
 Palatini, qui erat immediatus judex Comitis.  
 Visô autem privilegiô retractavit Cæsar sen-  
 tentiam suam, & causam remisit ad immedia-  
 tum Judicem salvâ appellatione partium ad so-  
 lium Cæsaris. De his satis

24. Jam ad Arcanum aliud Imperij, & lon-  
 gè quidem majus accingor, videlicet **Electio-  
 nem, vel Successionem Cæsaris.** Va-  
 riatum in hâc sæpè: à Carolo M. usque ejusdem  
 stirpis extinctionem videbatur Imperium  
**successivum:** licèt tamen semper requireba-  
 tur Principum suffragatio. Adeo Imperium  
 hoc Occidentis, cum primùm cæptum est, li-  
 bertatem suam ita coluit, ut non, nisi acceptos  
 haberet Cæsares.

25. Post excessum Carolinæ stirpis reassum-  
 ptum fuit jus strictioris electionis, quàm olim.  
 Verùm rursus Anno 1197. **Successio** placuit

Hen.

Henrico VI. & quinquaginta duobus Imperij Principibus. Isti enim cum expertò haberent, propter mutationes frequentes Cæsarum, multa Imperium perpeffum mala: & priusquam suffragia Principum in persona Imperatoris convenirent, similtates, odia & factiones oriri, electionem protrahi, animos exacerbari, hostilitates conscisci, ac inde ipsum Imperium periclitari: salubrius in rem arbitrati sunt, ut deinceps sublatâ Electione successio rursus, qualis erat tempore Caroli Magni, stabiliretur in Imperio: ita ut qui propinquior Imperatori, idemque ejus successor esset, consentiente tamen in ejus personam populo.

26. Quod posteriore usu iterum immutatum, & quod ante centum & aliquot annos prius in comitijs Wormatiensibus, Anno scilicet 1077. lege Regiâ declaratû fuerat; rursus revocatû, & inter arcana Imperij habitû: **Ut Regia Potestas nulli per hæreditatem, sicut fuerat antè consuetudo, cederet: sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset, per electionem spontaneam magis, quam**



quàm successione filius Rex proveniret: si verò non esset dignus filius, vel si nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus.

27. Hæc constitutio in tabulas redacta, facto ipso jam olim viguit, tempore nimirum Caroli Magni, ut Theganus luculenter in libro de gestis Ludovici Imperatoris c. 6. hiscè scribit: Carolus Imperator vocavit filium suum Ludovicum cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, iisque loco positis, grande habuit colloquium cum eis Aquisgrani in palatio, pacificè, & honestè commonens, ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes, à maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est Imperatoris, filio suo Ludovico impertiret. Ita Theganus. Prosequitur autem Eginhardus Caroli M. Cancellarius, & gener: placuit hoc consilium omnibus, qui aderant, magno cum favore: nam divinitus Carolo propter Regni utilitatem videbatur inspiratum. *Habet enim præcipuam Majestatis reverentiã illa certis Familijs, & Stirpibus divinitus*

*nitus permiffa gubernatio, meritorumque Principium per feriem propagata continuatio.*

28. Aletrum Arcanum non pridem à Proteftantibus Principibus fuggeftum in coronatione Ferdinandi III. Ne supremus Imperij Magiftratus impoftero in una Familia diù continuetur, & non plures, quàm tres, fucceffivè Reges ex illa fufcipiantur. Ut videlicet intemerata maneret in perpetua tempora Imperatoris eligendi libertas, nevé amplius Imperium velut ufucaptum videretur. Primum arcanum fuâ ratione nititur, & tolerabile eft: alterum excogitavit livor, & Franciæ in Auftriacos odium.

29. Interim velut compertum habemus Caroli M. pofteros regnâffe in Occidentis Imperio annos centum & decem: Saxonix Duces fupra centum; Franconiæ centum & duos; Sveviæ fex fupra centum: & tamen femper manfit libera Cæfaris electio, libera Electorum fuffragia, nec ideo unquam ceffit in dominatum Germaniæ libertas. Auftriacorum sæcula capere à Rudolpho I. Habfpurgico: paululum interrupta ab Adolpho Naffovio; fed rurfus continuata

nuata per Albertum I. Illo enim ab Electoribus ob Venerem, & perjuriam, fascibus Imperialibus spoliato, in Solum posuere Albertum primum Austriacum, bis Cæsarem, quia non solum in Cæsarem (serâ Electorum pœnitentiâ) creatus, sed ipsum Adolphum ex-Cæsarem æmulum, ferro cæcidit, Imperiûmque sibi Electorum suffragijs jam prius, uno obnitente Moguntino, debitum, vindicavit. A præmature Alberti triumphatoris excessu Imperium in varias factiones divisum, successis aliquot Imperatoribus, rursus ad Austriacos redijt, & ab Alberto II. usq; hæc tempora tribus fermè sæculis Aquila Romana inter Alaudas Austriæ incolumis perstitit. Nemo ex Austriacis intrusus, omnes vocati, liberè electi, coævâ sibi Germaniæ libertate, sedere ad clavum Imperij veri Cæsares. Nequaquam succumbit necessitati electio, quâ publicæ utilitatis ratio exigit. Quod Piastorum, quod Jagelonum Familia successivè rexit Poloniam, non hæc ideo Regnum electivum esse desijt. Hungaria, & Bohemia, olim Regna libera, nihilominus deferebant sceptrum uni in feros usque nepotes, ut constat ex Annalibus utriusque gentis.

30. Obstabat fortè hìc Apostolica Authoritas in cap. Venerabile. extra. de elect. ? Emanavit capitulum hoc, cùm in Imperatorem legeretur Philippus: textus ita perhibet: Si prædictus Dux Philippus Imperium obtineat, libertas in electione peribit, & tolletur cæteris fiducia obtinendi Imperij. Nam si prout olim Fridericus Conrado, vel Henricus postmodum Friderico, sic nunc Philippus Henrico (omnes ex Ducali Svevorum familia) succedat, videbitur Imperium non electione, sed successione deberi: cùm non nisi de domo Ducum Sveviæ videatur aliquis ad Imperium assumendus. Præcautio erat hæc Pontificum Innocentij & Cælestini, qui canonem hunc fabricârunt in promeritum odium stirpis Friderici Ænobarbi, ex qua furculus erat Philippus. Improperabant enim illi Henrici fratris, & Patris causatas Ecclesiæ molestias, contra quas tuebatur Philippus se innocentiam suam, nolens ferre nec iniquitatem Patris, nec fratris. Tandem Bona Causa triumphum egit, & non obstante canone post obitum Cælestini, datâ insuper filiâ Mariâ in uxorem Richardo, fratris Pontificis Innocentij filio, obtinuit, tenuitque Imperium. Etenim

non perit in successione libertas, si de novo semper eligitur successor.

31. Memorabile, & appositum dictum fuit Moguntini Archipræsulis, qui priori sæculo Regi Matthiæ Austriaco jam jam coronando, & ad Altare prius præstito juramento Imperatoribus solito, sublime pegma conscendenti dixit: Sta, & principem locum tene, non hæreditario jure, sed suffragio Septem-Virorum tibi attributum. Præcavit optimus Antistes, & contrarian-  
tium os obturavit, ne videlicet Successio putaretur, ubi Matthias, Maximiliani Imperatoris filius, & Rudolphi. II. frater ex eadem domo ad Imperij gubernacula eligeretur. Jus enim omne successionis eliditur per Electorum libera suffragia. Qui eligitur, etiam succedit, sed non successionis jure; quod omnem electionem excludit. Nascitur successor; quæritur eligendus. Quid indè libertatis deperdes, si ex eodem horto sæpius plantam legas, quæ tuæ prodest Saluti. An ideo contagiosa illa domus, ex qua plures prodiere Heroës, plurimisque in salutem Germaniæ libertatis,

tatis, facti Cæsares. Vestigia terrent, exempla movent. Nondum vestigia Austriacorum ter-  
ruère Germaniam; sed exempla movère, ut  
in eâdem domo quærerent, invenirentque  
optimos Imperio successores.

32. Historica deinde veritate nitimur; & ex  
eâ arcanum hoc eruimus: Rarò in Impera-  
torum electionibus genus Antecesso-  
rum præteritum: & ubi hoc negle-  
ctum, semper in se mille calamitati-  
bus collisum fuit Imperium. Quid  
ætate illâ in Germania, & Italia calamitosius,  
quàm ubi post Francam, & Svevam extinctam  
stirpem Aquila Romana hinc inde in Fami-  
lias varias, Saxoniam, Neapolitanam, & Sicu-  
lam, Holandam, Castellanam, Anglam, Hab-  
spurgicam, Nassovicam, Lucelburgicam, Ba-  
varicam, Bohemicam, Moravicam, Pannonicâ  
vagabatur: donec in Austriaca tandem con-  
quiesceret, ibiq; sibi exædificaret nidum. Quàm  
gravia in visceribus Imperij bella, quanta inter  
Ordines tunc extitère dissidia: quàm impunè  
grassabantur latrocinia publica: quantæ suc-

cessère Imperij direptiones, abalienationes, feudorum mutilationes, & Anarchia magis, quàm vera gubernatio. Luget etiamnum attritas tunc vires suas Germania, aliquot deinceps sæculis vix reparatas. Mutilatum siquidem, & longè diversum, quàm sub primis erat Imperatoribus, videmus nunc Imperium: profanatum antiquum decus, & in exteros transmissa jura: divisam, quæ in uno erat, in multos potentiam: ademptum Imperatoribus patrimonium, unicâ nunc Austriacorum potentiâ suffultum, ejusque Regnorum & maximarum ditionum viribus sustentatum. Multum requirunt impensæ Imperatoriæ ad Augustale sceptrum cum decore sustentandum. Regnis hic opus est, & thesauris. Nihil inde libertatis decessit Imperio, quoddam Principes Electores tam ob evidentem utilitatem Imperij, quàm ad illud sustentandum magnarum virium & impensarum necessitatem, ne videlicet mille periculis rursus involueretur pax & salus publica, è re communi judicaverint, Austriacos iteratò ad clavum Imperij (suffragiorum tamen plenâ libertate) assumendos. Non deperditur voluntatis libertas; dum, quod melius est, illa amplectitur. Vana illa sunt

liberæ.

liberæ electionis encomia, ex quibus periclitari posset Respublica. Contra torrentem necessitatis publicæ, aliarumque emergentium causarum ire, magis vesanum, quàm liberum est. Electio libera, ut rationabilis esse mereatur, expendere debet præsentis rei commoda, & emolumenta, quæ inde Respublica capere potest: avertere deinde pericula, in quæ incidere primum foret: secus libertas illa imaginaria necessitate involuetur periclitandæ Reipublicæ. Rationi debet subjici electio: illi, si hanc subdideris, nunquam fraudabis libertatem.

33. Meminit adhuc Germania infausti illius inter-Regni post excessum Rudolphi Habsburgici, & neglecto Alberto, qui Rudolphi erat filius, suffectum Adolphum Nassovium. Hunc deinde (ut supra jam diximus) prælio vicit, suâq; manu ferijt Albertus, hæreditariæ successionis prætextu utens, ait Trithemius ad Annum 1292. Quem prætextum deinde sopivère capitulationes ab Austriacis susceptæ. Hinc ex arcano Ordinum Imperij: Hæreditariæ successionis metū capitulationes eximunt.

Nam inter fundamentales Germaniæ leges



recenset Münsterus, hanc fuisse, ut Cæsar se firmiter Imperio obligaret, ac moderationem certam Regiminis repromitteret, cum primùm ad rerum gubernacula acceptaretur. Hæc illa celebris est capitulatio, quæ infringit omnem successionis necessitatem: illa jus omne fundamentale Imperij comprehendit, & universos Ordines tantis communit libertatibus, ut nulla unquam Imperatoris potentia eis formidini esse valeat: quemadmodum vice versâ nisi accedat Imperatoris Authoritas, & instructa opibus, atque armis potentia, nunquam inter Status & Ordines Imperij, tot privilegijs, tantâque libertate luxuriantes magis, quàm provisos, constans manebit pax & tranquillitas. Hæc capitulationis columna sat sustentat libertatem Germaniæ, & convincit Austriacorum successionem minimè esse hæreditariam, sed spontaneam, liberam, & ab Electorum suffragantium arbitrio omnimodè dependentem.

or 34. Verùm hæc capitulatio decora sit Cæsari, tuta Ordinibus, clara intellectu, usu possibilis, & non Gallicis chymeris referta, ut cum sensu vidimus in capitulatione Leopoldi. Quid, obsecro, Gallis apud capitulationem, ut tantum

ex ea faceffant negotium? quid illis in rebus Imperij? fortè hoc, quodd tot Status & ditiones Imperij ufurpent, & aliud non intendant, quàm ut membra à capite dividant, divisúmque Imperium defolent? ut multoties fecêre. Quis illos constituit Germanicæ libertatis defenfores? corruptores potiùs, & raptores Provincia- rum. Experti hoc noftrò ævò acerbè queruntur Imperij Vafalli. Gallica denique ufurpatio & Tyrannis adhuc omnium oculis ita obverfatur, ut rectè rem perpendenti, quod Turcis animo eft in totam Christianitatem, hoc Gallis in Germaniam eſſe, liquidò exiſtimandum fit: & ego id cum gravi Viro exiſtimo.

35. Habent quidem etiam exteri Reges, quod loquantur in rebus Imperij, jurèque voti in Comitijſ ferendi reſpectu fuorum feudorum, quæ poſſident, fruuntur: ut Rex Hiſpaniæ propter Belgium; Sveciæ Rex propter Pomæraniam. Quod ipſum in non leve periculum cadit libertatis Germaniæ, ne præpotentes ejuſmodi Status ſenſim & per intervalla, ut erinaceus, ſpinaſ exerant, & varijs prætextibus (ut Galli ſpecie dependentiarum fecerunt) extendant Pomæria ſua, oppreſſis debilioribus ſtatibus,

ibique planè Regimen Monarchicum inve-  
hant. Unde Arcanum libertatis conservandæ  
subjungo.

36. Ne unquam extraneas Poten-  
tias in viscera sua ; aut inter Ordines  
adsciscat : sed magis studeat, ut do-  
mesticæ, & avitæ Imperij Familiæ  
moderata potestate evehantur. Irri-  
dent externi Reges Germaniæ libertatem, cum  
illius Provincias opprimunt. Optant nostra  
dissidia, ut nos debiliores & extenuatos inve-  
niant. Ulro offerunt auxilia, ut nostro pascan-  
tur pane & sanguine, sibi que hanc vel illam  
partem Germaniæ attribuant. In necem no-  
stram tulimus alienam opem.

37. Sed resilit ab his calamus, & rursus Ger-  
manicæ libertatis aliud statuit Arcanum : nimirum ;  
conservationem Domûs Austriacæ in  
Imperio. Germaniam hinc omnem conte-  
stor ! Quando unquam Augustissima hæc  
Domus insidiata est libertati Ordinum ? quàm  
unquam sibi arrogavit Imperij ditionem ? quàm  
moderatum ejus, in ipsis suis hæreditarijs stati-  
bus

bus (& inde multò magis in Imperio) Regimen? quanta confecit Bella pro libertate feudorum Germaniæ? quo amplexu excepit banitos & rebelles? quoties diffimulavit cum aliquibus Ordinibus, pessima quæque machinantibus? quoties paternè monuit, ut devij redirent ad meliorem frugem? quantas acerbitates tulit in capitulationibus, magis Germaniæ prospiciens, quàm sibi? quantos labores exantlata est pro Christianitate contra Turcas & Barbaros? quot patrimoniales thesauros profudit ad conservandum decus Imperij? quibus periculis exposuit sua propria Regna & ditiones? Encomiastem non quidem hïc, nec historicum ago, quia hujus Gentis encomia, & gloriosa facta exigunt volumina. Sed estnè quispiam, qui hæc negare, aut refellere audeat? Non est, mecastor: nisi quem livoris Dæmonium obsedit. Acta publica isthæc loquuntur; atque tot sæcula, quibus præ omnibus alijs Europæ Potentij hæc Domus digna habita in caput Imperij evehi, palàm contestantur.

38. Sed concedamus livori aliquid: extirpetur inveterata hæc Imperio Domus. Sed quid? hoc: si vincatur illa, externorum Domina-

tui cedit Imperium. Si vincat: idem libertatis periculū subibit Germania. Arcanum hoc irrefragabile rimentur Germaniæ Proceres: nos superfedemus.

39. Propugnabit Austria Majestatem suam usque ad extremum. Quantæ (DEUM immortalem) exindè Germaniæ imminebunt clades? quæ desolationes? incerto omnia sine. Nam ipsa externa auxilia, sine quibus Austriaci vinci non possunt, pessundabunt Germaniam, & pessundatam vel jure belli occupabunt, vel ut derelictam desolatamque usucapiant. Opitulatores quippe magis post victoriam insultant, quàm ipsi ante prælium hostes. Bellum Peleponnesiacum confecit Græcorum Respublicas, quas ex liberis subditas fecit Philippo Macedoni. Speculatur ab una parte Gallus, ab altera Svecus, uterque Philippo Macedoni par, si non major: uterque feret Germaniæ auxilia: sed præmium mercésque erit, vel in utrumque divisa, vel uni mancipata Germania. Frustra cum Hypolitho inhiant Ordines prædæ Austriacæ, fortè existimantes, quidd devictâ, aut extirpatâ Austriâ, tanta ejus Regna, totque Pro-

Provinciae accessuræ sint Imperio: minimè gentium. Quod Gallus rapiet, quod Svecus capiet, non vestræ erit, O mei vos Ordines! sed externæ Potentiæ augmentum. Vos autem ipsi Bellis hisce extenuati, cedere cogemini illis ipsis victoriâ vestrâ abutentibus in servitutem. Vestigia terreant tricennalis illius Belli in Imperio; quidquid ibi externi auxiliores Gallus & Svecus occupauère, omnindè connisi sunt, ut sibi retinerent, nec redderent Ordinibus. Illis optimæ mansêre Provinciæ; Sveco Pomærania, & Episcopatus Bremensis; Gallo tres Episcopatus, Tullensis, Metensis, & Verdunensis cum Brisacco: Ordinibus ærumnæ & calamitates, in hæc usque tempora nondum reparatæ: & nisi Austriaci tandem vicissent, nulla nunc amplius fuisset umbra, & species antiquæ Ordinum libertatis. Sanè Svecia, & Gallia tunc nihil passa, sola Germania omnium luit pœnas. Ipsa, arma in sua viscera movit, cùm Austriacis aduersaretur. Ipsa facta sedes Belli, ex penu sua enutrivit omnes, se autem ipsam deinde cibavit pane doloris, delapsis ad externos optimis spolijs, domi relictâ desolatione. Denique cadat quomodocunque Austria; casum Austriæ comitabitur Germaniæ Servitus.

40. Ne canant tamen illi ante prælium victoriam : quis illicò collapsuram Austriam, tantis viribus ex Regnis suis avitis, & opulentissimis Provincijs provisam credet ? Par illa est suis æmulis, & Imperij insidiatoribus. Aderunt prompti in auxilium alij Europæ Principes, qui nunquam admittent extirpari Austriam, unicū frænum immodicæ Gallorum dominandi libidinis. Austriacos, qui volunt, vinci posse, putent : victos ne dum unquam vidimus. Accipit quidem clades multas in tricennali illo Bello, sed velut ex Cadmæa propagine, novos semper eduxit in hostem exercitus. Ab ictu surrexit fortior : pugnavit, donec vinceret.

Nunc verò cogitate, O vos mei Germaniæ Ordines ! si insolitum est Austriæ succumbere : si non vincantur Austriaci : quæ vos deinde facta manebunt ? an Majestatica vestra libertas ampliùs locum habitura sit, ubi Victores legem dabunt Austriaci ? an impia vestra arma pietate exsolvi valebunt ? an aliquis ( nisi innata fortè optimæ genti modestia ) cohibebit exacerbati Victoris ultionem ? avertant hæc ultrò citròque superi ! aded periculosa alea est insurgere in Dominum Austriacam : optimum autem Ordinum

Germaniæ Studium, illam tot sibi sæculis benignam conservare deinceps, & provehere. Unde verissimum hoc pro Imperij salute arcanum eruo :

41. Non posse præteriri progeniem Austriacam in electione Imperiali, citra evidens periculū maximæ convulsionis, & mutationis Ordinū Imperij : Ex dictis hoc constat. Idè Principes Electores prudentissimo judicio, expensisque omniū causis, Austriacæ genti adhærere plerumque soliti, quia Augustissima hæc Domus non solum in se conspicua, sed etiam, quia antiquo patrimonio Cæsares deficiunt, suis opibus sufficiens est ad sustinendum augustale illud diadema, quod requirit Regnorum aliquot æraria. Antemurale deinde est totius Christianitatis, & toties pugnat pro Imperio, quoties Turcam repellit ab ulterioribus progressibus, qui absque dubio primi, & graves forent Germaniæ.

Accedit deinde Imperio ab hac Domopotentior, quam habet, potentia, securitas, & emolumenta maxima. Deplumata jam pridem est Aquila Romana deperdito Regno Arelatensi, atque



atque Italiâ fermè omni : plumas substituunt Austriaci per tot Regna hæreditaria, & Provincias opulentissimas, quarum vires illi infumunt in decus, securitatem, & conservationem Imperij. Neglectâ sæpè propriâ, eandem sibi pectori fumunt causam cum Imperio. Austriaci quasi exæquant suis Statibus totius Imperij vires : quàm exiles proinde has redderent Electores Principes, si præteritâ Austriacorum progenie, vel demerent Imperio tantam potentiam, vel planè inimicam facerent. Inconcussa jam tot sæculis stetit cum Austria libertas Germaniæ ; & stabit deinceps sub illa Regnatrice tantò securior, quantò illi conjunctior. Ex præteritis licet non vanè ominari futura.

42. Rectè igitur in nido Austriaco suam sibi figit sedem Aquila Romana ; inde vix evolutura, nisi externorum Principum spiculis succumbere velit. Enimverò concedamus posse in aliam gentem transferri Imperium ; sed an hoc expediat ? videndum. Indubitatum illud arcenum est, ut modernus quidam Statista observat : quotiescunque aliqua Familia Principalis, quæ diutissimè rerum potita fuit,

fuit, extinguitur; difficillimum est, præsertim inter pares, si quæ nova in ejus locum succedat, ut Regnum teneat nemine obnitente. Id omnium ætatum historia exhibuit. Et habet, quod metuat Imperium, si Austriacorum (quod Superi avertant) Familia planè decederet: magnos profectò motus conscisceret transitus, ille Imperij in aliam Familiam. Nam vidimus olim quotiescunque volatu variavit Aquila Romana, eam tam diu malorum finem non posuisse, donec conquieverit in nido Austriacæ gentis. Varia inter Regna varias tulere vicissitudines, cædes, mutationes, bella, seditiones, & præsertim à Romana Sede censuras, degradationes, usurpationes, sub Grægorio, Cælestino, Paschali, Innocentio, aliisque Pontificibus, tam in electionibus Cæsarum, quàm expeditionibus alijs Adolphi, Wilhelmi, Richardi, Philippi, Ludovici, & fermè omnium Henricorum, & Fridericorum, ut abhorreat planè animus meminisse eorum temporum verè atrocium, ubi inter Pedum & sceptrum, inter Cæsares & Pontifices continuæ flagrabant contentiones, scandala, bella,

bella, schismata, & si quid his pejus dari potest in natura humana. Quæ tamen omnia nunc sopita, & acquietata sunt, obfirmato in Austriaca Domo Imperio. Amplius dicam: ab omnibus retrò temporibus nunquam in tanto flore, tali vigore, tantâ libertate, tantâque potentiâ fuere Principes, & Ordines Imperij (præsertim quoad suos status, & territoria) quàm sub moderato hoc Cæsarum Austriacorum Regimine. Possident illi nunc totum id, quod olim vel Imperatores ipsi possidebant, vel saltem in ijs disponebant. Nil præter residuum honoris remansit, quem pro Imperij dignitate sustentare, reverà Regnis, ditionibúsq; Austriacis opus fuit. Non tamen ibo inficias, quin aliquoties tam à Svecicorum, quàm Gallicorum armorum tempestate flos ille, & Germaniæ vigor pressus fuerit, nunquam tamen oppressus, excipiente fermè omnes ictus Austria. Et hoc ipsum malum, cujus fato? vestris (parcite) Ordines diffidijs, vestris malecautis fœderibus, diffidentiâ vestrâ in optimam gentem, credulitate denique vestra externæ perfidiæ: Vero verius scribo.

43. Cæterùm quemadmodum, cùm è Repu-  
blica

blica expedit, nullum infertur libertati præjudicium, si diutius in una stirpe continuet Imperij diadema: ita prorsus, si vivente adhuc Imperatore Imperio provideatur de successore; non solum arcanum est Regnatricis Domûs, sed etiã **Magnum Ordinum beneficium**, cùm successorem certum habeant. Quantũ emolumentum inde causæ publicæ accedat, jam alibi disseruimus. Cohibentur etenim pravæ aliorũ spes, conatus, & jurgia affectantium, non tam Imperij, quàm Eridis pomum. Tolluntur Inter-Regna, in quibus plerumque popularis insurgit licentia, cui de facili succedit Anarchia. Nunquam inutile Reipublicæ comperimus, cujus futurus moderator in incerto non fuit.

44. Henricus VI. Inter-Regno, quod ab ejus decessu formidabat, obviam iturus, triennem adhuc filium suum Fridericum sibi Successorẽ non solum declarari à Principibus intercessit, sed etiam planè legem tulit, (ut jam supra insinuavimus) ne amplius Imperium electione, sed sanguinis successione procederet. Erant tunc quinquaginta & duo Principes Electores Cæsarum, qui omnes ducti publicæ causæ ne-

necessitate in comitijs Gailenhusensibus, præ-  
 sente planè Pontificis Legato Successorem de-  
 clarârunt Fridericum, adhuc tenellum ætate,  
 quorum omnium sigilla Diplomati super hoc  
 confecto appensa sunt. Aded nihil hoc novum  
 est in Imperio, quod ante tot sæcula utiliter pra-  
 cticatum fuit. Filius, quod successurus sit Pa-  
 tri, non infringit libertatem electionis, si ido-  
 neus est, & ad Imperium solitis suffragijs voca-  
 tus: ut supra adductus recessus vetustissimus  
 Wormatiensium comitorum clarè, & ultrò  
 admittit. Nulla ibi juris est necessitas, sed  
 prudens respectus utilitatis publicæ, quæ Re-  
 gina legum omnium est. Non cessat electio,  
 licèt aliquando videatur habere rationem suc-  
 cessionis, quia ex Ratione statûs fit, vel ob  
 vires & Potentiam succedentis, vel ob eohibi-  
 tionem æmulationis, aliásque causas. Non  
 cessat esse libera propter tot arctis cancellis con-  
 clusam capitulationem, in quam jurat Succes-  
 sor. Neque ideo Regnantes interpretationi fini-  
 stræ subjacebunt, si ejusmodi suorum præele-  
 ctioni studeant, pendente inde tam Familiæ suæ  
 dignitate, quàm Imperij ipsius utilitate, cui Im-  
 perator ex munere prospicere, & Electoribus  
 suggerere audet.

45. Oppones fortè recessum illum suprà memoratum, quo Principes Protestantes ex suggestione Gallorum, & Svecorum cavebant: ne amplius ex eadem Principum Familia tres successivè Cæsares crearentur. At expendenti patebit, quodd recessus ille libertatem potius electionis minuatur, quàm extendat. Nam stante illo, secundum debebunt, ex indulto legis, licèt fortè minùs idoneum, eligere: tertium autem nequibunt, licèt forsan aptissimum. Aded recessus ille confusionem magis, quàm legem Pragmaticam invehit, Quæ demum major libertas esse potest, quàm libera Electorum adhuc vivente Cæsare Successoris destinatio, cùm Principes Electores, etiam dissentiente Imperatore, facultatem Romanorum Regem eligendi sibi reservârint, ut provisum fuit trium Cæsarium Matthiæ, Ferdinandi II. & III. capitulationibus.

46. Ut verò Regnatricis Domus ex Familia sua semper Imperio successorem dare valeat, ad sequentia advertat arcana.

Amplissimas ditiones, præsertim Regna Hungariæ & Bohemiæ, sine

quibus vix potest subsistere Imperiū, possideat. Ex Bohemiæ namque Regno unum semper, & certum illud ad Cæsareum culmen suffragium obtinebit: cū per Auream Bullam licitum sit sibi suffragari. Hungariæ autem Regnum non solum antemurale est Imperij adversus Barbaros; sed etiam multum facessere potest negotij Germaniæ, si illius Rex extra corpus est Imperij. Et hæc ratio motiva est, cur Austriaci in Reges Romanorum eligantur, quia plerumque prius vel sunt Reges Bohemiæ, vel Hungariæ, vel utriusque. Adeo hæc duo Regna aditum aperiunt ad Imperij solium. Henricus VI. declarato in successorem filio Frederico, ut Augustale decus ferret dignius, Regnum Siciliae & Calabriae, Ducatum Apuliae, & Principatum Capuae cessit, & insuper Romano univit Imperio. Inopem non vult Cæsarem, nec ferre potest Augustum, qui magis diminuit, quam auget Imperium.

47. Præfata Regna, & ditiones, quàm minimè dependeant ab Imperio. Ut vel inde pateat Domum Austriacam suâ principaliter niti potentiâ, seposito etiam Imperio.

Fragilis est omnis potentia, quæ ex se non subsistit. Nullum amplius Cæsari in Imperio patrimonium est: ex se habeat illud, oportet. Cæterum ludus erit, & fabula, ut fuit Adolphus, & alij. Hoc ævo sufficit magna illa auctoritas, quæ Regnantibus ab Imperio accedit, multique auxiliorum prætextus.

48. Regnatrix Domus nullo unquam modo offendat Ordines Imperij, præsertim Electores; & offensos reconciliare sibi satagat. Eas autem Familias, quibus innatum, & vetus est odium in Domum Austriacam, non exacerbet magis, sed beneficijs eas sibi devinciat, comitèrque habeat. Nullus tam exiguus hostis est, qui non graviter offendere possit. Adversantibus subditis nec diu regitur, nec tutè. Amor subditorum Regna dat Regibus, & Reges conservat Regnis. Amoris vinculo sibi Regnatrix domus longum firmet Imperij solium. Si amor Ordinum suffragabitur, nullus in adversum quidpiam audebit livor. Huc faciet: si Regalia, & præmi-  
nentias



nentias Principum, & Ordinum auxerit magis, quam minuerit, seque nunquam ostenderit affectare feuda Imperij, aut Bona Ordinum.

49. Se arbitro Electoratus vacantes conferantur, præsertim Ecclesiastici. Neminem dejiciat facilè gradu suo, præsertim Electorali dignitate & possessione. Quia similia jam vidimus fuisse causam ingentium motuum. Dignos, ac conspicuos evehat in Principes Imperij, ut sic plura sibi devincta habeat vota in collegio Principum. Omnibus æquam administret Justitiam; vindicativam autem parcissimè, & magis indulgenter exerceat. Debilioribus assistat contra potentiores; sed eâ tamen ratione, ne potentiozem ad defectum, vel in se concitet. Impediat pacta gentilitia, ne in unam omnia concurrant familiam, sed quæque stent veteri suo jure & possessione.

50. Post conciliatum sibi amorem, & benevolentiam Ordinum; etiam providendum est de Authoritate, quæ basis est, & colossus omnium Imperantium. Ut plurimum autem consistit in opinione, quæ de unius habetur Potentiâ, virtute, & meritis. Ad

potentiam refertur magnitudo, & amplitudo Regnorum & Statuum, ut supra dictum est. Ad virtutem reducuntur omnes dotes tam internæ, quàm externæ animi & corporis: præfertim Prudentia, Clementia, Genus & Robur. Ad merita spectant ipsa egregia facinora, beneficia, tam avita, quàm propria, quibus omnibus ad invidiam abundat Regnatricis Domus Austriaca.

51. Authoritatem huic domui etiam conciliabit **Fortuna** in expeditionibus primis: ut Leopoldo in expeditione Polonica & Danica, & Josepho in Italica, Rhenana & Belgica: deinde **Metus** aliquis reverentialis, quem facile Ordinibus incutiet, si interdum se exhibuerit se posse nocere, si vellet: & non nocuisse, clementiæ potius innatæ, quàm necessitati adscribi debere. Scimus etenim à Friderico I. dejectum Henricum Leonem; à Sigismundo, Ericum; à Ferdinando, Palatinum. Multum enim interest invisos non habere Electores, aut invisos substituere gratos. Paucis comprehendo cuncta: Ita sua attemperet Regnatricis Domus, ut universim Imperij Ordines cre-

Rrr

dant,

dant, hanc esse illam Domum, quæ Imperio non tam præesse, quàm prodesse velit. Hoc autem Ordines præcipuè ex libertate comitorum observabunt; si nimirum viderint: Omnia communicato inter Imperatorē, & Ordines consilio, comitorumque suffragijs deliberari, decidi, declarari. Quod ipsum Imperantis bono fiet, promptiores in obsequium habiturus Ordines, & subditos. Nolunt quippe Ordines Imperij Tarquinos, nolunt Julios. Livius Tarquinij, & Dion Cassius Julij describit vitia, & depositionis, & necis causas: nimirum, quod traditum à prioribus morem de omnibus Senatuum consulendi solverint, domesticis consilijs Rempublicam administraverint, bellum, pacem, fœdera, societates, cum quibus voluerint, fecerint, diremerintque. Invisa hæc sunt, & multis discriminibus obnoxia, sive ex voto cedant, sive non. Certe emerunt Ordines olim libertatem suam, idèque sibi in quibusdam tenaciter prospiciunt.

52. Primum est: illa jam sæpius memorata

Capi-

Capitulatio, quâ vinculatur Rex Romanorum in vim contractûs cum Ordinibus, estque ista deinceps Imperandi norma unica.

53. Alterum est: Non sinunt Ordines se excludi à Republica. Volunt reipsa manere hujus participes, ut ab antiquo æquum fuit, & deinceps mos obtinuit.

54. Tertium: Sicut incontaminatam volunt Cæsaris Majestatem, ita suorum privilegiorum immunitatem inviolatam. Cæsar colatur, ut primus & supremus à Statibus: Status foveantur à Cæsare, velut Patre, & cumulatore gratiarum. Alienos præter Cæsarem non admittant Arbitros suorum dissidiorum, nec cum exteris facile paciscantur fœdera, nec in Imperij viscera immitti sinant externa auxilia, quæ nunquam nisi in commoda sua mitti solent, usu jam recepto; cum jactura eorum, ad quos mittuntur. Experiantur jure magis, quàm Marte; & in pacis publicæ turbatores insurgant omnes. Hæc

omnia continet lex fundamentalis; Aurea videlicet Bulla, sed vix unquam observata, nisi ubi pulsari potest Cæsar.

55. Quartum: Simultates intra Cæsarem & Ordines summum exitium Reipublicæ inferunt. Aliqua dissimulatio intra Cæsarem & Ordines fit, oportet: eâ ratione videlicet, ut Status reverentiâ ducti non quævis malè interpretentur in Cæsare, nec Cæsar virgâ utatur ferreâ, sed comiter se habeat erga suos fideles Status. Isti non facilè se opponant Cæsari, sed quæ extra capitulationis formulam acta, & contraventa esse videantur, gravaminum instar supplices proponant, causasque refundant in Ministros. Cæsar, verò, ne Ordines aut læsisse, aut lædere videatur, negotium quantocyus in deliberationem suscipiat, &, ut è re visum fuerit, vel protrahat, vel suspendat, vel componat. Status nolunt videri negligi à Cæsare, nolunt præteriri, sæpè illis comitas sufficit in locum Justitiæ, & si observari videantur.

56. Quintum: nec fortius telum est adversùs servitutis periculum; nec fir-

mamentum stabilius antiquæ libertatis, quàm concordia inter Ordines. Divide & Impera, volupe esset insidiatoribus Germaniæ libertatis : & Domus Austriaca pro viribus cooperata est semper, ut Status Imperij concordēs forent. In flagrantissimis illis dissidijs, Smalcaldico præsertim Bello, quæ spes reconciliationis, vel unde affulsit, nisi ab Imperatoria Authoritate, quæ pacem illam Religiosam tam dextrè confecit ? Iniquè obganniunt Galli Carolum V. fovisse inter Imperij Electores, & Principes dissidia, ut ex insidijs facilius obruisset omnes. Machinatio fuit hæc potius Gallica, sed nunquam prorumpere ausa vivo Carolo, qui circumventiones Gallicas semper prævenire noverat. Multoties quidem (non diffitemur) vinci poterant Status Imperij inter se divisi, & planè submitti Cæsari, nisi pacem magis coluisset, & antiquæ suæ modestiæ meminisset Regnatricis Domus. Novimus, ad quæ se obtulerat Ferdinando II. Fridlandus Dux. Divisum toties in se Imperiū jam pridē ex effato divino fuisset desolatum, & ab Austriacis occupatum, nisi ejus libertatem non minùs æstimarent Au-

striaci, quàm servitutem procurarent Galli. Tot intestina Germaniæ Bella abundè probant rardè inter se cohærere, aut cohæsisse Imperij Ordines. Alter hùc, alter illuc trahitur privatæ rei studio, salus autem Publica negligitur. Vigore constitutionum Imperialium tenetur unus Circulus alteri assistere, & communibus viribus turbatores pacis persequi: sed quàm segniter hoc fiat, & quàm sæpè intermittatur, palàm est. Torpemus in alienis rebus defendendis, quia existimamus aliena non concernere causam nostram; concernunt autem causam Publicam, quæ neglecta, omnia deinde mala invehit in totum Imperium. Hoc certo certius: quamdiu Ordines inter se cohærent, tamdiu nihil habent quòd metuant à Cæsare avitæ suæ libertati: at si inter se, & etiam cum suo capite cohæserint, nullam Mundi Potentiam reformident.

57. Sextum: ne negligent in Electione Cæsaris Antecessorum genus, cum hoc contra Imperij constitutiones non sit; fierique

risque possit liberis suffragijs, præcaverisque capitulatione omnis abusus; nisi aliàs subire malint mille discrimina. Non se perverti sinant scandalosô illô, livorisque plenô Hipolithi cujusdam à Lapide (fortè commentitium nomen est) Austriacam Familiam invadendi, & extinguendi consiliô agentis: Auferte & eripite Cæsari, quæ Cæsaris sunt: eijcite illum, detrahitte ipsi omnem obedientiam &c. ut refert Speidellius. Pudeat virum tam nefarij consilij. An hoc consonum erit divinis literis, Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris? an membra necem inferent capiti? an conspirare licebit Vasallis in Regnantem Principem, ejúsque tam emeritam Domum? Quid exinde Imperio eventurum credam, quàm quod anterioribus sæculis, antequam Domus Austriaca ad clavũ constanter sederit, jam suprà historicâ veritate enuntiavimus, semper mutatum, alteratúmque fuisse Statum Imperij, mutato Cæsarum genere.

58. Cæterùm quàm impudens sit Hipolithi conatus, vel inde liquet: quodd ex Sacro Romano Imperio, quo Sacratius & Illustrius in Mundo



do nihil est, gestiat levis homo constituere unam Rempubicā priuatā, qualis fortè est Battavica, aut Helvetica: ed enim tota scripti nefarij ratio collimat. An tot Imperij Regiæ Familiæ, tamq; innumeri Principes se ad morē Battavorū component, vel in sortem redigentur Civium? Regij animi supra communem fortunam luctari volunt: ad majora semper aspirant; dedignantur, quidquid infra summam dignitatem est. Sat provisum est Germaniæ libertati tam comitiorum facultate, quàm in leges aureæ Bullæ, & capitulationes juratâ Regis promissione. Quæ in Orbe gens tantâ fruitur libertate, quàm Germaniæ Principes. An fors major Battaviæ libertas? publica quidem illa est quoad totum corpus, non privata quoad membra. At Imperij libertas non solum in toto corpore est maxima, sed nec minor in quovis membro & Ordine Imperij. Cæsar quotquot Ordinibus, quotquot Principibus, quotquot Dynastis, totidem Regibus imperat.

59. Septimum & ultimum Arcanum: ne venalis sit Electio Cæsaris. Ut fuit Wenceslai. Carolus enim IV. ab Electoribus

bus suffragia coëmerat, expensis in singulos Electores centum aureorum millibus. Cum verò is tantam pecuniæ vim in promptu non haberet, sex & decem Imperij Urbes, pignoris locò, illis cessit. Quàm indignè hoc actum, eventus docuit, Degradatio nimirum Wenceslai indigni Cæsaris. Sacra res est Imperium, exsuperat omne pretium; soli Virtuti & merito debetur. Tunc crediderim non esse libera Electorum suffragia, cum ea Aurò corrumpuntur, non autem ubi Antecessorum genus ex præsentis Reipublicæ utilitate spectatur.

## OBSERVATIO XXIX.

*Arcanæ Artes, quibus Corona Franciæ insidiatur Austriacis, maxime in Imperio.*

1. **T**Hemistocles vixit inglorius, usque dum Miltiades apud Maratonam felici prælio fudisset Persarum Satrapas. Exinde æmulatione contractâ maxima egit ille, & tulit fortia, iteratò clamitans: *Victoria Miltiadis, nec dormire me sinit, nec perdere amplius momentum*

*temporis.* Gallia prioribus ævis, aut laboravit domesticis cladibus, aut quievit inter illecebras, sub aliquot Regibus, fermè ingloria: usque dum illa ab excessu præmaturo Henrici IV, sub duobus Ludovicis XIII. & XIV. Rem Austriacam in immensum provehi videns illicò exarserit, æmulatione maximâ in gentem, gloriâ & factis sibi aut superiorem aut æmulam. Aded trophæa hujus excitant illius spiritus, & gloria Austriæ virtute & merito sibi comparat odium Gallia.

2. Ipse fatetur Summus Franciæ Minister Richelius in historia de suo Ministerio: Christianum Orbem in duas dividi factiones, ut rerum summa, Principumque aliorum fortunæ, penes Austriacum sint, vel Gallum. Alteruter aggressor provocat Æmulum quocunque consiliô. Causam rectè attribueris æmulationi, quæ à sæculo ita adolevit, ut alter alterius incremento doleat. Putat ille, & ego utrique esse causam: sed inverso Richelij sensu. Ambitionem videlicet esse Gallia, & necessitatem Austriæ. Hæc defendit se, offendit illa. Nam Austriæ suorum Regnorum Provinciarumque, quæ omnia vel hæreditatibus, Successionibusque, vel

Nuptijs, vel Cæsarum nomine habuit, conser-  
vationem spectat; suâque emolumenta quæ-  
rit in Infidelium terris. Francia verò præter  
Avitorum conservationem multa aliena usur-  
pavit, &, quæ libera olim fuêre Principum do-  
minia, coronæ ita inseruit, ut nunquam amplius  
separari valeant: Incrementa autem sua aucu-  
patur in externorum Principum, vicinorûmque  
ditionibus, ut notorium est in Imperio, Belgio,  
Italia, terrisque Hispaniarum: & palàm in Al-  
fatia non pridem Oenipontanis Archiducibus  
adhuc pupillis ablata, nuperimè autem planè  
Nobilissimâ urbe Argentinâ ab Imperio avulsâ.  
Francia complectitur eos fœdere, quicumque  
Auftriacis, vel ut talibus, vel ut Imperatoribus  
rebellant, aut refragantur, ut nunc experimur  
in Hungaria, priùs experti in Bohemia, in Duce  
Mutinensi, Mantuano, & alijs. Auftria alie-  
nis non se immiscet, sed ea, ad quæ ex Imperato-  
rio munere tenetur, vix amplius adversùs Gal-  
lorum insidias tueri valet, nimirum Feuda Im-  
perij. Denique nihil penitus est, quod Au-  
stria Franciæ, sed propè innumera sunt, quæ  
Francia rapuit Austracis, ne dicam S. R. Impe-  
rio. Europa jam omnis ardet Bellis, pelagus

ipsum obruitur classibus, diruuntur primæ urbes & munimenta, desolantur Regna & Provinciæ, sanguis Christianus undique decurrit in flumina: Omnia hæc in victimam cedunt æmulationi Gallicæ, quæ domum Regnatricem Austriacam, nec parem sibi, nec superiorem esse posse patitur. Varijs autem in hunc finem utitur arcanis, quorum pleraque hoc integro capite insinuabimus non minùs fideliter, quàm breviter.

3. Primum Galliæ arcanum est Denigratio Domûs Austriacæ apud Imperij Principes, & Ordines.

Huic insudavit Gallia in omnibus fermè electionibus Cæsarum eligendorum ex gente Austriaca. Palàm est, ut vetera præteream, negotiatio Gravellæ Legati Gallici tempore Ferdinandi III. ; & ab excessu Ducis Gramondi, & Marchionis de Fresnes in comitijs Francofortensibus. Quantæ ibi exclamationes in Leopoldum nostrum Augustissimum, tunc Regem tantùm Hungariæ! quantæ machinæ, ut inter hunc, & ejus Patrum Leopoldum Guilielmũ Archiducem ob Imperium vacans moveretur

Æmulatio. Volebant ad speciem quidem ( cum aliter jam non poterant ) ex domo Austriaca Cæsarem, ast non Regem Hungariæ Leopoldum, sed hujus nominis Archiducem: ut Imperatorem nimirum haberent ridiculum sine Statu, sine opibus, meram figuram & Galliæ fabulam. Callebant etenim stante Primogeniturâ Austriacâ, nullos Archiduci Leopoldo esse redditus ( minùs Potentiam ) quibus sustentaret cum decore Majestatem Imperij. Et profectò hucusque semper Galliam collimâsse, aut Cæsarem videre in Solio sine solo, Regnis & Provincijs destitutum: aut, cum illi hæc fuerint, Majestate & Potestate per capitulationes valde imminutum, plusquam compertum est. Aded Galli non verentur leges præscribere Electoribus, quem S. Romano Imperio Cæsarem præficiendum velint.

Denigrationi accedebant querelæ indefinientes Gallorum adversus Domum Austriacam, quibus suspectam hanc Ordinibus Imperij reddere, ejus autoritatem atterere, Potestatem imminuere, Galliæ autem commodis, ne hæc ab illa unquam vinci, hæc verò illam semper vincere posset, cautissimè providere satagebant.

Contra

Contra duo autem maximè intonabant: videlicet, quòd Austriaci permittant Hispano facultatem legendi militem in Germania: & quòd magnas copias, imò exercitus in Italiam mittant pro Hispano adversùs Gallum militaturos. Sic imbellem, ita torpentem ad alienos casus, adedè desidem in tuendis Imperij feudis volunt Galli Cæsarem. DEUM immortalem! quid sentiret Ludovicus, si tam absona, tam hiulca, & indecora Regiæ Majestati Leopoldus oggereret, aut exigeret à Gallia? an plus Juris Regi Franciæ in res Imperij, quàm Imperatori in res Galliæ? an pro lubitu licebit Gallis continud movere Bellum in Hispanos: Cæsari autem prohibebitur, Jura, feuda, & Imperij Principatus possidenti opem ferre? Quanta impudentia, Bella iniqua alijs inferre, se autem talibus impeti, queri. Verè jam crediderim, quod Tacitus de Germanis edixit: Gentem hanc esse laborum & patientiæ assuetam, cùm tantam insolentiam Galliæ tamdiù inulta sufferre queat. Verùm examinemus vim querelarum Galliæ, & palàm constabit plusquàm exorbitans rei indignitas. Ultrò concedit Imperator se facultatem legendi militis Hispano dedisse, quia

hoc de Jure suo potest; nec ullâ lege Regiâ (quidquid comminiscantur Galli) prohibitum est. Imò Anno 1576. constitutione Imperiali Spiræ sancitum est: ut liceat in Imperio cuique externo Principi & Regi copiam militiæ legendæ dare, qui Cæsarem rogaverit, sponderitque militiam conscriptam nullatenus se contra Imperatorem, Electores, Principes, & Ordines Imperij, eorûmque vasallos, subditos, & Clientes usurpaturum.

4. Similiter Anno 1654. in Comitijis Ratisbonensibus, communi Electorum, Principum, Ordinûmque nomine idem declaratum fuit, cùm id non solum constitutionibus Sacri Imperij nihil repugnet, sed etiam usu, & observantiâ continuâ, nec unquam interruptâ consuetudine id constet. Si jam toties Gallis licitum erat in Germania legere militem, & inde integros quasi educere exercitus, utique ex Instrumento Pacis: cur ex eodem instrumento illicitum erit Hispano? Quàm inanem proinde Gallorum querimoniam esse, quis non perspiciat? Queri, conquerique autem bene potest Imperium, quodd Gallis nunquam ab Imperatore, ea, quâ decebat reverentiâ, aut more, quem



quem Imperij præscribunt constitutiones, veniam legendæ militiæ postulaverint. Proprio tantum arbitrato, non solum gregarium militem, sed primos exercituum Officiales, Principes, Comites, Barones ex Imperij visceribus acceperunt, eorumque operâ in Cæsarem, in Imperium, ejusque membra & vassallos fecerunt. Oculi omnium, maximè lachrimantium viduarum, pupillorum, sacrarumque virginum testes sunt; vestraque vos, O mei Galli, de hoc coarguit conscientia.

5. Adhuc inanior altera querela est, propter copias nimirum in Italiam transmissas. Abstineat Franciæ Rex ab invasione feudorum Imperialium tam in Italia, quam in Belgio: abducat inde suos exercitus; idem faciet, & à defensione feudorum abstinere Cæsar. Hujus muneri incumbit ex ipsa capitulatione, artic. 9, olim distracta Italia feuda revindicare, ergo multo magis quæ Francia noviter aucupatur. Plusquam notorium est à duobus quasi sæculis gravidos esse Gallorum animos, quo unquam modo Belgio, & Mediolano potiri possent (nec deam de Regno Neapolitano & Sicilia) ut videlicet sibi viam parare valerent ad cæteram subigendam

gendam Italiam & Germaniam, indéque stabi-  
liendam Europæ Monarchiam. Offendit ergo  
Gallia, defendit Austria. Quid tu in hoc sa-  
cra Themis judicabis? an non jam diù dissimu-  
lavit Leopoldus, obrutus machinationibus Gal-  
licis? an amplius ad hæc Josephus oscitabitur?  
an dormiet Carolus? an avertere ejusmodi dam-  
nosos Gallix conatus crimen erit?

6. Alterum Arcanum est: quaquâ Arte  
impedire Electionē Cæsaris Austriaci.  
Aut prolongando (tempus quippe multa resol-  
vit in utramque partē) aut subornando Æmu-  
los: maximè verò ex ea mora & cunctatione  
Providendo rebus Gallix.

Omnia hæc tentavêre Franciæ Ministri in  
coronatione Leopoldi, exclamantes primò  
tam coram Nuntio Apostolico, quàm coram  
Electoibus, Ecclesiasticis, ac Sæcularium Le-  
gatis: Electionem non esse, sed successionem,  
si post Ferdinandum III. Leopoldus Rex Hun-  
gariæ (filius nimirum post Patrem) eligatur in  
Cæsarem Romanorum. Vota eligentium non  
esse libera, sed alligata Bullæ aureæ, quæ Lex  
est fundamentalis Imperij, vetâtque deferri  
fasces Germaniæ in hæredes.

7. Secundò palàm, & cum sensu protestabantur: ab Austriacis tam Ferdinando III. quàm Leopoldo Rege Hungariæ violatam esse Pacem Westphaliæ; abjuratam capitulationem; reiectos Imperij recessus; subministrata in Belgio, & in Italia Hispanis auxilia; ademptum Alobrogum Regulo Imperij vicariatum, & plura ejusmodi gravamina; quorum omnium jam toties (ut illi ferebant) læsa Gallia tandem remedium petebat à Statibus; nil ampliùs credens promissis Austriacis, qui solâ Potentiâ nituntur; nunc autem maximè, cùm certum jam haberetur matrimonium inter Imperij candidatum Leopoldum, & Infantem Hispaniarum Margaritham, geminatâ nimirum Potentiâ Europæ toti formidandâ.

8. Tertid comminabantur planè Bellum Imperio, Regémque præter tremendam illius Potentiâ, armorúmque vim maximam, etiam Sveciæ, Angliæ, Portugalliæ, aliisque minoribus Principibus confœderatum jactabant, nunquam passurum Imperiale Paludamentum in humeris sui hostis. Interea tamen per Emisfarios suos tam Electoribus, quàm externarum Coronarum Legatis suggerebant Pacem; nimirum.

rum ut inter duas Coronas Francicam & Hispanicam ante Electionem Cæsaris Pax componeretur, permissâ mediatione ipsis Electoribus, & Imperij Statibus: sicque intermedio negotio Pacis, quod semper protrahi potest, prolongarent Electionem, duplex sibi vaticinantes emolumentum: vel, ut interim exurgeret alius quispiam Æmulus Imperij, vel ut rebus Galliæ ex mora hac providerent enixius. Circa primum valdè laboratum est cum Bavaro, tam per Sabaudum, sed magis per ipsum Regem Franciæ, qui pollicebatur Bavaro omnes Regni sui vires, ærarium, confœderatos, dummodò pateretur eligi, sine omni sua cura, conatu, dispendio. (tantus livor Galliæ in Austriacos est) Verùm quia prudentissimus Princeps prævidebat, si Imperium acceptaret Galliæ nisû & operâ, se certò certius Regis Franciæ futurum Vectigalem Cæsarem, & Imperium ipsum ligium Coronæ Galliæ. Ideo se potius cum sui maximâ existimatione continuit, ut Imperio retineret libertatem, & suis Statibus tranquillitatem.

9. Secundum urgebat Mazarinus, ac rebatur se magis rebus Franciæ provisurum per Pacem ante electionem, quam postea concludendam

dam, non vanè sperans: plura concessuros Austriacos ob desiderium, spèmque Imperialis sceptri, quàm ubi jam illud adepti fuerint. Nulla quippe jactura tanta est, quæ non Majestate Solij Imperialis compensari potest. Hinc resultat

10. Arcanum tertium, Capitulatio videlicet: quam inaugurando Cæsari statuunt Ordines Imperij, ex cujus Cynosura & lege impostherum teneatur imperare ille. Hic labor, hoc opus Gallix est, ut sub specie publicæ Imperij utilitatis, suam quàm maximè curet. quod ex articulo 13. & 14. capitulationis Leopoldinæ abunde constat: ubi de præstando Hispanis auxilio agitur quidem, sed malè intelligitur, & nimis extenditur à Gallis. Videlicet ut absolutè, & nullo planè casu fas esset Austriacis, opem ferre Hispano adversus Gallos. An hoc aliud est, quàm per legem Pragmaticam Imperij, Ambitioni Gallorum, & cupiditati servire? an Austriaca Domus deterior alijs Statibus, quibus competit reciproca defensio? an plus Juris in Imperio Gallis, quàm circulo Burgundico? an hoc cum ratione præscribi potest, ut unus circulus Im-

perij, alterum jam periclitantem juvare non a-  
 fit? an non Gallis, cùm alienos subditos de-  
 fendunt, & rebelles protegunt, hoc illis sem-  
 per in ore est: Defensionem esse Juris naturæ.  
 Et illud etiam: omnem hominem, à quovis  
 homine ubi opus est, auxilium accipere posse?  
 Scimus Austriacum & Burgundicum circulum  
 gentilitio Jure conjunctos, & Jure necessitudi-  
 nis, gentium, imò naturæ, teneri sibi utrumque  
 ad mutuas suppetias. Contestor omnes Juris  
 Feudalis scriptores: an non Dominus ex mu-  
 tua fide, & quasi ex Etymologia & essentia  
 feudi, ita teneatur Vasallum suum contra om-  
 nem injuriam, quâ feudum pulsatur, in quan-  
 tum potest juvare, sicut Vasallo incumbit eo-  
 dem casu Domino feudi ope, consilio, fide præ-  
 stè esse: an non Imperator Dominus omnium  
 feudorum Imperij: an non ejusmodi plurima  
 feuda habeat Hispanus in Italia, & Belgio?  
 Frustra autem obganniunt Galli ex hac conjun-  
 ctione, datisque sibi, mutuis auxilijs, & subsi-  
 dijs formidandam reddi Austriacorum Poten-  
 tiam. Vetus hæc Galli, sibi suæque securitati  
 prospicientis cantilena est. At ego aliud occi-  
 no: Omnis Austriacorum Potentia redundat

in beneficium, & decus Imperij; Gallorum autem in perniciem hujus, & vicinorum. Quantumcunque crevit Domus Austriaca, nunquã tamen offendiculo fuit Imperio, aut Germaniã, ut est, & fuit maximo Gallia. Plus rauerunt ultimi duo Reges Ludovici Sacro Imperio, quã decem & quinque Imperatores, & duo Romanorum Reges Austriaci, per quinque fermè sæcula, in feudum, (velut virtutis meritum præmiũmque) à Romano acceperunt Imperio. Provoco ad omnis temporis historiam.

III. Quartum Arcanum est, Prætextus officiosus protegendæ à Gallis Germanorum libertatis. Quod reipsã aliud non est, quã vel dividendæ, sicque sensim obruendæ Germaniã; vel per ipsos Germanos Principes propulsandæ ab Imperij clavo Domũs Austriacæ, quæ hæctenus unicum columnen fuit Imperij, & præsidium libertatis. Non penetrant omnes arcanum hoc Galliã, quia speciosum, officiosum, obtectum, & tantò perniciosius est. Quò dulcius blanditur, eò acerbius ferit Germaniam. Quantò plura promit-

tit, tantò pauciora præstat. Sua quærit com-  
moda cum incommodo Imperij; cùm Pacem  
offert, servitutem intendit.

12. Revertamur ad Annum 1634. Quàm am-  
pla, quàm eximia promisit ibi Corona Franciæ  
per Oratorem Tequierum: nimirum, quod Rex  
ob præstationem auxiliorum ad libertatem Ger-  
maniæ Vindicandam, nullam planè compensa-  
tionem, aut retentionem locorum armis occu-  
patorum prætere vellet: Sed omnes ad Im-  
perium pertinentes Provincias, ditiones, ac ter-  
ras, Alsatiámque nominatim, in eo statu di-  
missurus esset, quo ante enatum novissimum  
Bellum fuisset: Nihil enim Regem suum aliud  
ob præstita auxilia desiderare, quàm ut laudè  
& gloriam conservatæ libertatis Germanicæ  
promereatur. Promissa sanè specietenus plau-  
sibilia, sed leviora paleâ! Nam sepositis pro-  
missis, abjectòque omni in Sacrum Imperium  
respectu, non multò pòst Alsatiám Austria-  
cam cum Præfectura Imperiali Civitatum Al-  
saticarum sine rubore sibi adjecit, insuper vi ab  
Episcopo Spirensi abstracto fortissimo Imperij  
munimento Philipsburgo. Quid hoc aliud erat,  
quàm sub protegèdæ libertatis Germanicæ præ-  
textu,



textu, Status Imperij usurpare, aliena diripere, Germaniã atterere, & Jura novi dominatûs quaquaversum extendere. O præclarû custodẽ Germaniæ, ut ajunt, apud Oves Lupum: vel apud Gallinas & Gallos vulpẽ. Hanc orbis finit: illû non amplius sibi optat, serâ licet pœnitentiã dampnans suam credulitatem Germania. Canon iste in Politicâ certus est: Externorum Principum, qui magnâ pollent Potentiã, oblata auxilia proximæ servitutis esse incunabula.

13. Accedit: quodd in omnia fermè Germaniæ negotia se Gallia importunè oportunè intrudat, hoc solo fine: ut vel conturbet illa, vel aliquid contra Austriacos (præsertim in turbido) moliatur. Hoc ipsum deberet Galliam apud Ordines Imperij suspectam facere, quodd non vocata ad negotia Imperij, partem tamen in his habere velit. Quid habet, quod Gallia Electoribus, & Principibus obtrudat Jura Imperij ab Austriacis negligi. An illa Judex, an accusatrix erit? turpe est in alienam messem se ingerere. Satis sibi Ordines Imperij sunt: Illis opus nec est Dicafterio alieno, nec censurâ, nec statêrâ, nec Rege Galliæ. Qui autem ex Ordinibus hunc invocat, diffidit causæ suæ malè sibi conscius.

14. Quintum Arcanum est: Clientela  
 Galliaë obnoxia, Principum Imperij  
 tam in Germania, quàm in Italia.  
 Sic semper ansam habent Galli in Austriacos  
 movendi arma, quoties aliquis talis Vassallus,  
 aut contumax, aut bannitus fuerit. Verùm  
 quâ ratione, quâ lege, quò privilegiò præsumit  
 Gallia disputare Imperatori, & Imperio Instan-  
 tiam in suos? an excogitata illa Protectio, vel  
 Clientela reddet alienum, quodd meum est? an  
 Jus alienæ Protectionis impediet Jus Læsæ Ma-  
 jestatis? an compensabit delicta, falloniam, ac  
 contumaciam in suum Dominum, favor Regis  
 Galliaë? Vix credam, Galliam esse velle præsi-  
 dium, asylumque eorùm hominum, qui in Prin-  
 cipes suos refractarij, rebelles, & notoriè delin-  
 quentes fuerint. Qui Amici Galli sunt, non  
 ided desinunt esse subditi Cæsaris, hostes, aut  
 rebelles, aut non penâ digni. Iniquissima est  
 illa sive Protectionis, sive Clientelæ ratio, ubi  
 partes â toto divelluntur, membra â capite sepa-  
 rantur, subditi Principi aut Domino suo subdu-  
 euntur. Quod Imperator Austriacus, Franciaë  
 Regis hostes, nullo titulo aut pretextu, vi Paci-

ficationis Monasteriensis juvare queat; non ideo fas est Regi Christianissimo Austriacos subditos, aut Imperij Vasallos in Protectionem Coronæ Franciæ accipere, & legitimæ Potestati subducere. Neque etiam nefas est Austriaco Cæsari ejusmodi subditos, aut Vasallos delinquentes corrigere, punire, aut incorrigibiles armis persequi, ac Statibus planè exuere: ideo iniquitas, & usurpatio aperta censerì debet, refractarios Cæsari, & Imperio Vasallos (ut sæpè aliàs Gallia, & nuper cum Mantuano & Mutinesi fecit) armis tueri adversùs legitimũ Dominum. Istud etenim incentivũ erit rebellionũ, & perpetuũ Bellorũ semen; quòd Galli ultro quæritant, ut nimirum semper occasionem habeant infestandi Regnatricem Domum Austriacam.

15. Sextum Arcanum, & Summa Gallis ratio est, quæ pro Italia facit: ut hanc nimirũ Austriacis eripiant, dividantque indè Austriacorum in Hispania, & quod in Germania est, Imperij conjunctionẽ. Sicut enim per unionem Phylosophicam componitur compositum Phisicum; ita per Mediolanensem Ducatum, aliàsque in Italia ditiones Hispano-

Hispano-Auftriacas, coalescit Imperium Auftriacum, quod tantum est, ut ei Sol nunquam occumbat: ideo Gallis terribile apparet, licet neminem lædat, nisi ipsum sit impetum. De Mediolano Gramondus libro 2. hist. Gall. ultro fatetur: Hoc esse præsidium Auftriacæ genti, frænūque Europæis Principibus, quàm diu ab Auftriacis possidebitur. Huc omnes Gallix conatus, jam, & olim collimant, ut frænū hoc excutiant, tollantque Auftriacis Mediolanum, mediam videlicet, Germanos inter, & Italos Provinciam, communicationi ultro citroque habendæ peropportunam, quâ interruptâ vix subsistet firmiter Austria, quâ Germana, quâ Hispana. Verissimum hoc est, & irrefragabile: Medialanô deperditô exanimari propè Auftriacum Imperium, quia illud, conjungit vastissimum hoc corpus. Hâc iter ex Hispania per Italiam in omnia Regna & Provincias Auftriacas, quæ Danubio, Mosâ, Mosellâ, & Rhenô alluuntur.

Et si accederet Mediolano Pedemontium, quo conjungeretur ripæ Genuensi, tunc profectô Auftriacis aperiretur mare universum, & cum omni Europa commercium, in omnes

Lib. 4. c. 26. Mundi partes transitus, & centum talia emolumenta. Et hoc illud est, cur ab omni ævo, ita attonitos, vigilésque tamen, noctu diúque teneat Gallos. Cardinalis certè Richelij hæc mens fuit: animadvertendum maximè quoad Jura, quæ Gallix subditi per Italiam acquirere possunt, ut Austriaci à nimia Potentia, novisque incrementis distineantur. Cúmque jam potiorè Germanix partem teneant, nullum certius æquilibrium, quàm Italiæ Principes fœdere compingere, & in Provincijs Austriacis, vel per successionem, quod postremi Gallorum Reges ausi; vel per firmatos jure aliquo Gallicos Principes (ut per Ducem Mantuæ factum) recipiendis Gallorum armis, ad Italorum necessitates pedem figere. Equidem assevero (prosequitur Richelius) nullã gloriæ & honoris, adeoque benevolentix fertiliorem messem fore, ad famam venerationémque apud Exteros adipiscendi. Adeo Gallis Italia cordi est, & maxima Statûs ratio inde disiungendi Domum Austriacam, infringendique ejus Potentiam. Sed hoc, quo Jure? quam causam dedit Austria? sola Potentia non sufficit, nisi usurpata sit, aut in infesta alijs.

16. Septimum Arcanum Prætextus est Pacis. Hanc Galli, cùm multa jam obtinuerunt, vel cùm prævident dubium finem Belli, communiter suggerunt in maximum plerùmque Austriacæ Domûs præjudicium. Sic Alfatiâ retentâ sive occupatâ; maximâ Belgij parte subactâ, Domitâ Cataloniâ, deplumatâ hinc inde Imperij Aquilâ, saturati jam alieno sanguine, & alienis opibus, ad ingluviem ipsam, Pacem Pacem deprædicabant Galli, veluti unicum remedium calamitatum Publicarum (quarum ipsi Authores fuere) ablata tamen reddere nolabant. Solitum illis est inducias offerre, petere, loca denominare ad tractandam pacem, Legatos mittere, instruere: interim hostiliter ubique agere, expilare, vastare; Cæsarem, Imperium, & totam Europam hoc Pacis Opiato dementare, ut multi, cùm minimè hostilitatem metuant, jam se Gallicis armis obrutos vident. Lugubre est memoriâ reverti ad proximos tantùm annos, quanta tunc pataverit induciarum tempore Gallorum immanitas. Ne dicam de Germania, hoc certum est de Hispaniâ: quod hæc quadrienni pacis tempore plures clades à Gallo

habuerit, quàm per duo sæcula ab omnibus suis hostibus.

17. Dixi: Galli, cùm prævident dubium eventum Belli, confestim pacem offerunt; sed eam ita versant, ut vel nostrâ supinâ incuriâ, vel alio malo fato, per pacis tractationē majora damna incutiant Imperio, quàm quâcunque Belli atrocitate. Monasteriensis Pax quantus illa lapis offensionis est, quantumque evexit res Galliæ! Egregia, me hercle, ibi observata æquitas, ubi Galli præter infinitas prædas, & præter in nostro solo, nostrisque sumptibus gestum Bellum, quidquid tamen illis de alieno lubebat, obtinuerint: Austriaci verò, quæ illis vel Jure sanguinis, naturæ, foederumque propria erant, aut debebantur, amiserint: & insuper (quod unicum jam tanto tempore coquebant Galli) Germana Austriaca ab Hispanica Austriaca Domo divisa fuerit. Particularia autem si quispiam expendere; videbit in hâc pace spoliatos Austriacos Alsatiam, Archi-Ducem Leopoldum Episcopatu Mindensi, & Halberstadiensi. E contra optimos Imperij Status, Metas, Tullum, Virodunum, Alsatiam, & alia multa vel Franciæ unita, vel cum magnis Gallorum præroga-

tivis permiffa. Quibus tamen omnibus haud fatisfiebat; quin rurfus illi ingentes remoras Norinbergæ apud Tractatum executionis injecerint, & hinc inde novas contra Domum Auftriacam excitaverint turbulentias, alia gravamina, alia petita produxerint, atque ad falivam fuam, contra literam & fenfum, articulos Pacis interpretati fuerint, ut aliud inde nihil colligendum videretur, quàm quòd Pax illa fuerit meditatio novi Belli, & instrumentum non tam quietis, quàm confufionis Publicæ. Aded Pax fervit Gallis in prætextum femper alterius Belli, novarúmque infidiarum, vel in speciofum titulum iniquiffimæ ufurpationis alienorum ftatum, præfertim Auftriacorum. Ex fructibus cognofcite, mei Principes, qualis Monafterienfis, qualis Neomagenfis erat Pax, quales nupernæ induciæ? Fructus nempe amaritudinis, defolationis, & nunquam interruptæ calamitatis Publicæ: cui etiamnum illachrimatur Germania. Et hinc

18. Arcanũ octavum, **Dependentiarum Jus**, vel nefas potiùs. Pofteaquam enim Rex Franciæ Ludovicus XIV. Battavos, qui caput fœderis erant, divififfet à cæteris membris, &



confœderatis, adversùs Coronam Franciæ, multis Principibus: sicque solvisset contractum in Galliæ humiliationem fœdus (unde magna Germaniæ incussa plaga) contemptibiliùs agere cœperat cum Imperio, positis (quibus in longum non fidebat) armis quidem, & factâ Neomagi pace, quæ Monasteriensem confirmabat: sed hujus prætextu tantò graviùs Imperio per dicasteria, & calamorum luctas, incumberebat; erecto in hunc finem Metis tribunali, impositoque Regij fisci Procuratore, qui examinaret Archivia omnia Ecclesiarum & Civitatum, notarétque ablata tribus illis, ex necessitate Pacis Monasteriensis, adeptis Episcopatibus Metensi, Thulensi, Verdunensi; sicut & Alsatia ejusque Regalitati. Ex hinc maxima in Imperio exorta confusio, ipso Bello acerbior. Nam sub hoc prætextu sibi magnam partem Germaniæ arrogabat Rex Ludovicus, inauditis partibus, se Judice, non attentâ temporis præscriptione, rejectis opponentium instrumentis, concessionibus, possessionibus, & avitis juribus. Nunquã tam acriter militatũ armis, quã tunc citationibus, proscriptionibus, caducitatibus: & vix priùs audito dependentiarũ nomine, ve-

luti divini Juris Canone compēsabantur omnia. Oraculi instar Gallis erant inanes subornati, insolitūque illius Dicafterij Scrutationes, & vanissimæ impressiones: Sententiæ verò, inauditis licèt partibus, mox paratam habebant executionem.

19. Eximia, mecastor, hæc Juffitia, quæ ab executione incipit, quæ in causa propria judicat, quæ partes non audit, quæ post lapsos tot centenos Annos, nullâ exstante hominum memoriâ, post toties insuper mutatam rerum faciem, acta reagere, composita turbare, demortua resuscitare, & in res exoletas, atque antiquas Sacri Imperij Syndicatum agere. Insolentia hæc solita gentis est, & inventum dominandi libidinis. Unde intentionem fundas Gallia? epheta: aperi os. Non certè ex Instrumento Pacis: quia tres illi Episcopatus extraditi sunt in Statu, quo tunc fuère, non quo olim, nec olim aliter fuère, quã nunc sunt, propter pacta & conventa intermedia, quæ Jure Gentium libera sunt, nec fas est ea Gallo mutare. Rerum divisio, usucapio, contractus & pacta, ad primævum planè Jus Gentium spectant; à quo si recedatur, relabetur Mundus rursus in antiquū

chaos, & Anarchiam universalem. Non vacat immorari rei planè abstrusæ.

20. Inter reliqua, primùm prætendit à Rege Sveciæ Homagium ratione Ducatûs Bipontini, quasi dependeret iste ab Episcopatibus, qui tamen semper fuit immediatus Status Imperij.

Ab Hispano ingens territorium usque ad portas nobilissimæ Urbis Luxemburgensis, quam ille viâ facti primùm à longè obsedit, postea planè occupavit, nullo priùs tentato remedio Juris; allegans se suo Jure uti, immissione nimirum in bona, quæ ad se pertinent. In hoc solo Ducatu reunivit sibi viginti majores, & minores civitates, & mille sexcenta Oppida, & pagos. Ne dicam, quid in alijs ditionibus Hispanicis per summam injuriam reunitum sit Franciæ.

Electo-ribus Rheni Cathedrales Urbes sub prætextu dependentiarum disputavit, & in ijs tantum demoliendum voluit, quantum à quinque Sæculis ibi exædificatum fuit, prætendens, id totum novum Opus esse, suoque solo impositum. Inter suprascriptas dependentias sibi adnumeravit Principatum Purkenfeld & Veldenz. Comitatus Sponheim, Mompelgard, Lein-  
gem,

gem, Taxburg, Hanau, Nassau, & alios plures Comitatus, Dominia, Nobilium feuda, & decem Alfatia Civitates; hæcque omnia absolute, & Regio Jure; cuius nullum Instrumentum nec Neomagense, nec Monasteriense meminit. Sic Gallus deplumavit Aquilam: sic novus iste Imperij hospes, in primo limine violavit sacra hospitij Jura.

21. Arcanum nonum, Liga Rhenana: cujus Authores Galli. Multiceps est hoc fædus, conflatum ex multis Principibus confœderatis, ex suggestione Coronæ Franciæ, quæ semper sub prætextu protegendæ libertatis Imperij sua quærit compendia. Emanavit hæc Liga Moguntia Anno 1658. Cujus Finis, & apex erat non solum cavere & impedire, ne Austria submittere posset auxilia Hispanis, sive in Belgium, sive in Italiam: sed etiam arte, & Marte obligare Neo-Imperatorem tunc Leopoldum, ut capitulationem observaret ad amissim, integre, & fideliter. Quod reipsâ idem est, ac dividere Regnatricem Domum Austriacam, ac ita debilitare, ut disiuncta à conjunctis externis Potentijs, semper vinci & opprimi possit, quod ad exiguam sive utilitatem, sive gloriam

Imperij facit. Imò prostituit commentum hoc Gallicum Rhenanæ Ligæ totum Sacrum Imperium, quia Sacratissimum ejus caput attenuat, & enervat. Omnis quippe dignitas, splendor & gloria, sicut & omnis morbus, imbecillitas, & vilitas cujuscunque corporis à capite incipit. Quamdiu vigeant ejusmodi Ligæ in Imperio, nunquam emorientur factiones, suspiciones, & diffidentia inter caput Augustissimum, & ejus membra serenissima. Summatim omnia. Hæc Liga in nullum est beneficium Imperij, sed in externarum coronarum Securitatem.

22. Arcanum Decimum est: Gallorum cum Turcis foedus. Arcanum hoc jam non amplius arcanum esse videtur, cum Illustri ille historiarum Gallia scriptor Gramondus libro III. palàm fateatur: In præsens aliud non esse Dominationis Austriacæ frænum, Europæ dum imminet, quàm si Rex Gallus cum Ottomanis foedus inierit. Non hîc disputo: Liceat-

nè aliquando Christianis cum Infidelibus fœdus? sed turpem esse, ajo, causam, si ad humiliationem depressionemque Austriacorum tam periculoso, & impio innectatur Francia fœderi. Ita videlicet, ex causa statistica, & vix legali & honesta, augentur res inimicorum DEI. Ita: ne Austria crescat, non veretur amicitia & fœdere uniri hæreditarijs Christianitatis hostibus Rex Christianissimus? ita: ut Austriacorum Principum Vires concutiantur, & eneruentur, fovet & firmat insidiatores Fidelium Ecclesiæ Turcas, primogenitus Ecclesiæ? non vanæ istæ exclamationes sunt, quia fœdus Ottomanicum Gallis non est necessarium. Nam ab excessu Henrici IV. raras, aut nullam habuit occasionem Gallia defendendi suos Status contra externas Potentias, quia nemo illam facillè invadit; illa verò quasi sine intervallo Domum Austriacam, & plerumque, vel domesticis seditionibus, vel Bello Turcico eneruatam, ac nondum in integras Vires restitutam. In pace Monasteriensi Ferdinandum III. inter, & Coronam Franciæ Articulus secretus conscriptus fuit, quo præstiturum se Rex Christianissimus Cæsari auxilium in tum instantibus

bus Belli Turcici motibus centum quinquaginta millia Imperialium per singulos Annos, ad sustentandos præfidiarios in confinijs Hungariæ milites: sin autem motus in apertum Bellum verterentur, decem Legionum exercitum in opem se missurum pollicebatur per suos Plenipotentiariorum Dominis mediatoribus Pacis. Cùm verò Articulus ad subscribendum proponeretur, vel ob tantam generositatem pænitiâ, vel odio & livore in rem Austriacam, vel amore & fide in Ottomanicum fœdus ductus, renuit subscribere pium promissum. Franciscus I., Regum Franciæ primus contraxit, cum Turca fœdus. Deinde Henricus II.: uterque contra Imperatores Austriacos. Tandem veluti in legem fundamentalem abijt, non minùs, quàm persecutio Domûs Austriacæ. Quanta autem mala in Imperium, quanta rei Christianæ discrimina, quanta Religioni propagandæ impedimenta invehat illud, fatis rem ex æquo consideranti, constabit, absque ulteriore mea invectiva. Hoc unum velim, & dent superi! ut Nobilissima hæc Europæ pars, Galliarum Corona, Imperium quæreret in Oriente, non in Occidente: fœdusque iniret Domûs Christianissimæ

niffima dignius cum Auftriaca Catholica quàm cum Porta Ottomanica. O quàm Magna accederet Franco nomini Gloria, quàm dulcis Europæ Pax, quanta Christianitati emolumenta, quantum Matri Ecclefiæ Solatium! magis hoc concipio, quàm effabor.

23. Arcanum Undecimum est ex Minerva Cardinalis Richelij, sub Ludovico XIII. rerum Galliarum Primi Arbitri. Sic enim differebat ille ex Arcano Statûs: Cùm Auftriaci Germaniæ Viribus duntaxat valeant, non admodum auro Hispanico potentes, nulla commodiore ratione labefactari, & ab universalis Monarchia distineri, ne & Galliam opprimant, possunt; nisi ut Potens eos Adversarius in Germaniâ occupet. Non rude Arcanum est, & cessit Galliarum feliciter cum nostro damno, ubi Sveciarum Regem in viscera Germaniæ commovit cum pernicie Regnorum, Provinciarumque Auftriacarum: & Smalcaldicum foedus sustentavit cum profanatione Veræ Religionis in maiore parte Germaniæ. Non opus est



est intimos Gallorum recessus investigare, jam abunde Orbi in comperto est: nullam in Austriacos seditionem, aut subditorum contumaciam enasci, quam non per Emiffarios suos clam promoveat Gallia. Vidimus in motu plurium Principum propter Ducatum Clivientem, & spectavimus in Bello Bohemico, ubi licet Ferdinandus repulso Palatino jam utcunq; composuisset Statū Regni, nihilominus Gallus & Svecus Jus hæreditariæ successions in Regno Bohemiæ impugnabant mordicū. Quid hoc ad Galliam? quis non livorem videat? at verò postquam Svecus etiam Pragā victricibus Austriæ armis depulsus, uterque debuit, & Svecus & Gallus impugnationem illam hæreditariæ Successions omittere. Nulla denique Scintilla Belli aggreditur Austriacos, quā non Galli, velut Flabello succendant in cuncta depascens incendium: testatur id suo malo fato utraque Germania, & omnis Italia. Nihil tam minutum causarum est, quod non in gyganthæam Galli extendant machinam, dumodo nocere valeant, aut duntaxat atterere Vires, & emolumenta Austriaca.

24. Hollandos ( quos aliàs vatiniano odio  
 prosequitur Francia, & jam pridem eorum  
 machinatur servitatem ) sibi tamen in fœdus &  
 societatem, ut Austriacis ( quorum olim erant  
 Vasalli ) acrius obsisterent, adoptavit: illisque  
 non solum sumptibus suis legiones Gallicas  
 militaturas, sed etiam tres milliones & ducen-  
 ties mille libras pollicitus, dummodo nec Pa-  
 cem, nec Bellum uspiam sine Regis Sententiâ,  
 aut interventione tractare se velle promitte-  
 rent. Sed mox experti; aliud Gallos in ore,  
 aliud in pectore ferre; formidantes; ne cum  
 Lupo agerent, qui canes gregis ovium, impo-  
 sturâ tollere, & solus toto grege potiri vellet,  
 protinùs à fœdere desciverunt. Novit sem-  
 per Francia alienos casus, aliena Bella, aliena  
 dissidia non solum in suos usus convertere, sed  
 etiam insufflare turbida, suspecta; unde colli-  
 siones, scissiones, & multifariæ factiones in  
 Imperio adversùs Domum Austriacam extite-  
 runt. Nunquam Galliæ metus est à Germania,  
 quamdiù hæc se vel mutuis cladibus afficit, vel  
 capiti suo diffidit. Jam pridem excocta fuere  
 hæc consilia à Richelio: sed non est consiliũ con-  
 tra Dominum; qui Regna & Imperia distribuit,

cui vult, & hucusque adstitit semper Austriae contra omnes conatus Galliae: ut revera vaticinari liceat: Dominus DEUS Israël dedit Regnum Austriae super Imperium in sempiternum ipsi, & Principibus ejus in pactum Salutis.

25. Arcanum Gallorum adversus Austria, cos duodecimum, complectens superiora omnia, historicâ fide notorium est, Videlicet: Verbis circumvenire Austriacos tam in transactionibus Pacis, quàm induciarum: Occasionibus insidiari, ubi Austriaci vel externis, vel domesticis Bellis occupati, aut à Gallis acceptâ fide securi sunt: Multa promittere, praesertim in confœderationibus, & protectionibus externorum Principum contra Domum Austriacam, aut ejus rebellium. Ea tantùm, quæ grata sunt & comoda, servare, ut vidimus post pacem Madritanam, Cameracensem, Lugdunensem, Veruinensem, Westphalicam, Neomagensem, & praesentes inducias: Prætextus confin-

gere,

gere, ut factum fuit in occupatione Alsatia, & reunionem dependentiarum: Jus omne in armis ponere, ut experta est toto proximo induciarum tempore, suo malo, suorumque clade Germania. Non amplius rememorabo tempora Ludovici XI. nec Francisci I. nec Caroli IX. nec Henrici IV. nec Ludovici XIII. satis Exemplo nobis sunt praesentes, quas spectamus, rerum vices.

26. Breviter proxima, & nuperina revolvam. Post ab Anno 1618. continuatum, finitumque Anno 1648 tricennale Bellum Bohemico-Germanicum (cui autem se maximè immiscuerat Gallus, & Svecus) Pax confecta fuit Westphalica, cujus praetextu tantum adlaboravit Gallia, ut eâ occasione & tempore Austriaci (victores quidem, sed cum clade suâ) ideoque viribus fracti, attritis etiam Germanis, & suspirantibus, in clamantibusque ubi vis Pacem, in quaedam condescendere debuerint, quae articulo 70. 73. 87. & alijs continentur in Instrumento Pacis Westphalicae: Primò: quod supremum Dominium, jura Superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Thullensem Verdu-

nensem, Urbesque cognomines, eorumque Episcopatum districtus, & nominatim Mojenvicum, eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, imposterum ad Coronam Galliarum spectare, eisque incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, reservato tamen Jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensis pertinente.

Secundò Imperator pro se, totaque Serenissima Domo Austriaca, itémque Imperium cedunt omnibus Juribus, proprietatibus, dominijs, possessionibus, ac jurisdictionibus, quæ hactenus sibi, Imperio, & Familiæ Austriacæ competebant in oppidum Brisacum, Landtgraviatum Superioris, & Inferioris Alsatiæ, Suntgoviam, præfecturamque Provinciam decem Civitatum Imperialium. Quæ omnia & singula in Regem Christianissimum, Regnumque Galliarum transferantur.

Tertid, Teneatur Rex Christianissimus non solum Episcopus Argentinensem, & Basiliensem, cum civitate Argentinensi, sed etiam reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediatè subiectos Ordines, &c. &c. totiusque Inferioris Alsatiæ Nobilitatem: Item dictas

dictas decem Civitates Imperiales, in eâ libertate & possessione immedietatis erga Imperium Romanum relinquere: ita ut nullam ulterius in ejs Regiam superioritatem prætere possit, sed ijs Juribus contentus maneat, quæcunque ad Domum Austriacam spectabant, & per hunc pacificationis tractatum Gallia ceduntur.

Quartò, Rex Hispania, quantumvis Princeps, & conspicuus Imperij Status, in hâc Pacificatione, quæ aliàs omnes fermè Principes Europæ complexa fuit, solus ille, licet socius & fœderatus Imperij semper fuerit, expunctus, & prætermisus est.

Quintò expressis verbis contra Hispanos cautum fuit, ut nimirum Circulus quidem Burgundicus sit, maneâtque membrum Imperij, post controversias inter Galliam Hispaniamque sopitas, hac pacificatione comprehensus: bellis tamen, in eo jam vertentibus, nec Imperator, nec ullus Imperij Status se immisceat: in futurum verò, si inter ea Regna controversia oriantur, firma semper maneat, inter universum Imperium, Regnumque Gallia de mutuis hostibus non juvandis, supradictæ reciproca obligationis necessitas &c.

27. Exclufa itaque ( contra omnem æquam rationem, legemque fundamentalem, cujus vi incumbit Imperio fuorum feudorum, membrorum, & Statuum defenfio ) ab hoc Weftphalicæ pacificationis inftrumento Hispania, Bellum continuabat ardens cum Gallia, cujus flammæ æftumque, licet post longum intervallum, tandem non minùs extinxit, quàm succendit nuptiales thalamos Hymen per contractum matrimonialem, inter infantem Hispaniæ Therefiam, & Regem Franciæ Ludovicum, in infala falianorum initum, fuperinvectâ pacificatione, cui à Pyrenneis montibus nomen eft. At verò hanc ipfam tanto labore, tótque Christianitatis totius votis, precibùsque exauditam pacem rurfus Galliæ Rex, & nuptiarum quidem prætextu, mox infringere geftiens, Jus devolutionis in Ducatu Brabantiæ, aliis que Belgij Provincijs, in pœnam fecundi matrimonij ( quia ex primo erat Theresia ) nomine hujus prætendebat. Sub initium concertârunt calamit: pòft arma à Gallis fufcepta contra Hispaniam, prioribus Bellis attritam, & nondum viribus integram, inducto in Flandriam 40. millium exercitu, incufâ exinde maximâ Hi-

spanis

spanis plagâ. Nam quantumvis vix biennale fuerit Bellum, ita tamen Franciæ propitium obtigit, ut Rex ipse spatio viginti & aliquot dierum, à primâ nempe Februarij usque ad quadragesimæ primam hebdomadam, totam Burgundiam subegerit: ac postea primarias Flandriæ, Hanoniæ, Artesiæ, Brabantiæ Urbes, uno veluti fortunæ impetu occupaverit. Desuper rursûs Hispanis dictavit Pacis leges Hagæ transactas, quibus præter Burgundiam omnia cessere in potestatem Franciæ. Ad Westphalicam rursus pacem redeo. Hujus non minùs necessitas, quàm extrema calamitas, sicut præsentia ad speciem alleviabat mala; ita futuris multò majoribus non tam causam dedit, quàm ejus occasione insidiosè usa est Gallia, in maximum reverà dedecus Imperij. Nam ex suprâ prælibatis articulis pacis Westphalicæ certas consequentias (sed minimè concludentes) deduxit, commentusque est Rex ingentes indè dependentias, ut ipsum corpus, sive rem transactam bis, aut ter exsuperarent. Procuratoris quippe Generalis sententiâ inappellabili (arestum dicunt Galli) pluribus immediatis Imperij Statibus, tam Principibus & Ducibus, quàm Comitibus



ac Civitatibus, imperatum fuit: ut impofterum cuncti, Soli Coronæ Franciæ sub pœnâ criminis læsæ Majestatis, & confiscationis bonorum omnium, se subjicerent, nullo respectu habito, fuerintnè olim, vel nunc, mediati vel immediati Status Imperij.

Contra hæc attentata Galliæ, protestati sunt Ordines in Comitijis Ratisbonensibus 1665. & desuper scripsêre ad Regem, qui sponndit quidem verbis remedium rei per impartiales Judices decidendæ; sed intermedium Bellum Hollandicum impedivit congressum. Pace deinde Neomagensi conclusâ, in qua nihil (tam nostrâ incuriâ, quàm Gallorum technis) de præfatis dependentijs provisum erat, insolentior factus Rex Galliæ, nullam amplius audiit protestationem; quasi usurpationes ipsius, & dependentiæ in rem Judicatam evasissent: sed multò atrocius insistit reunioni dependentiarum ad Coronam Franciæ. Studiosè autem id fecerunt Galli, ut intermitteretur quæstio ratione præfatæ reunionis, obtrudentes illorum Legati Mediatoribus Pacis, se ad quæstionem instructos non esse. Desuper tamen protestatus est Cæsar expressè: ut Omissio hæc

nequaquam existimetur esse cessio. Quam protestationem deinde impudentissimè abnegârunt Franciæ Ministri, cæptâmque re-unionem profecuti sunt fortiùs. Hinc ab Anno 1679. usque ad Annum 1681. Imperio abstracti, & Franciæ uniti Principatus quinque, Alsatia, præter Austriacam concessam, tota: Episcopatus quatuor, Comitatus supra octo, Civitates fermè viginti, arces & dominia ultra triginta. Sanguinem fermè ad hæc sudavit Germania, & Austria. Ut summatim complectar plura; nullam exceptionem, aut declarationem ampliùs admisit supra transactionem Neomagensis, nec protestationē acceptavit, sed quæque in Alsatia Geographicè sibi adjecit præter elicitas usque ad sanguinè contributiones, & angarias, contra clarum tenorem prædicti Instrumenti Neomagensis, & expressam Legati Gravellæ contestationem. Nec alio Galliæ Ministri tantam impudentiam (cùm ampliùs eam veluti notoriam, & convictam excusare nequeant) fundamento tuentur, quàm quodd discernerre nolint feuda; sed deprehenso uno dependente velint dependere ab hoc omnia alia feuda,

da, quæ aliquis possidet, processu sic in infinitum exporrecto. Quod impudentissimum est, quasi unus Possessor non posset plura separata feuda possidere.

Ideo non multò pòst ad iteratas querelas Statuum Imperij contra Coronam Franciæ propter tantas usurpationes ex prætextu dependentiarum reassumpti sunt tractatus Francofurti, promissione clarâ à Callis factâ, quod ab ea mox die abstinere velint ab omni reunionem ulteriore, rebus omnibus in Statu quo, usque ad conclusionem tractatûs permittendis. Hisce promissis circumventus Cæsar, & Status Imperij, cùm minimè isti putarent, irruit Gallia torrentis instar gemino exercitu: uno in Argentinam (quam hucusque inter dependentias nunquam numerabat) altero in Cassalum feudum Imperij, & ambo vicit & occupavit reclamante Germaniâ, ridente Galliâ, stupente Europâ quid Cœlo agente, superisque facientibus (nescio) ad ejusmodi circumventiones, usurpationes, malâmque Galloꝝ fidem.


Inter hæc Turcicum contra Austriacos emergens Bellum rursus tempus Galliæ dedit omnia occupandi, & occupata retinendi, cùm  
pares

pares duobus Bellis non essent Austriaci. Armistitium proinde à Gallis infidiosè in hiscè maximis periculis oblatum, & tandem contractū, sed armis pejus, & contra omnem Justitiam & rationem (Stante enim pace Neomagenfi, quid opus erat Armistitio) Conditiones Armistitio dictavit Gallia, non ut pars, sed velut Arbitra, & despoticè quidem: aded ut Cæsar cum Imperio, Franciæ polliceri & cedere debuerit omnia occupata per viginti subsequentes Annos, datâ vice versâ à Gallis fide, nihil hostile amplius, ex quocunque prætextu adversus Cæsarem, & Imperium moliendi, aut quomodocunque tentandi: sed omnia, ut tunc fuere, cum induciæ concluderentur, permittendi.

Quibus tamen vix conclusis, fidem datam confestim fefellit, & ex vanissimo prætextu, quasi Austriaci (proh! nimium Bello Ottomanico occupati) novum fœdus adversus Galliam meditarentur (reipsâ erat Fürstenbergij, Franciæ clientis, immodicus, & contra Sedis Apostolicæ declarationem illicitus, atque ad Electoratum Coloniensem post excessum Maximiliani Henrici Bavari ibidem Archiepiscopi infanus ambitus, quem insufflabat futura Galliæ

utilitas, & manutenebat Ludovicus Rex, vi & armis contra distractas alibi vires Austriacas) Igitur contra omne Jus Gentium, per Fecialem neutiquam insinuato Bello, occupavit hostiliter Philippsburgum, Palatinatum, Moguntiam, Heidelbergam, Monheimium, Spiram, Wormatiam, aliásque ditiones, contra promissas inducias, ablato insuper Spirâ Archivio Supremi Imperij Dicafterij: expilatis Circulis Superiore Rheno, Svevico, Franconico: Occupatis Ducatibus Juliæ Cliviæ & Montium. Omnes denique Imperij Provinciæ à Gallia vel ferro vel igne, ad incitas fermè redactæ, immissis planè (quòd hæctenus nec Barbari egêre) incendiarijs occultis, in Provincias Austriacas,

Aded Galliæ totum in armis Jus: tota in circumventionibus ars: unicum ad prætextus refugium: omnis in præventionem Justitia: nulla autem, aut Brevis promissorum Fides & Religio.



## I N D E X

## OBSERVATIONUM.

*Primus numerus Observationem; alter Observationis numerum indicat*

## A

- A** Cerbitas facetiarum in Principes, periculosa. *Observ.* 17. num. 9.
- Acquisita malè. ob 11. num. 3.
- Aditus ad Principem facilis sit ob. 22. num. 7.
- Adulationis insidiæ. *obser.* 3. num. 4.
- Adulatores quid in aula valeant ob. 19. num. 8.
- Ægypti Pyramides. *obser.* 15. num. 15.
- Agripinæ astus. ob. 5. n. 10.
- Ambitionis vis. ob. 27. n. 1.
- Æmulatio interdum fovenda. ob. 13. num. 9.
- Æmuli nunquam quiescunt, nisi unus aut alter tollatur. ob. 27. num. 2.
- Æmulo Solij nŕi permittendum. ob. 27. num. 10.
- Æmulatio Austriæ & Franciæ ob. 29. num. 1. Id confitetur ipse Cardinalis Richelius num. 2. utriusque tamen diversa causa, & Finis. Ibidem.
- Andegavensis in Hispania. ob. 27. num. 6.
- Arcanum incredulitatis. ob. 4. num. 12.
- Arcanum Statûs compendiariû. ob. 8. num. 1.
- Arcanum prudentiæ. ob. 3. num. 2.
- Arcanum Successionis. ob. 10. num. 6. cautela circa hoc arcanum num. 7. Elisabethæ Angliæ Reginæ exemplo. num. 8. quod malo suo fato parû imitatus Rex Casimirus Poloniæ. Ibidem. alia cautela Aulicis datur ibidem. Etiam ipsis Regnantibus ibidem.
- Arcano præfato etiam utitur Domus Austriaca. n. 9. ob. 10.
- Arcanum Galliæ est, subditos Imperatoris in suam protectionem suscipere. ob. 29. num. 14.
- Arcanum dependentiarû à Gal- lis inventum prætextus est usurpationum, ob. 29. num. 18. Impugnatur. n. 19.
- Arcanum Augusti. *obser.* 25. num. 7
- Arcanum Ambitionis. ob. 27. num. 1.

- Arcanum Imperij, est conser-  
 vatio Domûs Austriacæ ob.  
 28. num. 37. 38. 41.  
 Armorû discrimini non se com-  
 mittendum facilè. ob. 20.  
 num. 4.  
 Artes cognoscendæ veritatis.  
 ob. 3. n. 5. & seqq.  
 Ars demovendi suspictos. ob.  
 13. num. 7. exemplo Tiberij  
 ibidem.  
 Assentatio. ob. 3. n. 7.  
 Assentatores fugiendi. ibidem.  
 Aulæ Aulicorûmque natura ob.  
 14. num. 1.  
 Aulico quâ viâ eundum? ob.  
 ead. num. 2. quomodo huic  
 pecunia impendenda n. 3.  
 Aulici boni. ob. 3. num. 3.  
 Aulici popularem nolunt Prin-  
 cipem: & quare? ob. 22. n.  
 3. morositatem potius sugge-  
 runt. num. 5.  
 Austriaci Principes inter se pa-  
 cifici. ob. 4. num. 3.  
 Austria vinci sine ruina Imperij  
 non potest. ob. 28. num. 38.  
 39. 40.  
 Auctoritas nimia non com-  
 municanda Ministris. ob. 5.  
 num. 7. ostenditur exemplis.  
 Ibidem. præcipuè Tiberij.  
 num. 8.  
 Auxilia aliquando peiora hosti-  
 litate. ob. 23. n. 3. Platonis  
 de his dictum. ob. ead. n. 4.
- Auxilia ne sint majora, quàm  
 capi possint. ob. 23. n. 5.  
 Auxilia qualia esse debeant. ob.  
 ead. num. 6.
- B
- Bavari clades in Imperio. ob.  
 27. num. 8.  
 Bironius Regi suspectus, &  
 quomodo? ob. 4. num. 6.  
 Mars Franciæ dictus. ibidem.  
 perije infami supplicio. ibid.
- C
- Canon Pontificius circa duo  
 mala necessaria. ob. 24. n. 2.  
 Capitulatio Cæsarea servire  
 non debet augmentis Gal-  
 liæ. ob. 29. num. 10.  
 Capitulatio Cæsarea, sit justa  
 & possibilis. ob. 28. n. 34.  
 Carolus III. in Hispania ob. 27.  
 num. 6.  
 Caroli IV. Cæsaris prodigali-  
 tas. ob. 28. num. 19.  
 Carthago plus nocuit eversa  
 quàm adversa. ob. 15. n. 14.  
 Calamitates publicæ & frequen-  
 tes præfagiunt mutationem  
 status. ob. 7. n. 5.  
 Caroli noni Galiciæ Regis errata.  
 ob. 9. n. 4.  
 Cautela circa publica Officia  
 distribuenda. ob. 13. num. 3.  
 num. 5.  
 Cæsari incumbit etiam externa  
 Imperij seuda tueri. ob. 29.  
 num. 5.

- Cavillatio Pontificis in Philip-  
pū Imperatorē. ob. 28. n. 30.
- Cedere tempori est arcanū sta-  
tūs. ob. 2. n. 1. n. 4.
- Celeritas & cunctatio, utraq̃ue  
tempori accommodata utilis  
est. ob. 26. n. 3.
- Caleritatem comitari debet for-  
tuna. ob. 26. n. 4.
- Civem regere majus est, quàm  
hostem vincere. ob. 25. n. 4.
- Colinij arrogantia sub Franci-  
sco. II. ob. 13. n. 3.
- Commiseratio in Reges exau-  
thoratos. ob. 27. n. 4.
- Committendi aliquando Ma-  
gnates. ob. 13. n. 6.
- Commoda sua populo vix eri-  
pics. ob. 15. n. 7.
- Concertare Aulico cum suo  
Principe nunquam expedit.  
ob. 14. n. 12. Exemplo Co-  
mitis Silveiræ ibidem.
- Confalvus Pizarus Carolo V. re-  
fractarius. ob. 13. n. 10.
- Constantia mali, nulla est. ob.  
2. n. 2.
- Consortia Principū qualia sint  
ob. 22. n. 8.
- Consuetudines inveteratas &  
malas, modus tollendi. ob.  
21. n. 5.
- Consuetudines patriæ quantam  
vim habeant. ob. 21. n. 1. li-  
cebit eas interdum mutare in  
melius n. 2. Sed non eas, quæ  
de Jure gentium sunt. n. 3.
- Consuetudines inveteratæ dis-  
simulandæ. ob. 21. n. 4. In-  
terpretandopotiùs corrigendæ.  
ibidem.
- Contemptus ultro citroque ca-  
pitis & membrorum præfa-  
git mutationem statūs. ob. 7.  
n. 10. 11.
- Cunctatione otiosâ frustratur  
tempus & occasio. ob. 26. n. 5.
- Cunctari tamen prudenter ali-  
quando expedit. n. 6.
- D.
- Defectus externi occultandi à  
Principe. ob. 6. n. 3.
- Denfensio concedenda. ob. 12.  
num. 5.
- Dependentiarum Jus, inventum  
est coementitium Gallorum.  
ob. 29. n. 18. 19.
- Depositarij Principes suspecti.  
ob. 4. n. 7.
- Diffidentia. ob. 4. n. 1. ejus ali-  
quot principia. ibidem.
- Dissimulandum Aulico. ob. 14.  
num. 5.
- Domestici inimici pessimi. ob.  
16. num. 1.
- Domestici non offendendi. ob.  
16. num. 1. non spernendi,  
& contemnendi num. 6.
- Domestica subditorum dissidia  
authoritate suâ componat  
Princeps, nec in partes  
abeat. ob. 15. num. 9. 10.



E

- Electio æquè ac successio suis temporibus usitata in Imperio ob. 28. num. 24. 25. 26.
- Eligendi ratio sub Carolo magno ob. 28. num. 27. quæ à Protestantibus sub Ferdinando III. suggesta? num. 28. quæ usque hæc tempora utiliter practicata? num. 29. obsistit quidam Canon Pontificius, sed perperam. n. 30.
- Electione & capitulatione infringitur Hæreditarià successio ob. 28. num. 33.
- Electio eventualis Regis Romanorum utilis Imperio. ob. 28. num. 43. ne successor sit in incerto. Ibidem. Exemplo Henrici VI. num. 44. Ut autem Successorem dare valeat Regnatricis Domus, ad quid advertere debeat? num. 46. 47. 48. 49. 50. 51. & è contra quibus suæ libertati prospicere debent Ordines. num. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58.
- Elisabethæ Reginae Angliæ Sagacitas circa suspectos. ob. 4. num. 10.
- Errata Antecessorum. ob. 9. num. 1. & per totum.
- Exempla Patrum Sectanda. ob. 8. num. 4.
- Extrema rerum sunt vitia. ob. 4. num. 1. exemplo Tiberij, & Galbæ. Ibidem.

F

- Fama acquiritur tripliciter. ob. 1. num. 1.
- Familiaritas in Aula fugienda. ob. 1. num. 6.
- Fastidiosus ne sit Aulicus obf. ead. num. 9.
- Fædus Gallorum cum Turcis in extirpationem Domûs Austriacæ. ob. 29. num. 22.
- Festina lentè. ob. 20. num. 10.
- Franciscus I. Rex Franciæ. ob. 28. num. 19. obf. 29. n. 22.
- Franciæ quæ mens in Germaniam. ob. 28. num. 34.
- Fridericus Palatinus Rex bissextilis. ob. 27. num. 9. ejus exercitus cæsus Pragæ. Ibidem. profugus ex Bohemia. Ibidem. artes suggestæ illi ad tollendam æmulam domum Austriacam. ob. ead. n. 11.
- Futura ex præteritis præfagiuntur. ob. 7. num. 1.

G

- Gallis si licet militem legere in Imperio, cur non etiam Hispanis. ob. 29. num. 4.
- Galli nesciunt parta tueri. ob. 11. num. 6. ob. 25. num. 7.
- Galli quibusvis artibus impediunt electionem Cæsaris Austriaci. ob. 29. num. 2. num. 6.
- Galli, ut sibi interim prospiciant, protrahere procurant electionem.

- electionem. ob. eadem. num. 8. 9. 10.
- Galli debilem volunt, non potentem Cæsarem ob. 29. num. 3. Suspectum Ordinibus reddunt ibidem.
- Gallis summa ratio, est quæ pro Italia facit. ob. 29. n. 15.
- Galliæ Rex magnas & plurimas Imperij ditiones sibi arrogavit, & reunivit ex prætextu dependentiarum. ob. 29. n. 20.
- Galli ex arcano Statûs concitant hostes contra domum Austriacam. ob. 29. num. 23. 24. omnibus modis circumveniunt & insidiantur illi. num. 25.
- Gallorum hostilitates recensentur contra Imperium & Austriacos ob. ead. num. 27.
- Genus in electione præteritum turbat Rempublicam. ob. 28. num. 32. probatur exemplis & rationibus ibidem.
- Germaniæ cautela. ob. 28. n. 32
- Gloria ex virtute est, non vitio ob. 1. num. 6.
- Gulielmus Auriacus Rex Angliæ. ob. 27. num. 2. contra hunc machinationes variæ. ob. eadem. num. 2.
- H
- Henricus IV. Quomodo primævo flori restituit Franciam ob. 9. num. 3. 4. 5. emendavit prædecessoris errata. Ibidem & num. 6. 7.
- Hostium multitudo fatalis Regno. ob. 7. num. 8. præteritum uno eodemque tempore. ibi: ut nunc experitur Gallia ibid.
- Humanitas & discretio necessaria Principi ob. 2. num. 3.
- Hungarorum Rebellium peti- tum ob. 15. num. 12.
- Hungaria hæreditaria. Ibidem.
- Hyppoliti deterrimum Consilium ob. 28. num. 58.
- I
- Jactantia malè audit in Aula ob. 14. num. 4.
- Imperatoris hodierni prærogativæ in Imperio. ob. 26. n. 4.
- Imperatoris & Imperij æquata potestas. ob. 28. num. 10.
- Imperator quomodo rationem reddit Statibus. ob. eadem. num. 9.
- Imperatorum Wenceslai & Adolphi aliorumque degradationes à quo factæ. ibidem.
- Imperij Romani primordia & vicissitudines. ob. 28. num. 1. titubare cepit post excessum Augusti. ibidem. num. 2.
- Imperia violenta violento exitu terminantur. ob. 27. n. 3.
- Imperium prius domi firmandum, quam foris quærendum. ob. 11. num. 7.

- Imperia crudelia non diuturna.  
ob. 12. num. 1.
- Imperij Occidentalis vicee va-  
riæ, ob. 28. num. 3.
- Imperium occidentale, ex qui-  
bus constabat, nunc, &  
olim ob. 28. num. 5.
- Imperium modernum an Mo-  
narchicum, vel Poliarchicum.  
ob. ead. num. 13. & 20. Sol-  
vitur Hypoliti objectio ibi-  
dem num. 21. 22. 23.
- Imperij duo fulcra; sed sensim  
collapsa. ob. ead. num. 7.
- Imperij Ordines habent origi-  
naliter potestatem ab ipso  
Imperatore. observ. eadem.  
num. 10.
- Inæqualitatem graviter ferunt  
subditi. ob. 7. num. 12. cujus  
exempla. ibidem.
- Indulgentia nimia ob. 5. num.  
1. ejus temperamentum ibid.
- Indulgendo crescit peccandi  
licentia, ob. ead. num. 2.
- Indulgentiores Principes non  
tam quietè vivunt, quàm Serij  
& Justi. ob. eadem num. 4.  
ostenditur exemplis. ibidem.
- Indulgentia privilegiorum sem-  
per derogat aliquid Majesta-  
ti. ob. 5. num. 5. ideo nec fa-  
cilè nec temerè concedenda.  
num. 6.
- Indulgentia Claudij Cæsaris  
plusquam nimia, in Mcsali-
- nam & Agrippinam ob. ead.  
num. 9. & 10.
- Inurias suas Princeps nec judi-  
cet, nec puniat. ob. 12. n. 3.
- Insidiarum remedium interdum  
salubre est, si illæ non intel-  
ligantur, vel potius non in-  
telligi videantur. ob. 16.  
num. 4.
- Inter duo mala minus eligen-  
dum ob. 24. num. 1.
- Judicia populi de Principe,  
quæ? nec semper contem-  
nenda. ob. 17. num. 3. 4. 5. 6.  
L.
- Laudando illaqueare. ob. 14.  
num. 13.
- Leopoldus I. Cæsar. ob. 1. n. 5.  
ejus initia regnandi. ibidem.
- Lepidus inter adulatores cæter-  
os Aulicos, solus sincerus  
& integer. ob. 14. n. 8. Tibe-  
rio charus. ibidem.
- Lethargus Politicus. ob. 26.  
n. 7.
- Lex Majestatis cur inventa? ob.  
12. n. 2. Quo rigoris effectu?  
n. 3.
- Libertas Germaniæ Gallis præ-  
textus; reipsa odium & livor  
in Austriacos est. ob. 29. n. 11.
- Liga Rhenana. ob. ead. n. 21.  
ejus collimatio & finis. ibi-  
dem. Limneus. ob. 18. n. 3.
- Lucrum temporis. ob. 26. n. 7.

- Ludovici Pij, timor Domini. ob. 7. n. 3.
- Ludovici Ultimi Regis Franciæ immenſi conatus. ob. 25. n. 7.
- M.
- Magnificentia. ob. 1. n. 1. Veſpaſiani & Scipionis exemplo. ibidem.
- Magnanimitas. ob. ead. num. 2. hæc maximè Principem decet. ibidem. Exemplo Alexandri M. Romuli, Tamerlanis, Mahometis, &c. ibid.
- Majeſtates tot ſunt in Imperio, quot Status. ob. 28. num. 8.
- Quod nequaquam officit Imperatoriæ Majeſtati. ibidem.
- Majeſtatem quæ denotant in Imperatore. ibidem.
- De Majeſtate Limnei ſenſus erroneus, emendatus ab Henigio. ibidem ad finem.
- Majeſtati Principis non derogat obſtriſtio jurato facta ſubditis. ob. 28. n. 14. nec comitia. n. 15. Verduni de his egregius ſenſus. n. 16.
- Mæcenatis ad Auguſtum compendiarium præceptum, ob. 8. num. 2. Cujus duplex utilitas, ibi. num. 3.
- Metus etiam à proprio Satellitio Principi, ob. 18. num. 5. remediũ hujus. ibidem. quomodo Satellitium dividendum. ibi. num. 7.
- Mitoniſ Regicidij Patroavis ob. 18. num. 3.
- Moderatè progrediendum ob. 11. num. 6.
- Moderatus ſit Principum comitatus in viſitandis Provinciis. ob. 23. num. 2. exemplo Rudolphi Cæſaris, Friderici & aliorum. ibidem.
- Modestia Aulici erga ſuum Principem, præſertim in ſermone ob. 14. num. 11.
- Modus ſupprimendi nimium potentes. ob. 13. num. 8. 9. 10. 11.
- Morbi Politici contemptũ & neglectu augentur. ob. 24. num. 6.
- Mundus habet ſuas ætates ob. 7. num. 2.
- Mutationis Statuum cauſæ internæ & externæ. ob. 7. n. 1. eas noſſe Principem oportet ibidem.
- Mutationum Statũs cauſæ inducuntur variæ: totâ ob. 7.
- Mutatio eorum, qui arcanorum participes ſunt, periculofa. ob. 13. num. 12.
- N
- Necceſſitas imperat Principibus ob. 24. num. 1.
- Neronis nocturna licentia, & correptio. ob. 17. num. 2.
- Nobilitas Regni multum adminiculatur Principibus ob. 13. num.

- num. 1. Illam devinciendi modus traditur. num. 2. circa quem multum peccavit Philippus. II. ibidem.
- Non progredi, est regredi. ob. 11. num. 1. Domestici ramentum progressus, faciliores & justiores; quam externi: nec hi dicendi progressus, nisi citra usurpationem alieni fiant ob. ead. per totum.
- O
- Obtegenda vitia animi ob. 6. num. 1.
- Occidentale Imperium quo pacto occupatum à Carolo. M. ob. 28. num. 3.
- Occasione & tempore utendum ad res magnas ob. 26. n. 2.
- Offendi domesticos à Principe periculosum est ob. 26. n. 1.
- Oportunitas captanda in rebus omnibus. ob. 26. num. 8.
- Otium plebis quomodo praevertendum à Principe. ob. 15. num. 13. 14. 15. 16.
- P
- Pace qui fruuntur. ob. 25. n. 3.
- Pacis praetextu dementant totam Europam Galli. ob. 29. num. 16.
- Pax omnis intuta cum Gallis ob. ead. num. 17.
- Pax Westphalica in maximam perniciem Imperii & Imperatoris facta ob. ead. num. 26.
- Pax, magna Status felicitas est. ob. 20. num. 1. & 8. quomodo comparanda ibidem
- Palatinus non est Judex Caesaris, quia Caesaris. ob. 28. num. 21. quomodo ergo? refolvitur. num. 22.
- Pena criminis authorem ne transeat. ob. 12. num. 4. nec delicti gravitatem excedat. ibidem.
- Pericula dum omnia cavemus, in majora incidimus ob. 24. num. 6.
- Pericula praestat amovere, quam ea superare. ob. ead. num. 7.
- Periculum, saepe periculi est remedium. ob. ead. num. 8.
- Periculis non cedendum ob. ead. num. 9. praesertim Principis exemplo Tiberij ibid.
- Periculum Germaniae ab externis Principibus. ob. 28. n. 35.
- Periculum interdum subire expedit. ob. 24. n. 4.
- Petrus Comes Serinensis, exculatus ab Henrico V. ob. 17. num. 9.
- Popularis aura inconstans ob. 15. num. 2.
- Popularitas Principis ob. 22. n. 1. exemplo Antonini Pij. n. 2.
- Popularitas quid? ob. 22. n. 4. non derogat Majestati. n. 6.
- Popularitas Agricola celebratur ob. 22. num. 9.

Populus temerarius comiter à Principe tractandus, ob. 15. num. 5. 8.

Populo quæ concedenda, & qualiter? ob. 15. num. 2. per totum.

Populus bello affvetus extra Patriam occupandus ob. 15. num. 13.

Populi iudicia Principi de se non spernenda. ob. 17. n. 1.

Præcipitancia Aulicis noxia. ob. 14. num. 7.

Præsentia Principis ad res agendas plurimum conducit ob. 14. num. 5. Id exemplis ostenditur. Ibidem.

Principatus Imperij olim officia erant. ob. 28. num. 5. postea in hæreditates transiere cum maximo subsequendum Imperatorum incommodo. ibid.

Principi non licet abalienare res Statûs. ob. eadem. n. 19.

Principes magnanimi subditis grati. ob. 1. num. 3.

Princeps Veritatem audire exoptet, nec Veridicos puniat. op. 3. num. 5. unde illam percipiet? ob. eadem. num. 9. 10. 11. 12.

Princeps fraudibus expositus ob. 4. num. 2.

Princeps sibi caveat à potentibus Domesticis ob. 16. n. 2. Item aliquando à se offensos. num. 3.

Principes quidquid concedunt, non in ruinam Salutis publicæ concessisse censentur. ob. 21. num. 8.

Princeps quibus non fidat. ob. 4. num. 3. 4.

Princeps suspicax. ob. eadem. num. 11.

Principis munus Justitiæ est præstatio. ob. 5. num. 3.

Princeps quales sibi deligat Ministros. ob. 13. num. 13.

Principi se accommodare debent Aulici. ob. 14. num. 10.

Princeps Sapiens Antecessoris vitia in se corrigit. ob. 9. n. 2. etiam virtutem imitatur. ob. ead. num. 9.

Princeps sit sensum liberalis ob. 16. num. 5.

Principes censuræ expositi. ob. 17. num. 1.

Principi quid agendum, cum populus furit in aliquem Ministrum. ob. 15. num. 11.

Protestationes Gallorum contra Austriacos. ob. 29. n. 7. eorundem comminationes. num. 8.

Providentia Principis observ. 1. num. 4. in quo consistat ibid.

Querelæ Gallorum adversus Austriacos, obser. 29. num. 2. 3.

- R.**  
 Ratio Statûs exigit in Principe exactam justitiam. ob. 5. n. 3. 4.  
 Recessus Wormatiensis antiquus. obf. 28. num. 26.  
 Recessus protestantium Principum recentior de eligendo Imperatore refellitur. obfer. ead. num. 45.  
 Regimen malum vel acerbum præfagit mutationem statûs. ob. 7. num. 9. obstrepente præsertim populo. ibidem. exemplo Lusitanorum. ibid.  
 Regium semper non est de alienis certare. obf. 11. num. 4.  
 Regnum Arelatense, quomodo ab Imperio delapsum obfer. 28. num. 19.  
 Religionis neglectus, & ejus tolerata libertas malè ominantur Regno. obf. 7. n. 4.  
 Remedia, ne malo sint acerbiora. obf. 15. num. 6. item obf. 23. num. 1.  
 Residentia Principis obf. 19. n. 1. hanc, si sedes est Imperij nunquam deserat Princeps. num. 2. & 6. n. periclitari velit num. 3. & 4.  
 Residentiæ quando major ratio habenda. obfer. 19. n. 5.  
 Respublica satis aucta est, si bene conservata. obf. 25. num. 6. Scipionis effato ibidem.  
 Reipublicæ corpus se dividi non patitur. obfer. 28. n. 17.  
 Respublica ad omnes pertinet. obfer. 28. num. 18.  
 Rigor Stoicorû absit à Principe. ob. 2. n. 3. Rupella expugnata. ob. 11. n. 2. ejus obsidio ibid. S.  
 Satellitium Principis obf. 18. num. 1. an expediat Principi? ibidem & seqq.  
 Satellitium est optimum, ubi amor est populi. ibidem.  
 Satellitium omnino Principi expedit obf. 18. num. 3. exemplo Augusti, Tiberij, Sigismundi &c. ibidem. Mos Principum in satellitio adhibendo. obf. ead. num. 4.  
 Satellitium Germanorum ferè omnibus Principibus confectum obfer. ead. num. 6.  
 Satellitium ex quibus formandum. ibidem. num. 7.  
 Satyra in Philippum II. jacta. obf. 13. num. 4.  
 Scandala Principum obf. 6. n. 1. 2. sunt duplicia ibidem. num. 2.  
 Scythæ monitum ad Alexandrum obf. 25. num. 7.  
 Scœmata Principum obf. 17. n. 6. eorum remedia ibidem num. 7. & 8.  
 Securitas periculo proxima. ob. 24. num. 6.  
 Seditio

Seditio Masanieli in Regno Neapolitano obs. 15. num. 4. quomodo sopita ibidem.  
 Signa indicantia mutationem status obs. 7. num. 3.  
 Speciosa promissa Galliae obs. 29. num. 12.  
 Statum concutere nunquam expedit. obs. 20. num. 1. cautela desuper. obs. ead. num. 3. 4. 5. 6. 7.  
 Succedunt raro meliores. obs. 9. num. 1.  
 Successor certus, est Arcanum Status. obs. 10. num. 1.  
 Successor ubi querendus? ibid. exemplo Augusti. num. 2. per tot.  
 Successio in Regno Galliae qualis? obs. ead. num. 3.  
 Successoribus destinatis paranda via. obs. 10. num. 4. exemplo Augusti & Tiberij ibidem. modernis quoque exemplis. num. 5.  
 Successio improprie dicitur, licet ex eadem Familia plures successive eligantur. obs. 28. num. 31.  
 Summa rerum nec uni nec multis deferenda obs. 13. n. 4.  
 Suspicio. obs. 4. num. 1. aliquando laudabilis ibidem.  
 Suspecti quomodo circumveniendi? obs. ead. num. 5. 10.  
 Susceptorum quinduplex spe-

cies. num. 6. Legati ibid. Depositarij num. 7. conjuncti. num. 8. Vasalli praepotentes num. 9. Belliduces fastuosi & contumaces. n. 10.

## T.

Tamerlanes. obs. 1. num. 2. ejusdem progressus. obs. 11. num. 6.  
 Themistoclis & Miltiadis aemulatio. obs. 29. num. 1.  
 Tiberij in adultores inveciva. obs. 14. num. 8.  
 Transactio Caroli Magni de Imperio Occidentis cum Imperatoribus Orientis. obs. 28. n. 4.  
 Transitus Imperij in aliam Familiam perquam difficilis, & periculosus. obs. 28. num. 42. ostenditur ratione & exemplis. ibidem.

## V.

Veritas quomodo dignoscenda obs. 3. num. 1. & seq.  
 Veritas in aulis nulla. ibidem. palliata olim in Romano Senatu. ibidem.  
 Veritas cum adulatione non subsistit. obs. ead. num. 4.  
 Veritatis cupidus seponat affectus privatos. obs. ead. num. 6. & 7.  
 Vbi educandi Successores Principum. obs. 10. num. 5. ad finem.



Vicinorum Potentia suspecta.

obs. 7. num. 6.

Vicinorum injuriæ interdum

diffimulandæ obs. ead. num. 7.

Vigilantia Principis circa quæ?

obs. 20. num. 2.

Vi obtenta, consequitur minus

propitia fors. obs. 25. n. 5.

Violentæ mutationes & refor-

mationes nunquam expe-

diunt obs. 20. num. 9. & 11.

Viri neutrales veritatē loquun-

tur ob. 3. num. 9.

Vites distractæ seditiones con-

feiscunt. obs. 25. n. 2. exem-

plo præsentis Hungarorum.

Virtus major est parta tueri

quàm quærere. obs. 25. n. 1.

Vitia occultanda obs. 6. num. 1.

Itocratis, de hoc explicatur

arcanum. ibidem.

Vox populi, Vox DEI. obs. 3.

num. 8.

Vrbani VIII. prudens delibera-

tio inter duo mala. obs. 24.

num. 2.

Vsus temporis rectus multum

confert. obs. 26. num. 1.

Vsurpatoribus cum triplici Bel-

luâ concertandum. obs. 27.

num. 4.

Vsurpatores etiam ab Amicis

sibi cavere debent. obs. ead.

num. 5.

Vsurpatores alieni, celeritate

uti debent. obs. ead. num. 8.

Vulgus, quibus trahitur. obscr.

15. num. 1.

Vulgi primi motus ferendi ob-

ead. num. 3. quia quam-

primum remittit ibidē. præ-

sertim Ductoribus amotis.

ibidem.

